BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
1 C
11

Digitized by Google

26

PHILOSOPHIA RATIONALIS

VNIVERSAM LOGICAM Complectens,

AVCTORE ADMODVM R. P.

FR. PETRO DE COMITIBVS ROMANO

Ord.Erem.S.Auguſtini de Ancona,

ARTIVM, ET SACRAE THEOLOGIAE Doctore, & Magiſtro, & olim etiam Lectore.

SECVNDA EDITIO.

ANCONÆ, Ex Typographia Camerali. 1671.

SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

12. 1. C. 11.

MAGISTER
FR. HIERONYMVS VALVASORIVS
MEDIOLANENSIS
Totius Ordin. Eremit. Sancti Auguſtini
Prior Generalis.

Reuerendo Patri Sacræ Theologiæ Magiſtro Fr. Petro de Comitibus Anconitano eiusdem Ordinis, ac voti ſalutem.

HArum ſerie litterarum, noſtriq; muneris auctoritate, facultatem tibi concedimus, vt typis denuò mandare poſſis opera logicalia à te lucubrata, & olim antequam noſtrum aſſumeres habitum, iam in lucem edita, atque adeò ſufficienter recognita, & approbata; ſeruatis tamen cæteris ſeruandis, iuxta decretū Sacroſancti Concilij Tridentini, & noſtri Ordinis ſanctiones, obtentaq; ab eis, ad quos ſpectat licentia. Datum Romæ in Conuentu noſtro Sancti Auguſtini, die 14. Ianuarij 1671.

Fr. Hieronymus Valuaſorius.

Imprimatur
Magiſter Fr. Petrus Maria Zanardus Ordinis Prædicatorum Inquiſitor Generalis.

Imprimatur
Ioannes Pighettus Vicarius Generalis.

Digitized by Google

Admodum Reuer. P. Magiſtro

FR. DOMINICO

VALVASORIO

MEDIOLANENSI

Ordin. Eremitarum Sancti Auguſtini Italiæ Aſſiſtenti.

MAGISTER

FR. PETRVS DE COMITIBVS

ANCONITANVS

Felicitatem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

I*TERVM præli torturam ſubitura, ſuæ rea tenuitatis, mea rationalis Phyloſophia,* Tibi *ſiſtitur ante oculos, tuorum auſpiciorum imploratura præſidium*, Præſtantiſſime Pater, *vt videlicèt quæ in primo ortu patronum habuit ſanguinis claritate excellentiſſimum, non imparem ſortiatur in ſecundo, virtutum omnium*

A 2 *ſplen-*

ſplendoribus illuſtriſſimum. Formidauit illa vix primò concepta, lucem adire publicam, ſæculo tot egregijs Phyloſophis occupato; neque vmquam ſuis è latebris emerſiſſet, ſeſeque matris neſcia, paternæ mentis anfractibus explicaſſet, niſi iucundiſſimi Senatoris auſpicijs animata, eius quodammodo obſtetricante Lucina humanitatis, infantili adhuc ætatula tremebunda, Veneti Leonis in ſinu, non ſine liuoris lachrymis, excæpta fuiſſet. Nunc grandior facta, nec ſine plauſu infantia ſuperata, vt pubertatis ponat non ignobile rudimentum, Tuos cupit amplexus, vt faſcijs expedita, non indecoro puluere ſordida, Phyloſophici ſtadij veſtibulum teneat, alijs iacula ſuppeditatura ad præliandum, mox etiam in tertio ortu, meliùs inſtructa, ſuis armis cum alijs pugnatura. Dignare igitur benigniſſimo tuo aſpectu conatus hos meos, quos in phyloſophico campo primos exerui, renouatos identidem recreare, ea benignitatis profluentia, qua olim cathedras, & ſacros ſuggeſtus conſolabaris, vt videlicet mea iſthæc logica, iam tua facta, ſi non proprijs culta, ſaltem alienis minimè infecta, genuino tecta candore, ſe ipſam explicet, neque rugis infectam, neque fucis calamiſtratam, aurea ſolùm contenta mediocritate. Vale. Anconæ Kal. Septembris 1671.

AD

AD LECTOREM.

VIx lucem attigit publicam meæ logicæ vtraq; pars, vt ex õnibus penè partibus expetita, voluminũ copia licèt non exigua, non potuerit omnibus ſatisfacere. Quamobrem petentium efflagitationibus inceſsãter extimulatus, iterum illas vno tomo compreheſas imprimendas curaui, quibus libẽter multa addidiſſem, & nõ pauca ad normam meliorem redegiſſem, & vniuerſam materiam ad ſummæ compendiariam methodum cõformaſſem, niſi amicorũ iudicio, meorumq; ſupremorum moderatorum imperijs, ſuauiſſima violẽtia fuiſſem retractus, vt videlicet nondum abſoluta ſumma, ad illam totis viribus compilandam vehe-

mentiùs incumbam. Illam igitur vt priùs erat, iterum expono, ſolo nomine variato; quæ enim vſq;adhuc philoſophiæ nouiſſimæ titulo gloriabatur, eo nempe cõſilio, vt primas inter mẽbra philoſophiæ partes occuparet, ſegregata nũc ab vniuerſæ philoſophicę ſummæ corpore, philoſophiæ rationalis propriore vocabulo nuncupatur. Tu illam, amice Lector, læto excipe vultu, ſicut primam excipere dignatus es, vt videlicèt tua iterum benignitate, meorumq; operum approbatione commotus, philoſophicam materiam lætior proſequar, argumento ipſo tantò nobiliorem; ſiquidem ſpero, procul abactis logicarum difficultatum veluti ſenticetis, grandiore greſſu, per ſemitas roſis obſitas, vt in primis duabus partibus contigit experiri, meum ad finem vſque proceſſurum in poſterum curſum philoſophicum.

INDEX

INDEX LIBRORVM, DISPVTATIONVM, ET ARTICVLORVM.

DISPVTATIO PROEMIALIS:
De exiſtentia, & neceſſitate Logicæ.

Art.1. *QVid, & quotuplex ſit Logica? pag.* 17
Art.2. *An detur Logica docens tàm actualis, quàm habitualis? Vbi an illa ſit ſimpliciter neceſſaria? pag.* 21
Art.3. *An Logica ſit neceſſaria ad alias ſcientias? p.* 29
Art.4. *An habitus Logicæ vtentis ſit diſtinctus ab habitu Logicæ docentis? pag.* 34

LIBER PRIMVS.
De Scientia in vniuerſum.

DISPVTATIO PRIMA:
De Scientia habituali. Vbi de habitibus.

Art.1. *QVid ſit habitus, & an ſit? pag.* 40
Art.2. *An dentur habitus in ſenſibus, & membris externis? pag.* 44
Art.3. *In quonam ſubiecto propriè dentur habitus? Vbi an dentur in brutis, & Angelis? pag.* 48

Art.4. *An habitus ſit aliq̃d formaliter merè negatiuũ?* 57
Art.5. *An habitus conſiſtat formaliter in ſpeciebus impreſſis? pag.* 59
Art.6. *An habitus conſiſtat formaliter in ſpeciebus expreſſis, ſeu cognitionibus obiectorum? pag.* 64
Art.7. *Aſſertur vera ſẽtẽtia de quidditate habitus.p.*67
Art.8. *An habitus ſit nobilior actu? Et quo genere cauſalitatis cauſetur ab illo? pag.* 70
Art.9. *Soluuntur argumenta Durandi, & Scoti. p.* 77
Art.10. *An ſinguli actus ſint ſufficientes ad habitum generandum? pag.* 80
Art.11. *An habitus intendatur per ſingulos actus, etiam remiſſos? pag.* 82
Art.12. *An habitus remittatur, & corrumpatur per ſolam ceſſationem ab actibus? pag.* 87
Art.13. *An habitus remittatur, & corrumpatur formaliter ab actibus contrarijs? pag.* 90
Art.14. *An habitus cõcurrat ad actũ, & quomodo? p.*94
Art.15. *An habitus concurrat immediatè ad actũ? p.*97
Art.16. *Quis, & quotuplex ſit finis habitus? pag.* 102
Art.17. *An ſcientiæ totales habituales ſint vna ſimplex qualitas, an ex pluribus compoſita? pag.* 105

DISPVTATIO SECVNDA.

De habitu Logicæ in particulari, ſeu de obiecto ipſius.

Art.1. *QVid ſit obiectũ in genere, & quotuplex?* 111
Art.2. *Proponuntur variæ ſententiæ de obiecto Logicæ. pag.* 113

Art.3. *Reÿcitur prima ſententia Nominalium.* p.115
Art.4. *Reÿcitur ſecunda ſententia Zabarellæ.pag.* 119
Art.5. *Reÿciuntur aliæ duæ poſtremæ ſententiæ.p.* 122.
Art.6. *Statuitur quodnam ſit obiectum materiale proximum Logicæ. Vbi an definitio ſit prima operatio intellectus, vel ſecunda, & an detur veritas formalis ſoli oppoſita ignorantiæ? pag.* 127
Art.7. *Quid ſit obiectum formale, & quid obiectum attributionis Logicæ? pag.* 134

DISPVTATIO TERTIA.

De Scientia actuali.

Art.1. *Quid ſit sciẽtia actualis, & quotuplex? p.*138
Art.2. *Quid ſit demõſtratio, & quotuplex? p.*143
Ar.3. *Quomodo ſit faciẽdus regreſſus demõſtratiuus?*145
Art.4. *An detur ſcientia actualis de nouo? pag.* 147
Art.5. *An Logica ſit ſcientia? pag.* 151
Art.6. *Quid ſit cognitio, ſeu ſcientia ſpeculatiua, & quotuplex? pag.* 155
Art.7. *Quid requiratur ad hoc, vt vna ſcientia dicatur alteri ſubalternata? pag.* 160
Art.8. *An poſſint eſſe ſimul in eodẽ intellectu actus ſciẽtiæ, & opinionis de eodẽ formaliter obiecto? p.* 164
Art.9. *An ſaltem poſſint ſimul eſſe actus ſcientiæ cum actu fidei, vel quolibet alio actu opinatiuo, includente ſolum formidinem radicalem? pag.* 173
Art.10. *Soluuntur argumenta prò phyſica coniungibilitate ſcientiæ cum opinione? pag.* 186
Art.11. *An poſſit vnus, idemq; actus eſſe formaliter opinio, &*

nio, & ſcientia de eodem obiecto? Examinatur opinio P. Sfortiæ Pallauicini. pag. 195
Art. 12. *Reſoluitur ſtatus quæſtionis, & multiplici argumento probatur, non poſſe vnum, eumdemque actum eſſe ſimul opinatiuum, & ſciẽtificum. p.* 210
Art. 13. *An ſaltẽ poſſint dari ſimul habitus opinatiuus, & ſcientificus? pag.* 217
Art. 14. *Quid ſit cognitio, ſeu ſcientia practica, & an illa ſit? pag.* 222
Art. 15. *Soluuntur argumenta contraria? pag.* 227

DISPVTATIO QVARTA.
De Natura Logicæ.

Art. 1. *AN Logica ſit ſcientia practica, vel ſpeculatiua? pag.* 236
Art. 2. *Soluuntur argumenta contraria. pag.* 239
Art. 3. *Soluitur aliud argumentũ petitũ ex dirigibilitate operationis intellectiuæ. Vbi multa inſeruntur de imperio volũtatis in ipſos actus intellectiuos. p.* 248
Art. 4. *Soluitur vltimum argumẽtum petitum ex reflexione Logicæ ſupra operationes intellectus. Vbi probatur, omnes actus tàm volitiuos, quàm intellectiuos reflectere ſupra ſe? pag.* 253

DISPVTATIO QVINTA.
De virtutibus intellectus, ſeu philoſophicis.

Art. 1. *QVid ſit virtus intellectualis, ſeu philoſophica, & quotuplex? pag.* 264
Art. 2. *An Logica ſit virtus intellectualis, & quæ? p.* 269

LIBER

LIBER SECVNDVS.

De vniuerſalibus tàm in genere, quàm in ſpecie.

DISPVTATIO PRIMA.

De vniuerſalibus in genere.

Art.1. QVid, & quotuplex ſit vniuerſale? p. 277
Art.2. An detur vniuerſale à parte rei? Examinantur, & reijciũtur opiniones Nominalium, Platonis, Caietani, & Scoti? pag. 283
Art.3. Reijcitur ſẽtẽtia Fonſecæ, & ſtatuitur noſtra. 289
Art.4. Soluuntur argumenta contraria. Vbi an ſimilitudo ſit vnitas? Et an detur diſtinctio ſpecifica hominis ab equo, etiam nullo intellectu cogitante? pag. 295
Art.5. Quænam ſit vnitas requiſita ad faciẽdum vniuerſale? pag. 303
Art.6. Soluuntur poſtrema quinque argumẽta. Vbi quæritur, an vniuerſale multiplicetur ad multiplicationem abſtractionum? Et an ſimplex apprehenſio confuſa diſtinguatur ſpecie à iudicio confuſo? pag. 310
Art.7. Quid ſit abſtractio, ſeu cognitio abſtractiua? Vbi multa inſeruntur de natura, & cauſa claritatis, & obſcuritatis in cognitionibus. Et ſtatuitur, ad vniuerſale non requiri cognitionem reflexam negationis inferiorum? pag. 320
Art.8. Quænam ſit abſtractio propria vniuerſalis? p. 328
Art.9. Quomodo fiat hæc abſtractio? Vbi an vniuerſale fiat

fiat ab intellectu agente, an à paſſibili? pag. 333
Art.10. *Quid ſit aptitudo naturæ vniuerſalis ad eſſẽdum in multis? pag.* 337
Art.11. *Quid ſit prædicabilitas vniuerſalis logici in eſſe logici? pag.* 343
Art.12. *An vniuerſale in actuali prædicatione retineat formaliter vniuerſalitatem? pag.* 348
Art.13. *An poſſit fieri vniuerſale ab alia potentia, præter intellectiuam? pag.* 357
Art.14. *An per ſolam primam operationem intellectus propriè fiat vniuerſale incomplexum? Vbi de alijs ipſius cauſis. Et expenduntur nonnullæ difficultates circa hanc materiam? pag.* 361
Art.15. *An Deus, & Angeli poſſint facere vniuerſale?* 368

DISPVTATIO SECVNDA

De vniuerſalibus in ſpecie, ſeu prædicabilibus.

Art.1. *QVot ſint prædicabilia, & quæ? pag.* 380
Art.2. *Quid ſit genus, & an bene definiatur? p.* 386
Art.3. *Quid, & quomodo definiatur per definitionem Generis? pag.* 394
Art.4. *An ſit neceſſarium ad genus formaliter, quod dentur de facto plures ſpecies? pag.* 397
Art.5. *Quid, & quotuplex ſit ſpecies? pag.* 404
Art.6. *An poſſit dari indiuiduum eſſẽtialiter immultiplicabile in ſua ſpecie? Vbi an Angeli differant inter ſe ſpecie, & quomodo? pag.* 410
Art.7. *Soluuntur alia argumẽta contra multiplicitatem numericam Angelorum, & prò poſſibilitate indiui-*

dui

dui in ſua ſpecie immultiplicabilis? pag. 418

Art.8. *Quid ſit differre ſpecie? Vbi an poſſint duo diſtingui ſpecie merè negatiuè? pag.* 424

Art.9. *Quid, & quotuplex ſit differentia? Vbi an dentur differentiæ vltimæ ſimplices? pag.* 433

Art.10. *De Proprio, & Accidente? pag.* 443

DISPVTATIO TERTIA.

De præciſionibus obiectiuis.

Art.1. *PRoponitur ſtatus quæſtionis; Et examinatur doctrina P. Antonij Perez? pag.* 448

Art.2. *An excluſio entitatis vtcumq; defectuoſæ ſit formaliter perfectio in excludente? Vbi an omne creatum ſit purus defectus? Et quomodo dicatur defectuoſum per oppoſitionem cum Deo? pag.* 459

Art.3. *An verè poſſit dari præciſio obiectiua? Vbi affertur diſparitas, quare debeat in Deo admitti, non autem in creatis? pag.* 467

Art.4. *Soluuntur argumenta contrà diſparitatem allatã ad probandã præciſionẽ obiectiuã in diuinis, illamq; vt improbabilem reijciendam in creatis. pag.* 479

LIBER TERTIVS.

De interpretatione, ſeu periermenias.

DISPVTATIO PRIMA.

De vocum ſignificatione.

Art.1. *AN ſignificent naturaliter, vel ad placitum? pag.* 491

Art.2.

Art.2. *In quo formaliter conſiſtat ſignificatio vocũ? Vbi an liceat earum prolatio materialis? Et quomodo Confeſſarij poſſint abſq; mendacio negare, ſe audiſſe in confeſſione peccata, quæ verè audierunt? Examinatur opinio Patris Pallauicini. pag.* 498

Art.3. *An voces ſignificent res immediatè, an verò ſolùm medijs conceptibus? pag.* 514

DISPVTATIO SECVNDA.

De Veritate.

Art.1. *Q Vænam ſint cauſæ materialis, & formalis veritatis? pag.* 519

Art.2. *An poſſit eadem propoſitio ex vera fieri falſa, vel eſſe ſimul vera, & falſa? Vbi an poſſit veritas fieri maior, vel minor? pag.* 527

LIBER QVARTVS.

De Prædicamentis.

DISPVTATIO PRIMA.

De Anteprædicamentis.

Art.1. *D E vniuocis, æquiuocis, & denominatiuis. pag.* 540

Art.2. *An dentur analoga, & quid ſint? Afferuntur opiniones auctorum de analogis? pag.* 545

Art.3. *Reijciuntur prædictæ ſententiæ. Et ſtatuitur quid ſit dicendum de analogis? pag.* 551

Art.4. *An ens ſit vniuocum? pag.* 557

DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA.

De prædicamentis in genere.

Art. vnicus. AN fuerint bene diuiſa prædicamenta? Vbi de regulis antepredicamentalibus? pag. 564

DISPVTATIO TERTIA.

De prædicamento ſubſtantiæ.

Art. 1. QVid, & quotuplex ſit ſubſtantia, & quæ eius proprietates? pag. 568
Art. 2. An bene, & quomodo diuidatur ſubſtantia in primam, & ſecundam? pag. 572
Art. 3. Per quid diſtinguatur ſubſtãtia ab accidẽte? p. 579
Art. 4. An Deus, & Angeli contineantur ſub prædicamento ſubſtantiæ? Vbi ſtatuitur primum genus talis prædicamenti? pag. 580
Art. 5. Soluuntur varia argumenta contra ea, quæ ſparſim diximus in tota hac diſputatione. pag. 588

DISPVTATIO QVARTA.

De prædicamento *ad aliquid*, ſeù de relatione.

Art. 1. QVid ſit relatio, & quotuplex? pag. 592
Art. 2. An dentur relationes, quæ conſtituant peculiare prædicamentum? Vbi aſſertur diſcrimen inter prædicamentales, & tranſcendentales? p. 596
Art. 3. An relatio prædicamẽtalis ſit aliqua entitas, ſiue modalis, ſiue realis ſuperaddita extremis? p. 601

Art.4. *Soluuntur omnia argumenta allata contra doctrinam de relationibus? pag.* 609

DISPVTATIO QVINTA.

De Poſtprædicamentis.

Art.1. *DE oppoſitis, & priori? pag.* 625

Art.2. *De ſimul, motu, & habere? pag.* 630

LIBER QVINTVS.

Priorum, & poſterorum.

DISPVTATIO VNICA.

De forma, & quidditate ſyllogiſmi.

Art.1. *AN concluſio ſit de eſſentia, & quidditate intrinſeca ſyllogiſmi? Vbi an præmiſſæ cauſent efficienter concluſionem? pag.* 635

Art.2. *An poſitis præmiſſis, neceſſitetur formaliter intellectus ad concluſionem, & quomodo? pag.* 639

Art.3. *An concluſio reflectat ſupra obiectum præmiſſarum? Vbi an requiratur iudicium de bonitate illationis? pag.* 636

Art.4. *An concluſio poſſit eſſe notior, & certior, quàm præmiſſæ? Vbi an concluſio ſit eſſentialiter concluſio? pag.* 652

Art.5. *An debeant præmiſſæ eſſe ſimul cum concluſione? pag.* 656

LIBER

IN VNIVERSAM ARISTOTELIS LOGICAM
LIBRI QVINQVE

DISPVTATIO PROEMIALIS

De Exiſtentia, & neceſſitate Logicæ.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid, & quotuplex ſit Logica?

PRIVSQVAM decernamus, an verè detur logica, quam inquirimus, aliqua ſunt obſeruanda. Primum eſt omnes artes, & ſcientias eſſe inſtitutas ad corrigendas illas operationes, quę cum poſſint bene, vel malè fieri, natura ſemper in deterius ruente, fierent plerumque malè, niſi artium, vel ſcientiarum quaſi ductu corrigerentur. Quare ad viſionem, auditionem, nutritionem, augmentationem, motus labrorum, obductionem oculorum, aliaſque id genus operationes nulla datur ars, eo quod ad illas vel ſimus à natura omnino deter-

Digitized by Google

determinati, vel tantam experiamur prop .rtionem, vt ex vna parte nihil, aut fere nihil prodeſſet Facultatum regimen, & ex alia præceptorum ingenti multiplicitate minueretur potius, quàm augeretur facilitas operandi.

Alterum, quod obſeruandum cenſeo, eſt, nomine logicæ nihil aliud à nobis intelligi in præſentia, quàm facultatem aliquam, quæ inſtruat intellectum ad illas eliciendas operationes rectas, quas poſſet cæteroqui reſpuere, & loco illarum elicere prauas. Quare logica non verſatur circa prima principia, vel circa illas operationes, quæ cùm ſint ex terminis notiſſimę, non poſſunt ab intellectu male fieri, neq; poſſunt ex imperio voluntatis ab illo reſpui; ſed ſolum circa alias, quę cùm non ſint ita ex terminis notæ, poſſunt bene, vel male fieri, & per cõſequens indigent facultate aliqua directrice, & ſubduntur etiam imperio voluntatis. Vnde aliqui occaſionem ſumpſere, logicam diſtinguendi in naturalem, & artificialem. Nomine logicæ naturalis intellexere inclinationem illam, quam homines habent ad diſcurrendum ex principio ſibi intrinſeco ratiocinandi. Ex vi cuius videmus aliquando, etiam homines rudes egregiè inferre nonnullas conſequentias, præcipuè ſpectantes ad ſuas res, quas viri docti non ita facile elicerent, vel ſaltem quæ videntur deduci ex habitu quodam intrinſeco ſcientifico, qui propriè reperitur in ſolis doctis. Nomine autem logicę artificialis intelligunt illam, quam hic inquirimus, eam videli-

delicet, quæ ratiocinandi magiſtra, tradit præcepta, & leges ad bene diſcurrendum in quacumque materia, non caſu, & dubitanter, vt faciunt rudes, ſed certò, & in fallibiliter; adeo vt, ſi opus fuerit, non ſemel, aut iterum, ſed horas ipſas, immo ipſas dies, intelligentia illis in ſtructa, melius ſemper, meliuſque ratiocinando conſumeret.

Hæc autem alia eſt actualis, & alia habitualis. Actualis eſt complexum illorum omnium præceptorum, quibus intellectus dirigitur ad bene diſcurrendum. Habitualis eſt ille habitus, qui eſt principium illius facilitatis, quam intellectus experitur, ad bene definiendum, diuidendum, & ſyllogizandum, ortus ex frequentatione talium præceptorum. Vtraque autem diuiditur in vniuerſalem, & particularem.

Logica actualis vniuerſalis eſt illa, quæ tradit præcepta vniuerſalia, & particularis particularia, ſicut habitualis vniuerſalis, quæ dat facilitatem ad bene operandum vniuerſaliter, ideſt in quacunque materia, & particularis ſolum in aliqua, Quare liber prædicamentorum, inquo traduntur præcepta ſpectantia ad bene apræhendendum, quod eſt proprium primæ operationis; Et libri perhiermenias, inquibus traduntur præcepta ad bene iudicandum, quod eſt proprium Secundę: Et libri priorum, inquibus traduntur leges ad bene in ferendum, ſeu deducendum vnum ex alio, quod eſt proprium Tertie: Præterea libri poſteriorum quibus dirigitur intellectus ad bene ſyllogizandum in

materia neceſſaria: Topicorum, quibus dirigitur in materia probabili, & elenchorum in apparenti, dicuntur logicæ particulares, quia videlicet eorum præcepta non tranſeunt materiam aliquam particularem; Horum autem omnium complexum erit logica vniuerſalis. Caueas tamen, hinc deducas, hos omnes libros nuper citatos eſſe formaliter partes logicę; Hoc enim infrà, ſeorſim decernetur ſub loco, cùm nobis hic ſatis ſit aſſignare diſcrimen inter logicam vniuerſalem, & particularem, prò quo vtimur terminis iuxta communem, ſeu probabilem multorum opinionem.

Nomine igitur logicæ ſimpliciter, & abſolutè loquendo intelligitur logica habitualis vniuerſalis, quæ diuiditur in docentem, & vtentem. Logica docens dicitur à docendo, eo quod doceat modum bene operandi, quatenus videlicet tradit præcepta, ſeu leges directrices. Eadem vero quatenus vtitur ſuiſmet pręceptis ad regulandos ſuos actus elicitos, ſeù quicunque ſit huius modi habitus, ab vſu talium præceptorum, dicitur logica vtens.

Hinc celebris inſtituitur quæſtio, an logica hæc vtens ſit habitus diſtinctus ab habitu logicæ docentis, nec ne? Nos paucis quęſtionem abſoluemus, poſtquam viderimus, dari logicam docentem, illiuſque neceſſitatis pondus ad trutinam reuocauerimus.

ARTI-

ARTICVLVS SECVNDVS.

An detur logica docens tàm actualis, quàm habitualis? Vbi an illa ſit ſimpliciter neceſſaria?

ATTVLIMVS vſque adhuc definitionem logicæ, loquendo de definitione *quid nominis*, definitionem *quid rei* allaturi ex profeſſo in libris infra tradendis. Ordo ergo doctrinæ poſcit, vt ad queſtionem *quid ſit*? ſubſequatur immediatè quæſtio *an ſit*?

Prima concluſio. *Datur logica docens vniuerſalis tàm actualis, quàm habitualis*. Probatur Prima pars, quia de facto dantur præcepta, & leges ad bene definiendum, diuidendum, & ſyllogizandum, vt videre eſt in libris ſupracitatis. Sed ſingula hęc præcepta ſunt logicæ particulares, ergo omnium præceptorum complexum erit logica vniuerſalis, eo quod ſicut ſingula dirigunt ſolum in aliqua materia, ita & omnia dirigunt vniuerſaliter in omni materia.

Probatur Secunda pars, quia cum ſinguli actus generent habitum, vt infra probabitur, & de facto ingenia exerceant actus logicæ actualis, paulatim acquirunt facilitatem ad illos eliciendos, adeoque principium talis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

facilitatis. Sed hoc aliud non eſt, quàm habitus logicæ habitualis. ergo de facto acquirunt logicam habitualem.

Confirmatur, quia videmus de facto, homines non ſolùm bene definire, diuidere, & ſyllogizare certo & infallibiliter, ſed etiam in huiuſmodi operationibus voluptatem; & facilitatem ſentire. Sed illud primum ſupponit logicam actualem, à qua dirigantur, & hoc Secundum habitualem, à qua iuuentur. ergo datur logica tàm actualis, quàm habitualis.

Secunda concluſio: *Logica eſt ſimpliciter neceſſaria ad bene definiendum, diuidendum, & ſyllogizandum.* Explicatur concluſio. Dupliciter poteſt conſiderari vt neceſſaria logica. Primo vt neceſſaria ſimpliciter, hoc eſt præſcindendo ab hoc, quod illa iuuet ad reliquarum ſcientiarum acquiſitionem, nec ne? Adeo vt etiam ſi nulla alia detur ſcientia, ad hùc illa ſit neceſſaria. Altero modo conſideratur logica vt neceſſaria ſolum *ſecundum quid*, hoc eſt ex ſuppoſitione quod dentur aliæ ſcientiæ, in ordine ad illarum acquiſitionum, ſeu vſum. Nos hic non conſideramus logicam in hoc ſecundo ſenſu, ſed in illo primo, & aſſerimus, logicam perſe, præſcindendo ab omni alio eſſe omnino neceſſariam ad hoc vt intellectus bene operetur.

Probatur, Primò, quia quoties aliqua operatio poteſt bene, vel male fieri, debet dari aliqua certa regula ad hoc vt operans dirigatur, ne erret in operando. Sed definitiones, diuiſiones, & ſyllogiſmi poſſunt bene, vel

male

male fieri. ergo ad hoc vt bene fiant, debet dari aliqua certa regula, & infallibilis, à qua operans dirigatur. Hæc autem aliud non poteſt eſſe, quàm logica. Ergo debet dari logica. Sed illud, quod debet dari in ordine ad aliquid, eſt ſimpliciter ad illud neceſſarium. ergo logica eſt ſimpliciter neceſſaria ad operationes ſupra relatas, quas nemo tuto, & infallibili quodam tenore conficeret ſine illa.

Confirmatur, quia vbi datur indeterminatio ex parte operantis, debet dari determinatiuum, à quo operans determinetur. Sed in noſtro intellectu datur indeterminatio, quandoquidem neque eſt determinatus ad bene, neque ad malè operandum. ergo debet dari determinatiuum, ad hoc vt determinetur ad bene potius, quàm ad malè operandum. Sed hoc determinatiuum eſt logica. ergo debet dari logica.

Probatur Secundo a pari, quia tota ratio, vnde Ariſtoteles colligit, eſſe neceſſariam Rhetoricam, eſt quia accuſatio, & defenſio, quæ ſunt eius obiectum, poſſunt bene, vel male fieri. ergo ſi operationes intellectus, quæ ſunt obiectum logicæ, poſſunt bene vel male fieri, erit neceſſaria logica, à qua dirigantur.

Probatur Quarto quia Ariſtoteles 2. met. t. 15. ait, abſurdũ eſſe quærere ſimul ſcientiã, & modum ſciendi. Per modum autem ſciendi intellexiſſe logicam probant D. Thomas, Albertus, & alij. ergo abſurdum eſt dicere, logicam eſſe idem, atque habitum aliarum ſcientiarum. & per conſequens dicendum eſt illam eſſe habi-

Art.2. *In quo formaliter conſiſtat ſignificatio vocũ? Vbi an liceat earum prolatio materialis? Et quomodo Confeſſarij poſſint abſq; mendacio negare, ſe audiſſe in confeſſione peccata, quæ verè audierunt? Examinatur opinio Patris Pallauicini. pag.* 498

Art.3. *An voces ſignificent res immediatè, an verò ſolùm medijs conceptibus? pag.* 514

DISPVTATIO SECVNDA.

De Veritate.

Art.1. *QVænam ſint cauſæ materialis, & formalis veritatis? pag.* 519

Art.2. *An poſſit eadem propoſitio ex vera fieri falſa, vel eſſe ſimul vera, & falſa? Vbi an poſſit veritas fieri maior, vel minor? pag.* 527

LIBER QVARTVS.

De Prædicamentis.

DISPVTATIO PRIMA.

De Anteprædicamentis.

Art.1. *DE vniuocis, æquiuocis, & denominatiuis. pag.* 540

Art.2. *An dentur analoga, & quid ſint? Afferuntur opiniones auctorum de analogis? pag.* 545

Art.3. *Reijciuntur prædictæ ſententiæ. Et ſtatuitur quid ſit dicendum de analogis? pag.* 551

Art.4. *An ens ſit vniuocum? pag.* 557

DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA.

De prædicamentis in genere.

Art. vnicus. AN fuerint bene diuiſa prædicamenta? Vbi de regulis antepradicamentalibus? pag. 564

DISPVTATIO TERTIA.

De prædicamento ſubſtantiæ.

Art. 1. QVid, & quotuplex ſit ſubſtantia, & quæ eius proprietates? pag. 568

Art. 2. An bene, & quomodo diuidatur ſubſtantia in primam, & ſecundam? pag. 572

Art. 3. Per quid diſtinguatur ſubſtãtia ab accidẽte? p. 579

Art. 4. An Deus, & Angeli contineantur ſub prædicamento ſubſtantiæ? Vbi ſtatuitur primum genus talis prædicamenti? pag. 580

Art. 5. Soluuntur varia argumenta contra ea, quæ ſparſim diximus in tota hac diſputatione. pag. 588

DISPVTATIO QVARTA.

De prædicamento *ad aliquid*, ſeù de relatione.

Art. 1. QVid ſit relatio, & quotuplex? pag. 592

Art. 2. An dentur relationes, quæ conſtituant peculiare prædicamentum? Vbi aſſertur diſcrimen inter prædicamentales, & tranſcendentales? p. 596

Art. 3. An relatio prædicamẽtalis ſit aliqua entitas, ſiue modalis, ſiue realis ſuperaddita extremis? p. 601

Art.4. *Soluuntur omnia argumenta allata contra doctrinam de relationibus? pag.* 609

DISPVTATIO QVINTA.

De Poſtprædicamentis.

Art.1. *DE oppoſitis, & priori? pag.* 625
Art.2. *De ſimul, motu, & habere? pag.* 630

LIBER QVINTVS.

Priorum, & poſterorum.

DISPVTATIO VNICA.

De forma, & quidditate ſyllogiſmi.

Art.1. *AN concluſio ſit de eſſentia, & quidditate intrinſeca ſyllogiſmi? Vbi an præmiſſæ cauſent efficienter concluſionem? pag.* 635
Art.2. *An poſitis præmiſſis, neceſſitetur formaliter intellectus ad concluſionem, & quomodo? pag.* 639
Art.3. *An concluſio reflectat ſupra obiectum præmiſſarum? Vbi an requiratur iudicium de bonitate illationis? pag.* 636
Art.4. *An concluſio poſſit eſſe notior, & certior, quàm præmiſſæ? Vbi an concluſio ſit eſſentialiter concluſio? pag.* 652
Art.5. *An debeant præmiſſæ eſſe ſimul cum concluſione? pag.* 656

LIBER

IN VNIVERSAM ARISTOTELIS LOGICAM
LIBRI QVINQVE

DISPVTATIO PROEMIALIS

De Exiſtentia, & neceſſitate Logicæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid, & quotuplex ſit Logica?

PRIVSQVAM decernamus, an verè detur logica, quam inquirimus, aliqua ſunt obſeruanda. Primum eſt omnes artes, & ſcientias eſſe inſtitutas ad corrigendas illas operationes, quę cum poſſint bene, vel malè fieri, natura ſemper in deterius ruente, fierent plerumque malè, niſi artium, vel ſcientiarum quaſi ductu corrigerentur. Quare ad viſionem, auditionem, nutritionem, augmentationem, motus labrorum, obductionem oculorum, aliaſque id genus operationes nulla datur ars, eo quod ad illas vel ſimus à natura omnino

B detr-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

determinati, vel tantam experiamur propoſitionem, vt ex vna parte nihil, aut fere nihil prodeſſet Facultatum regimen, & ex alia præceptorum ingenti multiplicitate minueretur potius, quàm augeretur facilitas operandi.

Alterum, quod obſeruandum cenſeo, eſt, nomine logicæ nihil aliud à nobis intelligi in præſentia, quàm facultatem aliquam, quæ inſtruat intellectum ad illas eliciendas operationes rectas, quas poſſet cæteroqui reſpuere, & loco illarum elicere prauas. Quare logica non verſatur circa prima principia, vel circa illas operationes, quæ cùm ſint ex terminis notiſſimę, non poſſunt ab intellectu male fieri, neq; poſſunt ex imperio voluntatis ab illo reſpui; ſed ſolum circa alias, quæ cùm non ſint ita ex terminis notæ, poſſunt bene, vel male fieri, & per cõſequens indigent facultate aliqua directrice, & ſubduntur etiam imperio voluntatis. Vnde aliqui occaſionem ſumpſere, logicam diſtinguendi in naturalem, & artificialem. Nomine logicæ naturalis intellexere inclinationem illam, quam homines habent ad diſcurrendum ex principio ſibi intrinſeco ratiocinandi. Ex vi cuius videmus aliquando, etiam homines rudes egregiè inferre nonnullas conſequentias, præcipuè ſpectantes ad ſuas res, quas viri docti non ita facile elicerent, vel ſaltem quæ videntur deduci ex habitu quodam intrinſeco ſcientifico, qui propriè reperitur in ſolis doctis. Nomine autem logicę artificialis intelligunt illam, quam hic inquirimus, eam videli-

delicet, quæ ratiocinandi magiſtra, tradit præcepta, & leges ad bene diſcurrendum in quacumque materia, non caſu, & dubitanter, vt faciunt rudes, ſed certò, & infallibiliter; adeo vt, ſi opus fuerit, non ſemel, aut iterum, ſed horas ipſas, immo ipſas dies, intelligentia illis inſtructa, melius ſemper, meliuſque ratiocinando conſumeret.

Hæc autem alia eſt actualis, & alia habitualis. Actualis eſt complexum illorum omnium præceptorum, quibus intellectus dirigitur ad bene diſcurrendum. Habitualis eſt ille habitus, qui eſt principium illius facilitatis, quam intellectus experitur, ad bene definiendum, diuidendum, & ſyllogizandum, ortus ex frequentatione talium præceptorum. Vtraque autem diuiditur in vniuerſalem, & particularem.

Logica actualis vniuerſalis eſt illa, quæ tradit præcepta vniuerſalia, & particularis particularia, ſicut habitualis vniuerſalis, quæ dat facilitatem ad bene operandum vniuerſaliter, ideſt in quacunque materia, & particularis ſolum in aliqua, Quare liber prædicamentorum, inquo traduntur præcepta ſpectantia ad bene apprehendendum, quod eſt proprium primæ operationis; Et libri perhiermenias, inquibus traduntur præcepta ad bene iudicandum, quod eſt proprium Secundę: Et libri priorum, inquibus traduntur leges ad bene inferendum, ſeu deducendum vnum ex alio, quod eſt proprium Tertie: Præterea libri poſteriorum quibus dirigitur intellectus ad bene ſyllogizandum in

materia neceſſaria: Topicorum, quibus dirigitur in materia probabili, & elenchorum in apparenti, dicuntur logicæ particulares, quia videlicet eorum præcepta non tranſeunt materiam aliquam particularem; Horum autem omnium complexum erit logica vniuerſalis. Caueas tamen, hinc deducas, hos omnes libros nuper citatos eſſe formaliter partes logicę; Hoc enim infrà, ſeorſim decernetur ſub loco, cùm nobis hic ſatis ſit aſſignare diſcrimen inter logicam vniuerſalem, & particularem, pro quo vtimur terminis iuxta communem, ſeu probabilem multorum opinionem.

Nomine igitur logicæ ſimpliciter, & abſolutè loquendo intelligitur logica habitualis vniuerſalis, quæ diuiditur in docentem, & vtentem. Logica docens dicitur à docendo, eo quod doceat modum bene operandi, quatenus videlicet tradit præcepta, ſeu leges directrices. Eadem vero quatenus vtitur ſuiſmet preceptis ad regulandos ſuos actus elicitos, ſeù quicunque ſit huius modi habitus, ab vſu talium præceptorum, dicitur logica vtens.

Hinc celebris inſtituitur quæſtio, an logica hæc vtens ſit habitus diſtinctus ab habitu logicæ docentis, nec ne? Nos paucis queſtionem abſoluemus, poſtquam viderimus, dari logicam docentem, illiuſque neceſſitatis pondus ad trutinam reuocauerimus.

ARTI-

ARTICVLVS SECVNDVS.

An detur logica docens tàm actualis, quàm habitualis? Vbi an illa ſit ſimpliciter neceſſaria?

ATTVLIMVS vſque adhuc definitionem logicæ, loquendo de definitione *quid nominis*, definitionem *quid rei* allaturi ex profeſſo in libris infra tradendis. Ordo ergo doctrinæ poſcit, vt ad queſtionem *quid ſit*? ſubſequatur immediatè quæſtio *an ſit*?

Prima concluſio. *Datur logica docens vniuerſalis tàm actualis, quàm habitualis*. Probatur Prima pars, quia de facto dantur præcepta, & leges ad benè definiendum, diuidendum, & ſyllogizandum, vt videre eſt in libris ſupracitatis. Sed ſingula hęc præcepta ſunt logicæ particulares, ergo omnium præceptorum complexum erit logica vniuerſalis, eo quod ſicut ſingula dirigunt ſolum in aliqua materia, ita & omnia dirigunt vniuerſaliter in omni materia.

Probatur Secunda pars, quia cum ſinguli actus generent habitum, vt infra probabitur, & de facto ingenia exerceant actus logicæ actualis, paulatim acquirunt facilitatem ad illos eliciendos, adeoque principium talis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

male fieri. ergo ad hoc vt bene fiant, debet dari aliqua certa regula, & infallibilis, à qua operans dirigatur. Hæc autem aliud non poteſt eſſe, quàm logica. Ergo debet dari logica. Sed illud, quod debet dari in ordine ad aliquid, eſt ſimpliciter ad illud neceſſarium. ergo logica eſt ſimpliciter neceſſaria ad operationes ſupra relatas, quas nemo tuto, & infallibili quodam tenore conficeret ſine illa.

Confirmatur, quia vbi datur indeterminatio ex parte operantis, debet dari determinatiuum, à quo operans determinetur. Sed in noſtro intellectu datur indeterminatio, quandoquidem neque eſt determinatus ad bene, neque ad malè operandum. ergo debet dari determinatiuum, ad hoc vt determinetur ad bene potius, quàm ad malè operandum. Sed hoc determinatiuum eſt logica. ergo debet dari logica.

Probatur Secundo a pari, quia tota ratio, vnde Ariſtoteles colligit, eſſe neceſſariam Rhetoricam, eſt quia accuſatio, & defenſio, quæ ſunt eius obiectum, poſſunt bene, vel malè fieri. ergo ſi operationes intellectus, quæ ſunt obiectum logicæ, poſſunt bene vel malè fieri, erit neceſſaria logica, à qua dirigantur.

Probatur Quarto quia Ariſtoteles 2. met. t. 15. ait, abſurdũ eſſe quærere ſimul ſcientiã, & modum ſciendi. Per modum autem ſciendi intellexiſſe logicam probant D. Thomas, Albertus, & alij. ergo abſurdum eſt dicere, logicam eſſe idem, atque habitum aliarum ſcientiarum. & per conſequens dicendum eſt illam eſſe habi-

tum ab illis diſtinctum, cui propriè conueniat eſſe modum ſciendi. Sed modus ſciendi eſt ſimpliciter neceſſarius; fruſtrà enim darentur ſcientiæ ſine illo. ergo logica eſt ſimpliciter neceſſaria. Et ideo logica habet prò obiecto formali directionem operationum noſtri intellectus, quod nulli alteri conuenit, vt videlicet ab omnibus alijs tamquam omnium inſtrumentum; ſeu modus diſtinguatur.

Huic concluſioni triplex poteſt obijci argumentum. Primum eſt huiuſmodi. Non eſt neceſſaria ars, ſeu ſcientia circa id, ad quod ſumus à natura determinati. Sed intellectus noſter eſt à natura determinatus ad ſuas operationes, quæ ſunt illi maximè connaturales. ergo ad illas non eſt neceſſaria logica, ſiue hæc ſit ſcientia, ſiue ars. Secundum eſt: Sufficienter dirigitur intellectus ab alijs ſcientijs. ergo logica non eſt neceſſaria. Tertium eſt: Nulla operatio intellectus poteſt dirigi. ergo ad illas non poteſt eſſe neceſſaria logica, cuius vtilitas tota eſt in ordine ad directionem operationum intellectiuarum. Probatur antecedens, quia omnis operatio eſt eſſentialiter talis, videlicet recta eſſentialiter recta, & praua eſſentialiter praua. Cùm ergo omnis operatio ſit vel recta, vel praua, nulla poteſt à logica dirigi, quæ non poteſt facere, vt praua fiat recta; vel econuerſo.

Ad primum reſpondeo, argumentum procedere prò determinatione quoad ſubſtantiam, & quoad modum ſimul, non autem prò determinatione ſolum quo-

ad

ad ſubſtantiam, quàm vnicam agnoſcimus intellectui à natura communicâtam in ordine ad operandum. Vt autem reſponſionis veritas pateat, Aduertendum Primo, inter omnes noſtras potentias ſolam potentiam volitiuam eſſe liberam, quæ ideo eſt veluti regina, & rectrix cæterarum. Quare omnes artes, & ſcientiæ in tantùm ſunt vtiles, in quantum dirigunt libere operantem; Et ideo omnes verſantur in eo, vt inſtruant intellectum ad hoc, vt præparet voluntatem ad bene præcipiendas operationes illarum potentiarum, quæ ſubduntur imperio voluntatis; vt ſunt ipſemet intellectus, qui eſt potentia cognoſcitiua, ſaltem in ijs cognitionibus, ad quas non trahitur euidentia obiecti, & potentia loco motiua. Quare ſicut reſpectu operationum ipſius voluntatis datur in ipſa potentia volitiua habitus prudentiæ, a qua illa dirigatur ad bene volendum; Ita & reſpectu harum dantur ſcientię, & artes, illæ ad bene regulandas operationes cognoſcitiuas, & iſtæ ad bene regulandas operationes potentiæ loco motiuæ, quæ cum pendeant à voluntate, debent dirigi per illius directionem, vt iuſtis imperijs fiant: Quia tamen voluntas eſt potentia cæca, & vtitur loco luminis intellectu; Ideo non poteſt dirigi immediatè in ſe, ſed ſolum mediante ipſo intellectu, quo facem præferente, viamque quaſi digito demonſtrante, pateant voluntati obiecta omnia, non ſolum ipſi imperanti, ſed omnibus eius ſubditis eligibilia, quorum cognita bonitate, vel malitia, ſecernantur ex ipſius imperio quæ acceptentur

tur

tur vt bona, & quæ vt mala à ſingulis repudientur. Vnde patet, ſcientias omnes, & artes habere pro fine proximi ore, & magis immediato dirigere intellectũ, quàm voluntatem, in eoque recipi tamquam in proprio ſubiecto, non autem in voluntate, quam ſolum dirigunt per directionem intellectus, iuxta illud *nihil volitum, quin præcognitum*.

Aduertendum Secundo, intellectum cùm ſit potentia neceſſaria, & ſit factus ad operandum, propoſito ſibi obiecto, non poſſe illud non cognoſcere, poſſe tamen illud non taliter cognoſcere, ideſt non hac cognitione, ſed alia, & non cum tanta firmitate, vel certitudine aſſenſus. Illud igitur primum dicitur ſubſtantia cognitionis, & hoc Secundum dicitur modus, quia videlicet per illud ſimpliciter cognoſcit; & per hoc cognoſcit hac vel illa cognitione, quæ reſpectu cognitionis in genere habet rationem modi, eo quod illam modificet, & reſtringat ad hac potius, quam illa ratione cognoſcendum obiectum. Cum ergo logica dirigat intellectum, vt obiectum cognoſcat hoc potius, quàm illo modo; Ideo dicitur illum determinare quoad modum. Ad ſubſtantiam autem determinari dicitur à natura, quia ab illa habet, vt propoſito ſibi obiecto, illud nullatenus cognoſcere non poſſit.

Neque obſtat, quod modus operationis ſit identificatus cum eiuſdem ſubſtantia. Poſito enim, quod modus ſit rectitudo, & hæc ſit identificata cum ſubſtantia operationis, videtur non poſſe intellectus ad vnum

deter-

determinari, quin determinetur ad aliud. Hoc, inquam, non obſtat. Nam hoc ſolum verificatur de rectitudine illius operationis, quæ eſt recta; non autem de rectitudine conſiderata in ordine ad operationem *vt ſic*. Quare identitas talis rectitudinis cum tali operatione determinata, facit quidem, quod intellectus non poſſit determinari ad illam, quin determinetur ad hanc, non tamen facit, quod determinatus ad operationem *vt ſic*, determinetur etiam ad hanc operationem *vt hanc*. Sicut enim; quamuis *rationale* ſit idem cum *animali*, non valet proinde, quod totum illud, quod conuenit *animali*, conueniat etiam *rationali*; Ita quamuis hæc rectitudo ſit identificata cum ſubſtantia operationis; non tamen proinde ſequitur, determinationem ad hanc; eſſe quoque determinationem ad illam. Sed hoc melius patebit in reſponſione ad Tertium.

Ad Secundum nego antecedens. In tantum enim Phyſica ex. g. dirigit intellectum ad bene definiendum hominem; in quantum mutuatur a logica regulas, & præcepta bene definiendi. Cum enim Phyſica vult definire hominem, conſulit logicam; ab eaque edocta, accipiendum ſimul eſſe genus proximum, & differentiam vltimam illius, ponit in medium *animal* vt genus proximum, & *rationale* vt vltimam hominis differentiam, eumque tandem definit vtriuſque coniunctione. Idem dico de mathematica, alijſque ſcientijs, quæ non dirigunt ad bene definiendum, non enim docent quid

ſit

ſit neceſſarium ad bonam definitionem, ſed ſolum dirigunt ad exercenda præcepta logica, præbendo materiam definire volenti, iuxta illius præceptionem. Semper ergo remanet neceſſaria logica, vtpote quæ ſola inſtruat præceptorum phalangibus intellectum, vt retro tandem operationibus, tamquam hoſtibus abactis prauis, optimè ſemper operando, triumphum referat ex ignorantia.

Ad Tertium diſtinguo antecedens. Nulla operatio in ſpecie poteſt dirigi, concedo: nulla operatio in genere poteſt dirigi, nego antecedens, & cum illo conſequentiam. Pro intelligentia reſponſionis, notandum eſt, directionem logicæ non conſiſtere in hoc, quod intellectus noſter, poſtquam elicuit aliqua m operationem prauam, quaſi reſipiſcens ex aduertentia præceptorum logicæ, illam eamdem operationem, quam elicuit, ad trutinam redigat, & quaſi expoliat, vſque dum expulſa prauitate, faciat illam rectam. Hoc enim eſt impoſsibile. Directio ergo logicæ conſiſtit in hoc, quod logica præmoneat intellectum paratum ad operandum, vt ex duabus operationibus faciendis, quarum vna ſit praua, & altera recta, eliciat potius rectam, quàm prauam. Atque adeo directio ſit ſimul & ſemel quando elicitur operatio, & non poſtea. Eo modo, quo aliquis in binio anceps vtram eligat viam, dirigitur ab amico ad capeſsendam viam A., & per illam incedit, concurrente ad talem ambulationem directione Amici, non poſtquam abſoluit viam, ſed dùm

illam terit. Dicitur ergo intellectus dirigi ad operationem in genere, quia illud, quod immediatè, & proximè attingitur à logica, eſt complexum omnium operationum in genere, ſub quo ſecernit operationes prauas, vt reijciantur, à rectis, vt eliciantur.

Neque obſtat, quòd illamet operatio, quam elicit intellectus, fiat denpendenter à præceptis, adeoque dependenter à directione logicæ; Hoc enim ſolum probat, illam operationem in ſpecie, immo etiam in indiuiduo dirigi a logica *in fieri*, non autem *in facto eſſe*. Dirigi autem *in fieri* eſt dirigi *genericè*, non *ſpecificè*; Quia nihil eſt aliud, niſi quod ex vi præceptorum logicæ intellectus determinetur ad ponendam potius operationē A., quàm B., vel aliam quamcumque ex infinitis poſsibilibus, quas poſset elicere, quod coincidit cum eo, quod nuper diximus.

ARTICVLVS TERTIVS.

An logica ſit neceſſaria ad alias ſcientias?

IN quolibet actu elicito cuiuſcunque ſcientiæ duo poſſunt conſiderari, videlicet materia, ſeu obiectum, & forma, ſeu quidditas ipſius actus. Forma eſt ipſemet actus taliter factus. ex. g. *definitio*, *ſyllogiſmus*, &c. Materia eſt id, circa quod verſatur hic actus. ex. g. id, quod

quod definimus, circa quod ſyllogizamus &c. Quare ſicut eadem imago Cæſaris poteſt imprimi auro, marmore, vel argento; Ita eadem argumentandi forma, vel definiendi ſeruari poteſt in diuerſis materijs. Quæritur ergo, an ſcientiæ, quæ tribuunt materiam intellectui ſyllogizandi, definiendi &c. tribuant etiam illi formam ſyllogiſticam, vel aliam, an vero ſit neceſsaria aliqua alia ſcientia, quæ dicitur logica, cuius munus ſit reſpectu cuiuscunque materiæ ſyllogiſmi formam præbere, definitionis &c.?

Concluſio. *Logica eſt ſimpliciter neceſſaria ad comparandas perfectè omnes alias ſcientias.* Probatur Primo quia nulla ſcientia perfectè poſſidetur, vt ait Ariſtoteles Primo poſt. t. 5. niſi intellectus in eius acquiſitione fiat impertubabilis. Non poteſt autem fieri impertubabilis, niſi per actum reflexum fiat certus de ſua certitudine, eiuſque rationem reddere ſciat, eo quod (vt ait Plato) intellectus ſciens ſolum in re ſcita quieſcat. ergo cùm ita certitudo reflexa haberi non poſſit ſine logica, per cuius præcepta intellectus cognoſcat, ſe bene operatum eſſe, logica eſt ſimpliciter neceſſaria ad perfectè comperandam quamlibet aliam ſcientiam.

Probatur Secundo, quia in ſingulis ſcientijs multa ſunt maximè implicata, & referta paralogiſmis, & ſophiſticis argumentis, quibus ſoluendis aliquando etiam viri doctiſſimi elaborant. Eſt autem impoſſibile ſine aliqua certa regula ſemper, & facile per huiuſmodi

dì anfractus inoffenſo pede percurrere, ſicut eſt neceſſariũ ad perfectè comparandam aliquam ſcientiam. ergo cùm hæc regula certa non poſſit eſſe, niſi logica, illa eſt ſimpliciter neceſſaria ad perfectè comparandas omnes & ſingulas alias ſcientias.

Confirmatur experientia virorum doctrina præſtantium, qui tamen ſine logica ſæpiſſimè, & turpiſſimè falluntur in ſyllogizando, definiendo &c. Immò illi etiam, qui perfectiſſimè logicam didicere, per inaduertentiam ad eius præcepta aliquando paralogizant.

Obijcies Primò: Hypocrates, multique alij fuerunt excellentes Philoſophi antequam inueniretur logica. ergo logica non eſt neceſſaria. Secundo: Ipſemet Ariſtoteles logicæ iuuentor, ait 1. ethic. c. 1. ante omnes alias ſcientias, & facultates addiſcendam eſſe mathematicam. Et Plato eius magiſter nullum admittebat ad ſtudium Philoſophiæ, qui prius mathematicę operam non nauaſſet. ergo mathematica poteſt, immò debet addiſci ante logicam, & per conſequens hæc non poteſt eſſe ad illam neceſſaria. Tertio: Nullus habitus acquiſitus dat potentiæ ſimpliciter poſſe, ſed ſolum facile operari. Sed logica eſt habitus acquiſitus. ergo non dat intellectui ſimpliciter poſſe acquirere alias ſcientias, ſed ſolum illas facile exercere. Probatur maior, quia alioquin nullus daretur habitus acquiſitus, eo quod nullus eſſet poſſibilis actus, à quo ipſe gigneretur.

Ad Primum diſtinguo antecedens. Fuerunt excellen-

lentes Philoſophi, antequam inueniretur hæc logica, quoad modum, ideſt talibus terminis, & methodo ab Ariſtotele circumſcripta, concedo: Antequam inueniretur ſimpliciter, quoad ſubſtantiam, nego antecedens. Et eodem modo diſtinguo conſequens: hæc logica taliter tradita, & quoad modum non eſt neceſſaria, concedo: non eſt neceſſaria quoad ſubſtantiam, & ſaltem ſub alijs terminis, nego conſequentiam. Hi enim Philoſophi vel vſi ſunt alia logica, quam proprio marte inuenerunt; vel hac eadem ab alijs haulta ſub terminis ea tempeſtate florentibus; vel nullam ſcientiam recte poſſederunt; Videbantur autem ſapientiſſimi comparatione facta cum alijs, ſæculis illis rudibus, vel in ipſo meridiano Sole cæcutientibus.

Ad Secundum nego conſequentiam. Ariſtoteles enim ibi loquitur tantùm de ſcientijs realibus, quales ſunt Phyſica, & metaphyſica, non autem de ſcientijs rationalibus, qualis eſt logica. Præterquamquod ait eſſe addiſcendam mathematicam ſolum inchoatiuè, & imperfectè ſecundum aliquam ſui partem faciliorem, ad exercitium ingeniorum, non autem perfectè, & ſecundum omnem ſui partem. In cuius confirmationem ait. 6. ethic. c. 8. poſſe quidem pueros mathematicos eſſe, non autem Sapientes, ideſt Phyſicos, ſeu Philoſophos. Quia videlicet Pueri cùm ſint memoriæ tenaciſſimæ propter excedentem humiditatem, facile addiſcunt prima elementa mathematicæ, quæ ſunt potius opus imaginationis, & memoriæ, quàm ingenij, & pruden-

dentiæ.

Ad Tertium concedo totum. Nos enim hic non dicimus, logicam eſſe ſimpliciter neceſſariam ad comparandas ſimpliciter ſcientias, ſed ſolum ad illas perfectè comparandas. Quare argumentum nihil probat contra nos.

Dices. Omnis ſcientia debet probare ſuas concluſiones per principia certa, & euidentia, ideſt debet probare, quod hæc concluſio bene inferatur ex talibus præmiſſis &c. Sed etiam logica eſt ſcientia. Ergo etiam ipſa debet probare ſuas concluſiones per principia certa, & euidentia; adeoque vel præſupponit ſeipſam, vel etiam ſine ipſa poteſt fieri hęc probatio, & per conſequens logica non eſt ad alias neceſſaria.

Nego maiorem. Sola enim logica eſt illa, quę probat, quare ex talibus præmiſſis ſequatur hæc concluſio &c. Quo poſito, ſolum ex argumento ſequitur, omnem ſcientiam præſupponere logicam, quod vltrò concedo. Quod autem ipſa logica præſupponat ſe ipſā quoad aliquam ſui partem, nullum eſt abſurdum, vt videbimus infra.

ARTICVLVS QVARTVS.

An habitus logicę vtentis ſit diſtinctus ab habitu logicę docentis.

AD finem primi articuli diuiſimus logicam in docentem & vtentem; Hic ergo quærimus, an hæc diuiſio fuerit totius in partes, an generis in ſpecies, vel ſubiecti in accidentia? ideſt an nomine logicæ vtentis intelligatur ille idem habitus, qui dicitur docens ita vt quatenus tradit facilitatem ad bene præcipiendas bonas diuiſiones, definitiones, & ſyllogiſmos, dicatur docens, & quatenus tradit facilitatem ad exequenda hæc præcepta dicatur vtens, ab vſu ſuorum pręceptorum? An vero, ſint duo diuerſi habitus, quorum vnus det ſolum facilitatem ad imperandum, & dicatur docens, & alius det ſolum facilitatem ad exequendum, & dicatur vtens?

Vnica concluſio. *Habitus logicæ docentis non eſt diuerſus ab habitu logicæ vtentis, ſed vnus idemq; habitus dat facilitatem ad tradenda præcepta, & ad eadem exequēda.*

Probatur Primo inductione facta per omnes alias ſcientias. Vſus enim cuiuſcunque alius ſcientiæ reducitur ad eumdem habitum, qui tradit præcepta. Ex. g. vſus mathematicæ, videlicet actus facti circa materiam

riam

tiam mathematicam, iuxta præcepta talis ſcientiæ, ſpectant ad habitum eumdem, ad quem ſpectant huius modi præcepta: Et vſus phyſicæ ſpectat ad phyſicam, & metaphyſicæ ad habitum metaphyſicæ, & ſic de reliquis. ergo etiam vſus logicæ ſpectat ad habitum logicæ, adeoque diuiſio ipſius in docentem, & vtentem erit ſolum totius in partes, non autem generis in ſpecies, ſeu ſubiecti in accidentia.

Probatur Secundo à priori, quia omnis habitus in ſua ratione completus adiuuat vltimatè potentiam ad ſuos actus. Sed nullus habitus dans facilitatem ad præcipiendum, non autem ad exequendum adiuuat vltimatè potentiam ad ſuos actus. Ergo nullus habitus dans facilitatem ad præcipiendum, non autem ad exequendum eſt in ſua ratione completus. Maior eſt certa, quia ideo dantur habitus, vt per illos poſsit potentia exire facilius in ſuos actus. Probatur minor, quia ſi numquam intellectus poſsit actu ſuperare difficultatem, quam patitur in ſyllogizando ex. g. nihil illi prodeſt facilitas, quam habet ad tradenda præcepta de bene ſyllogizando. Sicut nihil prodeſt Petro facilitas, quam habet ad præcipiendum modum bene ſe defendendi in bello, ſi numquam poſsit illum ad praxim reducere, cum premitur hoſtibus. Ergo ne dicamus, habitum logicæ docentis eſſe incompletum; & in ſuo genere imperfectum, debemus dicere, quod det etiam facilitatem exequendi præcepta, quæ tradit in ordine ad exercendas alias logicæ operationes.

Probatur tertio ex Vaſquio, qui prima parte diſt inctione 8. ait, ſicut vlna dicitur & menſura lignea, & pannus menſuratus; Ita & logica dicitur tàm præceptum ipſum, quàm vſus præcepti, ſi loquamur de actuali; & facilitas tam ad præceptum, quàm ad vſum, ſi de habituali.

Probatur quarto ex Fonſeca lib.2.met.c.3.q.1.ſect.6. quia ſicut eadem differentia diuidit genus, & conſtituit ſpeciem; Ita idem habitus & tradit præcepta, & facilitat vſum. Huic opinioni ſubſcribit etiam D.Tho. 4. met. lect.4., quamuis totum dialecticæ vſum ad ſolam topicam transferat.

Obijcies Primo, Diuerſa eſt facilitas ad faciẽdũ ſyllogiſmum in *Barbara* ex. g., atque facilitas ad illius regulas tradendas. Ergo facilitas ad illum faciendum prouenit à diuerſo habitu, executiuo ſcilicet, non preceptiuo. Poſſum enim ego diù me exercere in tradendis illius regulis, & illas numquam exercere, ſicut faciunt illi, qui ſcribunt de re militari; nunquam enim exequuntur præcepta, inuadendi Vrbes, explodendi tormenta, cuniculos faciendi &c., quæ aſſiduo alijs tradunt.

Nego Primo conſequẽtiam. Nam etiam aſſenſus eſt diuerſus à diſſenſu circa idem obiectum, & tamen vterque prouenit ab eodem principio intellectiuo. Deinde diſtinguo maiorem: eſt diuerſa, hoc eſt diſtincta, ſeu alia, concedo: diuerſa, ideſt oppoſita, nego antecedens, & cum illo conſequentiã. Si enim quæcunque di-

diuerſitas in obiecto ſupponeret diuerſitatem in habitu tendēte circa tale obiectum, etiam pictura vt tradēs facilitatem ad permiſcendos colores eſſet diuerſus habitus ab eo, qui tradit pręcepta ad illos telę imprimendos, quod nem o dicet. Pręterea diuerſus etiam eſſet habitus logicę vt docens modum bene definiendi, ab habitu vt docente modum bene ſyllogizandi, adeoque darentur plures logicę, neque eſſet vna tantū ſcientia.

Quod ſi dicas, eſſe vnum habitum conflatum ex pluribus partibus, quarum vna det facilitatem ad diuidendum, & alia ad definiendum, adeoque eſſe plures quidem logicas partiales, vnam tamen ſcientiā totalem ex pluribus reſultantem. Si, inquam, hoc dicas, etiam ego dicam, partem dantem facilitatem ad præcipiendum ſyllogiſmum in *Barbara*, eſſe diuerſam ab illa, quę dat facilitatem ad illum faciendum, non tamen exinde ſequi eſſe duos habitus totales diſtinctos, ſed vnū totalem ex pluribus conflatum, quod vltro admitto.

Obijcies Secūdo: Si habitus vtens non eſſet diuerſus à docente, omnis habitus eſſet practicus, quia immediatè diſponeret ad operandum. Conſequens eſt falſum. Ergo & antecedens.

Nego ſequelam maioris. Nam eſſe practicum eſt reſpicere intrinſecè, & eſſentialiter opus, ſeu praxim. Hoc autem non eſt idem, atque præbere facilitatem ad opus. Præterquāquod omnis habitus ſpeculatiuus includit aliquam partem practicam, & nullus eſt adæquatè ſpeculatiuus. Quare poſſet diſtingui conſequens.

Omnis habitus eſſet inadæquatè, hoc eſt ſecundum aliquid ſui practicus concedo; eſset adæquatè practicus, hoc eſt ſecundum totum, nego conſequentiam:

Verum quia tota hæc difficultas pendet ex intelligentia tractatus de ſcientia, in quo agemus de habitibus; De ſcientia practica, & ſpeculatiua; & de alijs huiuſmodi ſpectantibus ad libros priorum, & poſteriorum; Ideò multa hic ſupponimus infra pro dignitate tractanda; videlicet; dari habitum, illumque eſſe qualitatem aliquam poſitiuam ſuperadditam genitam ex actibus, non quidem ſimplicem; & indiuiſibilem, ſed conſtantem expluribus partibus; à natura potentijs communicatam, non ſolum vt facilius; verum etiam vt diutius; & cum promptitudine eliciant illas operationes; ad quas tamquam ad finem ordinantur.

LIBER

LIBER PRIMVS:

De Scientia in Vniuerſum.

POSTQVAM vidimus, dari logicam, illamquè ſtatuimus neceſſariam ad perfectam comparationem omnium cæterarum facultatum; videndum nunc ſupereſt, quid illa ſit, definitione *quid rei?* quam habeat naturam? circa quod verſetur obiectum? & quem locū ſortita ſit inter reliquas facultates? Sed quia fieri non poteſt, vt quidquā intelligamus de natura logicæ, an videlicet, illa ſit ſcientia, & qualis, niſi prius ſciamus, quid ſit ſcientia; ideo antè omnem aliam quæſtionem, præmittendum putaui tractatum *de ſcientia in Vniuerſum*, quo bene percæpto, facile tamquam Corollaria, & cætera, quæ mox dicemus, percipientur. Vt autem methodicè procedamus, vniuerſam hanc tractationem bifariam diuidemus, nempè in ſcientiam habitualem, & actualem. In prima parte agemus de natura habitus in genere, quam diſputationem præmittimus

timus tamquàm neceſſariam, & proemialem pro omnibus philoſophiæ partibus; & deinde de natura habitus particularis logici, quam vt proemialem facimus ad rem præſentem; Et in Secunda eodem ſeruato ordine, poſtquàm viderimus quid ſit ſcientia actualis *vt ſic*, tàm ſpeculatiua, quàm practica, tranſitum faciemus ad ipſam logicam, tamquàm ad ſcientiam aliquam particularem.

DISPVTATIO PRIMA.

De Scientia habituali. Vbi de habitibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid ſit habitus? & an ſit?

HABITVS alius eſt naturalis, Alius ſupernaturalis. Naturalis eſt qualitas quædam, quæ acquiritur ex frequenti vſu actuum ſimilium, & ideò dicitur *acquiſitus ab acquirendo* paſſiuè. Hæc autem qualitas eſt à natura inſtituta ad tollendam difficultatem, quam experimur in operando. Supernaturalis eſt qualitas quædam altioris ordinis, quæ cum inclinet ad actus

actus ſuperantes vires totius Creati, non poteſt à nobis acquiri, ſed debet à Deo gratiosè ſupernaturaliter infundi. Hæc autem qualitas potiùs dicenda eſſet potentia, ſeù complementum potentiæ, quàm habitus; eo quòd non ſolum det *facilè poſſe*, quod eſt proprium habitus, ſed *ſimpliciter poſſe operari* etiam plures ſpecie actus, quos ſine tali qualitate potentia naturalis non eſſet per ſe ſufficiens operari: E. g. Habitus Charitatis ſupernaturalis non ſolum dat mihi facilitatem ad eliciendos actus ſupernaturales Charitatis, ſed dat mihi potentiam ſimpliciter ad illos; eo quod ſinè tali habitu ſupernaturali non poſſem vllo modo elicere vllum actum ſupernaturalem Charitatis. Dicitur tamen habitus, & non potentia, quià eſt aliquod ſuperadditum ipſi potentiæ naturali; eamque perficit ad operandum, ſicut facit habitus naturalis. De habitu ſupernaturali agunt Magiſter in 3. diſt. 23. & S. Tho. par. 2. quæſt. 63. & alij communiter Theologi, quibus vt materiam Theologicam examinandam relinquimus.

Habitus ergo naturalis dicitur *ab habendo*, vt colligitur ex Ariſt. 5. met. t. 25., iuxtà explicationem D. Tho. p. 2. q. 49. ar. 1., quià per eum benè ſe quis habet ad aliquid, eò quòd diſponatur ad actum. Quare habitus propriè loquendo, nihil eſt aliud, quàm diſpoſitio potentiæ ad actum.

Definitur autem communiter hoc modo. *eſt qualitas difficile mobilis à ſubiecto, cui ineſt actuum frequentatione*

tatione genita, & ad ſimiles actus exercendos inclinans. Dicitur *qualitas difficile mobilis*, quia non eſt ità facile, vt corrumpatur habitus contractus, cum ſoleat diù durare in ſubiecto, cui ineſt. Dicitur *genita ex actuum frequentatione*, quià generatur ex actibus. Dicitur *inclinans ad ſimiles actus exercendos*, quià dat facilitatem ad ſimiliter operandum.

Obijcies. Habitus ponitur vt vnum prædicamentum per ſe. Ergo non eſt qualitas; atque adeò malè per illam definitur. Probatur conſequentia, quià alioquin vnum prædicamentum contineretur in alio. Reſpondeo cum D. Tho. p. 2. q. 49. ar. 1. ad. 2. dupliciter accipi habitum: aliquando videlicet pro eo, quod eſt medium inter habens, & id quod habetur, vt ait Ariſt. 5. met. t. 25. his verbis. *Habitus autem dicitur vno modo tamquàm quidam habentis, & habiti actus, ſicut actio quædam, aut motus.* Ideſt, vt explicat D. Tho. Significat aliquid, ſecundum quod aliquis benè, vel male habetur, vt eſt *adiacentia veſtis ad Corpus vel morum ad animum.* Et hoc modo acceptus non eſt qualitas, ſed prædicamentum ab illa diſtinctum. Aliquando vero accipitur, *prout eſt quædam diſpoſitio, ſecundùm quam benè, vel male diſponitur diſpoſitus, aùt Secundùm ſe, aùt ad aliud*, vt loquitur ibidem Ariſt. Et hoc modo eſt qualitas, non prædicamentum ab illa diſtinctum. A nobis autem accipitur hic in hoc ſecundo ſenſu, adeòque benè dicitur eſſe qualitas. His poſitis ſit.

Con-

Concluſio; *Dantur habitus*. Probatur primo à poſteriori, quia nos experimur in pluribus potentijs, poſt multos frequentatos illarum actus, acquiri nouam quamdam facilitatem, & voluptatem ad ſimiles actus, & aliquando etiam difficiliores in poſterum eliciendos quam prius non ſentiebamus. Sed quotieſcumque habetur nouus effectus, debet dari noua cauſa illius. Ergo debet dari cauſa talis effectus. Hæc non poteſt eſſe, niſi habitus, quomodocumque explicetur. Ergo dantur habitus.

Probatur Secundo a priori, quia natura nihil facit imperfectum. Sed ſi non darentur habitus, feciſſet multas potentias imperfectas. Ergo dantur habitus. Maior eſt euidens. Minor probatur, quia niſi darentur habitus, ſemper ſentiretur à multis potentijs eadem difficultas in operando. Sed potentia difficile operans non eſt diuturna, quia nihil difficile durat. Ergo multę potentiæ non eſſent diuturnæ, & durabiles; quod eſſet magna earum imperfectio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ARTI-

ARTICVLVS SECVNDVS.

Andentur habitus in ſenſibus, & membris externis?

NOTANDVM eſt, habitum non dari, niſi in illo ſubiecto, quod habeat potentiam naturalem ad talem actum, ad quem inclinat. Ratio eſt, quia cum habitus ſit perfectio potentiæ, non eſt cauſa adæquata actus, ſed ad ſummum inadæquata. Sin autem eſſet in ſubiecto non habente potentiam naturalem ad actum A. e. g. eſſet cauſa adæquata, & potentia illius. Et hæc eſt ratio, quarè Ariſt. 2. Eth. c. 1. ait, lapidem millies proiectum ſurſum numquàm acquirere habitum aſcendendi, quia non habet ad id potentiam naturalem.

Prima Concluſio. *Non dantur habitus in potentiis materialibus, & ſenſibus ſiuè internis, ſiue externis, quales ſunt nutritiua, augmentatiua, viſiua, auditiua &c.*

Probatur, quià vbicumquè ceſſat finis habitus, non debet dari habitus. Sed in his potentijs ceſſat finis habitus. Ergo non debet dari habitus. Probatur minor, quià finis habitus adæquatus eſt, vt ablata difficultate, det facilitatem potentiæ, & voluptatem ad ſimiliter operan-

perandum, vt infrà probabimus. Sed in his potentijs non poteſt haberi hic finis, quia, vt ait Ariſt. 2. de an. t. 59. Hæ potentiæ ſunt determinatæ à natura non ſolùm ad operandum, ſed etiam ad ità operandum. Ergo non poſſumus per illas aliquandò voluptuosè, & facile, & aliquando ægre, & difficile operari, quando idem ſemper, & eodem modo ex antecedenti determinatione, & iniecta neceſſitate, per illas operamur. Ergo in his potentijs ceſſat finis habitus.

Confirmatur, quià facilitas, & voluptas in operando ſunt veluti illicium, & eſca ad operandum, quæ natura prouida mater indidit operationi, vt illam faciamus; ſicut patet in cibo, cui natura miſcuit ſaporem, & dulcedinem, qua illecti cibum capiamus. Sed fruſtrà datur illicium ad id, ad quod ſumus omninò determinati. Ergò cùm habitus ſint, vt dent facilitatem, & voluptatem ad operandum, non debent dari ad illas operationes, ad quas ſumus omninò determinati, alioqui fruſtrà darentur.

Secunda Concluſio. *Non dantur habitus in membris externis, vt in digitis, pedibus &c.*

Probatur eodem modo, quià in illis ceſſat finis habitus propter determinationem, quam habent ad ita operandum. g. &c.

Obijcies primò. Pedes poſt multorum ſaltuum frequentiam acquirunt facilitatem ad ſaltandum, ſicut digiti ad pulſandas fides, ad ſcribendum &c. Ergò acquirunt habitum. Diſtinguo antecedens. Acquirunt faci-

facilitatem negatiue, concedo: poſitiuè, nego antecedens, & cùm illo conſequentiam. Dico enim pedes ſaltando acquirere facilitatem ſolùm remouendo prohibens, videlicet attenuando humores craſſiores, quibus detenti difficile mouebantur; quod idem dico de digitis. Nam attenuatione taliumq; humorum extenduntur nerui, & arteriæ, quibus facile motis, mouentur articuli. Hoc autem non eſt acquirere aliquid poſitiuum de nouo, ſed potiùs amittere hoſtem, & impedimentum reſiſtens, ſicut nauis proijciendo merces agilius mouetur, non acquiſitione alicuius, à quo accipiat agilitatem, ſed remotione ponderis, quo preſſa impediebatur.

Dices. Facilitas, & voluptas ad operandum ſunt ſigna habitus acquiſiti. Sed poſt frequens exercitium talium membrorum reſultat facilitas, & voluptas ad eorum motus ſimiles exercendos. Ergò ſignum eſt fuiſſe genitum aliquem habitum ipſis membris externis inexiſtentem. Reſpondeo conceſſo toto primo Syllogiſmo, negando ſecundam partem conſequentis, per quam aſſeritur, huiuſmodi habitum talibus membris acquiri. Dico enim ex tali exercitio reſultare quidem nouum habitum, non tamen his membris inexiſtentem, ſed voluntati, & intellectui. Pro cuius intelligentia.

Aduertendum eſt, nunquam pedem ſeù manum moueri (& idem dico de cæteris potentijs loco motiuis) niſi detur aliquis actus voluntatis, qui præcipiat tales

motus

motus. Quare cum Voluntas non aſſueta coaceruare ſimul tot imperia ſubordinata vnum alteri, neceſſaria ad hoc, vt dicta membra moueantur ad numerum, præcipiendo difficultatem patiatur, debet illam paulatim ſuperare. Hoc autem fit frequenti conſuetudine, tot motus inter ſe diuerſiſſimos, & tenuiſſimos taliter præcipiendi, qua ſuperata, acquirit facilitatem actum de nouo præcipiendi. Cum ergo ex vna parte ex frequenti huiuſmodi exercitatione propter attenuationem humorum remoueantur in his membris impedimenta ad exequendum, & ex alia acquiratur à voluntate facilitas imperandi, quid mirum ſi deindè, non ſolum facile, ſed etiam cum voluptate, & promptitudine moueantur ad numerum?

Et hoc quod dixi de Voluntate, dicendum eſt etiam de intellectu. Cum enim voluntas ſit potentia cæca, & non feratur niſi ad id, quod ſibi, repræſentatur vt bonum ab intellectu. Ideò ad hoc vt præcipiat tales motus, debent priùs illi omnes, & ſinguli, vt boni repræſentari. Sed niſi intellectus aſſueſcat huiuſmodi expedito modo repræſentandi, difficultatem patitur; Ideo & ipſe frequenti conſuetudine, debet illam ſuperare. Quamobrem exercitatione talium motuum acquiritur non ſolùm habitus ex parte voluntatis illos præcipientis, ſed etiam ex parte intellectus voluntatem ad illos dirigentis.

Nequè obſtat, quod ait Scotus in 3. diſt. 23. q. vnica, quod nemo pulſet chordas, licet optimè ſciat quo-

quomodo ſint pulſandæ, niſi frequenter ad huiuſmodi pulſationem exerceatur. Hoc .n. arguit, non habitum acquirendum in digitis, ſed in potentijs volitiua, & intellectiua, vt nuper diximus, & remotionem faciendam in ipſis digitis obſiſtentis impedimenti.

ARTICVLVS TERTIVS.

In quonam ſubiecto propriè dentur habitus?

Vbi an dentur in brutis, & Angelis?

EX dictis facile eſt colligere, in quonam ſubiecto habitus recipiantur tanquàm illius perfectiui, & comprincipia ad operandum. Quare ſit.

Prima Concluſio. *Habitus propriè loquendo non dantur, niſi in potentiis animæ rationalis, quales ſunt cognoſcitiua, volitiua, & memoratiua.*

Probatur Primo, quia nulla potentia, præter has, eſt indifferens ad operandum cum voluptate, vel cum moleſtia; benè, vel male; facile, vel difficile. Ergo nulla alia potentia, præter has, eſt capax finis habitus, qui (vt dictũ eſt ſupra) eſt determinare potentiã cæteroqui indifferẽtem, ad hoc vt facile, & cũ voluptate operetur.

Pro-

Probatur ſecundo, quià habitus non acquiritur per ſolam frequentationem actuum materialiter factorum, & ſine vlla aduertentia, vt patet in ſtultis, & ſomniantibus. Prętereà neque acquiritur, quando quis habet ſe merè paſſiuè in operando propter iniectam ſibi neceſſitatem ex aliquo principio extrinſeco, vt patet in Ænergumeno, qui quamuis ex vi Dæmonis latinè loquatur, non tamen acquirit habitum latinè loquendi. Ergo ſignum eſt, quod habitus acquiratur tantum in potentijs cognoſcitiuis.

Obijcies. Quando ſomniamur, operamur ex habitu, vt patet experientia. Ergo etiam poſſumus in ipſo ſomnio habitum acquirere, & per conſequens ad illius acquiſitionem non requiritur aduertentia rationis, & potentię cognoſcitiuæ. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando Conſequentiam. Sicut enim, cum dormimus, aliquali vtimur diſcurſu, quamuis imperfecto, & imperfectæ radio libertatis; Ita etiam poſſumus aliqualiter ex habitu iam contracto operari. Quod ſi aliquis contendat, hanc imperfectionem diſcurſus, & vmbram libertatis, ſufficere etiam ad primam acquiſitionem alicuius habitus, deberet etiam probare, poſſe frequenter inter dormiendum contingere ſimilem operandi modum, qui eſt neceſſarius ad primam acquiſitionem habitus. Quod ſicut nemo facilè concedet, ita nec facilè ab vllo probabitur.

Hinc ſumitur occaſio examinandi, an dentur habitus in brutis? Ratio dubitandi eſt, quià videmus ex

D fre-

frequentiatione multorum actuum circa aliquam materiam peculiarem, acquirere bruta promptitudinem tantam ad ſimiliter operandum, vt videantur facilè, adeoque habitualiter operari. Videmus enim quod Canis venaticus diù aſſuetus venationi promptiſſimè exequitur ad ſonum ſibili, quæ ſunt neceſſaria ad captandam feram, iuxta placitum Domini. Præterea, iidem Canes, & multa alia bruta, vt Equi, Elephantes, &c. ex frequenti exercitatione diſcunt tandem aliquandò agitare pedibus choreas, erecto ſuper gemino pede corpore, ambulare, ad nutum Domini circumagi, cubare, aſſurgere, ſclopum explodere, haſtam vibrare, aliaquè id genus tàm fæliciter perpetrare, vt ſine habitu ex talium actuum frequentatione in illis genito fieri non poſſe videantur. Pro reſponſione ſit.

Secunda Concluſio, *Non dantur habitus in brutis*. Probatur primo, quia nulla eſt neceſſitas admittendi habitus in brutis, cum omnia ſupradicta ſaluare poſſimus ſine vllius admiſſione habitus, vt patebit infra in reſponſione ad primum.

Probatur ſecundo, quia habitus non poteſt dari, niſi in habente voluntatem. Sed in brutis non eſt voluntas. Ergo non poteſt eſſe habitus. Probatur minor, quia cum voluntas ſit potentia cæca, & indigeat ductu intellectus, non poteſt dari, vbi non eſt intellectus. Vbi autem eſt intellectus, & voluntas, eſt etiam libertas ad operandum, qua carent bruta. Probatur maior, quia vt notat Auerroes ex Ariſt. 2. de anima t. 55. & in lib.

lib.3.Commen.18. *habitus eſt id, quo quis vtitur, quando & quomodo vult*. Et D.Tho.p.2.q.50.art. 1. & 3. ait *de ratione habitus eſſe, quod ſit aliquid Voluntarium*. Et D. Aug.lib.de bon. Coniug.ait *habitum eſſe illum, quo aliquid agitur, cum opus eſt*, ideſt cum quis vult. Ergò de ratione habitus eſt voluntas.

Neque obſtat, quod videamus experientia, habituatos ad malum vix retinere libertatem ad aliter operandum, ex quo videtur ſequi, habitum non eſſe id, quo vtimur quomodo, & quando volumus. Hoc, inquam, non obſtat, quia cum habitus inducat facilitatem, & voluptatem ad operandum, quæ ſunt maximum illicium ad taliter operandum, plerumque coniungitur cum tali operatione, non quia inducat neceſſitatem, alioquin auferendo libertatem, habituati non peccarent; quod eſt erroneum; Sed quia homines plerumque ſinunt ſe trahi ex inclinatione, quam habent ad id, in quo voluptatem experiuntur, iuxta illud *trahit ſua quemque voluptas*.

Probatur igitur tertio, quia bruta ſunt determinata ad taliter operandum. Ergo fruſtrà darentur in illis habitus, vt ſupra vidimus.

Obijcies .1. Vbicumque datur finis habitus, ibi datur habitus. Sed in brutis datur finis habitus. Ergo etiam datur habitus. Maior conceditur à nobis. Minor probatur, quia finis habitus, vt dictum eſt in articulo ſecundo; eſt dare facilitatem, & voluptatem ad operandum. Sed bruta ex actuum frequentatione ac-

quirunt non ſolum promptitudinem, & facilitatem, ſed etiam vniformitatem, & voluptatem ad operandum, vt patet in cane venatico, equo ſaltatore, &c. Ergo in brutis datur finis habitus.

Reſpondeo primo conceſſa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem dico, finem habitus non eſſe præbere vtcumque facilitatem, & voluptatem ad operandum ſimpliciter, ſed cum addito, videlicèt *quando, & quomodò volumus*. Atquè adeò facilitas, & voluptas reſultantes ex habitu, debent eſſe circa ea, quæ poſſint à nobis vel fieri, vel omitti. Bruta verò cum careant voluntate, ſemper eodem modó, & ordine operantur. Ergò quamuis poſſint acquirere aliquam facilitatem, & voluptatem, nunquàm tamen illas acquirunt, quas habitus tamquàm finem reſpiciunt. Canis enim venaticus e. g. aſſuetus ad captandam feram, non poteſt, viſa fera, non currere ad illam captandam. Reſpondeo ſecundo diſtinguendo maiorem. Vbicumque datur finis habitus, ibi datur habitus, ſi talis finis non poſſit aliundè haberi, concedo; Si poſſit aliundè haberi, nego maiorem. Et deindè diſtinguo minorem. Datur in brutis finis habitus, nec datur aliud in illis, exquo talis finis haberi poſſit, nego: & datur aliquid aliud, ex quo poſſit, immo debeat haberi talis finis, vt mox patebit, concedo minorem, & nego conſequentiam.

Vt autem meliùs reſponſio intelligatur, ſciendum eſt, medium conducens ad aliquem finem, aliquando

eſſe

eſſe vnicum, & neceſſarium, & aliquandò ſolum ſufficiens. Medium vnicum eſt illud, ſine quo talis finis haberi non poteſt, vt eſt e. g. Baptiſmus ad vitam æternam. Medium ſufficiens eſt illud, quo ità poteſt haberi aliquis finis, vt etiam talis finis poſſit ſine illo haberi. Huiuſmodi eſt e. g. Via A ducens in plateam. Ità enim per illam peto plateam, vt adhùc poſſem petere plateam per aliam viam. Quare ex fine ad medium vnicum valet conſequentia, quia cum finis haberi non poſſit ſine mediò, & hoc ſit vnicum, non poteſt haberi, niſi per hoc. At non valet conſequentia ex fine ad medium tantum ſufficiens. Quamuis enim non iuerim in plateam via A, potui ire via B. Hoc poſito, licet promptitudo, & facilitas ad operandum, quæ reperiuntur in Brutis, ſint finis habitus, non tamen habitus eſt medium vnicum ad illas, quià poſſunt etiam haberi partim per attenuationem humorum, & corroborationem potentiæ, vt diximus ſupra de potentijs materialibus; & partim per coordinationem phantaſmatum. Ex eo enim, quòd Canis diu exerceatur ad capiendam feram fictam e. g. excitantur in eius phantaſia phantaſmata quædam ità ordinata, & connexa, vt vnum repræſentet herum, & ſibilum, & aliud feram; adcò vt non poſſit excitari illud primum, quin mox excitetur etiam hoc ſecundum, & quin poſt hoc excitetur tertium repræſentans modum, talem feram capiendi; Adeoque ſtatim atquè excitetur illud primum, excitentur etiam hæc alia duo. Et ſic vide-

mus aliquandò, Canes decipi. Nam audito ſimili ſibilo, currunt ad capiendam feram; cùm nulla eſt, propter illam videlicèt phantaſmatum complexionem, qua aguntur.

Dices. Hoc etiam poſſet dici de potentijs intellectiua, & volitiua. Ergò nullus datur habitus. Nego antecedens. Nam cum in potentijs ſpiritualibus neque dentur humores attenuandi, neque phantaſmata materialia, non poteſt, niſi per habitum ſaluari facilitas; quam acquirunt ad operandum.

Obijcies ſecundo. Voluptas reſultans ad operandum ex operatione iam facta, eſt ſignum infallibile, habitus acquiſiti, vt ait ibidem Ariſtoteles. Ergò cum hæc detur in brutis, in illis datur habitus. Diſtinguo antecedens. Quando hæc voluptas non poſſit aliundè haberi, concedo: ſi poſſit aliundè haberi, vt probauimus ſuprà, nego antecedens. Præterquamquòd verè bruta non ſentiunt voluptatem reſultantem ex frequentatione actuum ſimilium, quæ ſola eſt ſignum habitus, ſed illam tantum, quàm vt inditam à natura, experiuntur ſemper eodem modo, etiam in primo actu.

Maior, dubitatio eſt, an dentur habitus in Angelis? Non poteſt eſſe difficultas, ſi ſermo ſit de habitibus infuſis, & ſupernaturalibus. Nam verè Angeli poſſunt exercere, & de facto exercent plures actus virtutum ſupernaturalium, quos abſquè habitibus exercere non poſſent. Dubitatio ergo eſt ſolùm de habitibus natu-

rali-

ra tous acquiſitis. Atqui Thomiſtæ putãtes, omnes omnium rerum ſpecies fuiſſe Angelis infuſas à Deo in primo eorum creationis inſtanti, dixere, Angelos non eſſe capaces habituum acquiſitorum, quià cum putent, habitus conſiſtere in radicatione, & confirmatione ſpecierum, ſi harum acquiſitionem de nouo negant poſſibilem Angelis, non poſſunt admittere vt poſſibilem acquiſitionem habituum. Alij cum Scotho admittentes has ſpecies, ſaltem ſingularium, acquiri ſucceſſiuè ab Angelis, partim actiuitate ipſorum obiectorum, & partim per actus ipſius intellectus agentis, dicunt in Angelis dari habitus acquiſitos. Nos cum Suario q. 35. metaph. ſect. 4 nu. 24. mediam incedimus viam. Quià tamen eſt materia Theologica, hanc duplicem curſim ponimus Concluſionem.

Prima Concluſio. *Non dantur habitus acquiſiti in Angelis circa ea, quæ intelligunt per ſpecies intuitiuas*. Probatur, quia ad hæc Angeli ſunt omninò determinati etiàm quoad modum, ſicut ſenſus externi. Ergo ſicut in his negamus habitus, ità & in Angelis. Quòd autem Angeli ſint omninò determinati ad ea, quæ intuitiuè cognoſcunt, etiam quoad modum, Probatur, quià cũ ex vna parte in illis nõ detur impedimentum phantaſmatum materialium, vel corporum craſſitiei, vt loquitur Diuus Thomas; & ex alia parte habuerint horum omnium ſpecies à Deo in primo eorum creationis inſtanti, dantur omnia requiſita tàm ex parte obie-

cti cognoſcibilis, quàm ex parte potentiæ cognoſcitiuæ Angelicæ, ad hoc vt eliciatur cognitio. Ergò cum potentia cognoſcitiua, quippè quæ eſt neceſſaria non poſſit non operari, & tali modo operari, quandò dantur omnia requiſita ad taliter operandum, non poſſunt non ea cognoſcere, & tali modo.

Secunda Concluſio. *Dantur habitus in Angelis circa ea, quæ cognoſcunt per ſpecies abſtractiuas, & colligunt ex coniecturis.* Probatur, quia ad hæc non ſunt à natura determinati, ſaltem quoad modum, & poſſunt animum auocare ex vno in aliud obiectum, illudquè intenſiùs, & firmiùs cognoſcere. Ergo poteſt in illis dari aliqua difficultas tollenda per habitum, vel ſaltem augeri facilitas ad taliter cognoſcendum; atquè adeò poteſt eſſe neceſſarius habitus. Cum enim ad hęc obiecta non habuerint à Deo ſpecies infuſas, debet eorum cognitio procedere quaſi humano modo, videlicèt colligendo unum ex alio, tamquàm ex coniectura illius. Adeoque ſicut homines exercendo ſeſe in huiuſmodi illationibus faciendis acquirunt facilitatem, ità & Angeli in faciendis coniecturis.

ARTI.

ARTICVLVS QVARTVS.

An habitus ſit aliquid formaliter merè negatiuum?

NOnnulli cum Palat. in 3.diſt.23.diſp. 1. exiſtimantes, omnem nouam facilitatem, quam experimur in operatione alicuius potentiæ, eſſe habitum inductum in illa potentia, dixerunt, habitum nihil eſſe aliud, quàm remotionem alicuius impedimenti præexiſtentis, & per conſequens eſſe aliquid merè negatiuum. In quam ſententiam videntur etiam inclinaſſe Diuus Tho.p.2.q.50.art.3.& Scoth.in 3.diſt.23. qui proindè etiàm in membris externis aliquem habitum admiſere eorum operationem facilitantem.

Prima Concluſio. *Habitus non conſiſtit formaliter in remotione impedimenti præexiſtentis*. Probatur primo, ex duplici abſurdo. Primum eſt, quia videlicèt exindè ſequeretur, dari habitum in pedibus, digitis, adeoque etiam in brutis, quod oſtendimus eſſe falſum. Alterum eſt, quià poſſet aliquis, vel naturali temperamento, vel etiàm adhibitis medicamentis, & arte, ità humores attenuare, neruoſque corroborare, vt fieret perfectiſſimus Muſicus, Citharœdus, Saltator, & etiàm Philoſophus abſque vllo ſtudio. Nam per attenuatio-

tionem humorum remoueretur impedimentum, & per corroborationem neruorum, & potentiæ diſponeretur ipſa potentia ad operandum. Hæc autem nemo niſi ſtultus concedet.

Probatur ſecundo, quià in potentijs volitiua, & cognoſcitiua, vtpotè ſpiritualibus huiuſmodi impedimenta comminiſci non poſſumus, per quorum ablationem acquirant facilitatem ad operandum, & tamen in ijs dari habitus, eſt certiſſimum. Ergo,&c.

Dices. In his potentijs impedimenta ſunt habitus praui, quorum ablatione introducantur recti, ſicut recti ſunt impedimenta ad prauos. Sed contra eſt Primò, quia ex hoc ſequeretur, puerum, qui nullum adhùc contraxit habitum erroris, habere omnes artes, & ſcientias. Non enim puto tàm ferreum aduerſarium, vt dicat, ideò à natura fuiſſe puero inditos habitus prauos, vt per eorum remotionem paulatim, & ſucceſſiuè rectos acquirat. Nam hoc eſſet facere naturam non parentem amantiſſimam, ſed nouercam. Deindè quià poſſum acquirere aliquandò habitum ad aliquid, de cuius oppoſito nunquam cogitauerim. Tunc autem talis habitus non poteſt eſſe remotio habitus contrarij, quia contrarius non datur. Ergo,&c.

Secunda Concluſio. *Habitus eſt aliquid poſitiuum*. Probatur, quià omnis virtus per Ariſtotelem, alioſque omnes Philoſophos eſt perfectio, & ornamentum animæ. Sed omnis ſcientia habitualis eſt Virtus, vt infrà patebit. Ergò omnis ſcientia habitualis eſt perfectio,

atque

atque adeò aliquid poſitiuum, cum nemo perficiatur per non ens, ſeù per id, quod non eſt. Hoc autem, quod dico de ſcientia habituali, dico etiam de omni alio habitu recto, quia omnis huiuſmodi habitus perficit animam, ſicut prauus illam inficit, & deformat. Ergò omnis habitus eſt poſitiuus. Confirmatur, quia dicitur *acquiſitus ab acquiſitione*. Acquiſitio autem eſt alicuius acquiſitio, cum remotio impedimenti ſit potius amiſſio. Ergò, &c. Hoc poſito, videndum nunc eſt quodnam ſit illud poſitiuum, in quo conſiſtit formaliter habitus.

ARTICVLVS QVINTVS.

An habitus conſiſtat formaliter in ſpeciebus impreſſis?

FVit celebris opinio Hiſpalenſis in Prolegom. q. 3. Soncin. 9. methaph. Piccol. de def. Fracaſl. 2. de def. Capreoli, aliorumq; cùm veterum, tùm recentiorum non paucorum, habitum nihil eſſe alind formaliter, quàm coordinationem, confirmationem, & complexionem ſpecierum ex actuum frequentatione acquiſitarum. Quam ſententiam, quippè ingenioſam, paulò fuſius explicabo.

Dicunt ergò, dari in nobis aliquas ſpecies acquiſitas

tas ex actibus antecedentibus, repręſentantes plura, ordinatim, ità vt vnum prius, aliud poſterius repreſentent. E.g. in eo, qui ſæpè recitauit orationem Dominicam, dicunt relinqui vnam ſpeciem, quæ repræſentet primam partem talis orationis, ita vt priùs repræſentet *Pater*, deindè *noſter*, deindè *qui es in Cælis*, & poſt hanc dari aliam, quæ repræſentet ſecundam partem, ità vt prius repræſentet *ſanctificetur*, deindè *nomen tuum*, & ſic de ſingulis vſque ad finem. Præterea dicunt, quod dùm aliquis facit aliquem actum iudicij e. g. *Cælum eſt incorruptibile*, hoc iudicium relinquit in anima, ſeu in memoria intellectiua ſpeciem quamdam repreſentantem hoc ipſum iudicium, à quo fuit productum, quod iudicium ſi ſæpius repetatur, ſemper relinquit nouam aliquam ſui ſpeciem, quæ addita alijs præcedentibus dicitur roborata, & radicata. Adeòque quo ſæpius repetitur idem actus, eò etiam plures acquiruntur illius ſpecies, & per conſequens priores confirmantur, & radicantur. Hoc poſito, aiunt, habitum formaliter nihil eſſe aliud, quam huiuſmodi coordinationem, confirmationem, ſeu corroborationem ſpecierum. Hoc autem probant, quia ſtatim exindè reſultat facilitas ad operandum abſque vllo alio.

Vnica Concluſio. *Habitus non conſiſtit formaliter in ſpeciebus impreſſis*. Probatur primo, quia ſpecies quomodocumque explicatę, vel nullo modo ſunt habitus, vel ſolum ſunt habitus appræhendendi, non autem iudicandi. Adeoq; adhuc remanet explicandum in quo for-

formaliter hi conſiſtant. Quòd autem non poſſint eſſe habitus iudicandi, probatur euidenter, quià iudicium in omnium ſententia non pendet immediatè à ſpeciebus, ſed ab appræhenſione, quæ ſola immediatè à ſpeciebus pendet; Facilitas autem iudicandi debet haberi ab aliquo, quod habeat rationem principij proximi reſpectu illius. Quacumque autem poſita ſpecie, immo, & appræhenſione obiecti, adhùc experimur difficultatem ad aliquid de illo iudicandum. Ergò facilitas ad illud appræhendendum, non eſt facilitas ad illud iudicandum.

Obijcies. Intellectus eſt potentia neceſſaria. Ergo non poteſt non aſſentiri obiecto, ſi rectè illi proponatur. Sed illi rectè proponitur per ſpecies. Ergo poſitis his ſpeciebus, non poteſt habere difficultatem ad iudicandum. Diſtinguo primo conſequens. Non poteſt illi non aſſentiri vtcumquè, ſiuè quoad ſubſtantiam, concedo: Non poteſt non taliter aſſentiri, ſiuè quoad modum, nego conſequentiam. Ratio eſt, quià poſita appræhenſione præmiſſarum, neceſſitatur quidem intellectus ad concluſionem, quoad ſubſtantiam, non autem quoad modum, niſi concluſio ſit euidentiſſima, de quà infrà. Atquè adeò debet ad illam inferendam (vt ait Zabarella) aliquantiſper quodammodò negotiari. Hæc autem negotiatio, cum trahat ſecum difficultatem valdè diuerſam à difficultate concluſionem appræhendendi, debet tolli non per ſpeciem, ſed per habitum ab illa diſtinctum. Quod adeo eſt verum, vt

etiam

... acquiſito habitu, & optimè appræhenſis terminis, aliquandò etiam recurrat difficultas concluſionis taliter inferendæ.

Dices. Tota difficultas in iudicando prouenit ex defectu ſpeciei connexionis inter extrema. Niſi enim quis habeat ſpeciem connexionis inter *Petrum*, & *hominem* e.g. non poteſt dicere *Petrus eſt homo*. Ergo omnis difficultas in iudicando poteſt tolli per ſolas ſpecies. Nego antecedens, quia quamuis habeam ſpeciem connexionis e.g. extremorum huius propoſitionis *ſydera ſunt paria*, vel huius. *Omnes anguli cuiuſcumque trianguli ſunt æquales duobus rectis*, & quamuis optimè ſciam, quid ſit angulus; & quid ſit æqualitas, adhuc habeo difficultatem ad hoc iudicandum. Ad cognitiones autem euidentiſſimas, vt ſunt prima principia lumine naturæ notiſſima, fortaſsè poſſet admitti, non dari alios habitus, quam ſpecies extremorum, & connexionis. Sed de his non eſt quæſtio, quia intellectus ad has nullam ſentit difficultatem etiam prima vice; atque adeò non indiget vllo habitu ad illam tollendam.

Probatur ſecundo, quià ſi ſpecies iudiciorum præcedentium iuuarent ad ſimiliter iudicandum, quotiès operamur ex habitu, deberemus recordari iudiciorum antecedentium, cum ſit proprium ſpeciei repræſentare id, cuius eſt imago. Conſequens eſt falſum, cum aliquandò ità renouemus iudicium circa aliquod obiectum, vt ... reminiſcamur quidem, nos vnquàm

de

de illo quidquam iudicaſſe. Ergo & antecedens.

Probatur tertiò, quia aliquandò reminiſcimur obiectorum etiam inuerſo, & diuerſiſſimo ordine ab eo, quo illa primò cognouimus. Hæc autem reminiſcentia oriri non poteſt ex ordinatione, & complexione ſpecierum, quæ ſemper repræſentant obiectum eodẽ modo. Ergò debet dari aliquid aliud, vnde proueniat.

Probatur quartò, quia aliquandò optimè appræhenſis obiectis, malè iudicamus, & vice verſa. Sed hoc non poteſt prouenire à ſpeciebus. Ergo ab habitu ab illis diſtincto. Probatur antecedens, quia in rebus obſcuris aliquando voluntas magis inclinat ab obiecta male repræſentata.

Dices. Angeli per ſpecies à Deo ſibi inditas in primo eorum creationis inſtanti abſque vllo alio habitu ſufficiẽtiſſimè determinãtur ad iudicandũ. Ergo poteſt ſaluari ratio habitus in ſolis ſpeciebus. Nego conſequentiam. Ratio eſt, quià Angeli non inferunt vnum ex alio, ſed immediatè cognoſcunt rerum connexionem, vel diuiſionem, atque adeò non poſſunt experiri concludendi difficultatem, ſeù cognoſcendi per illationes, in quo eſt præcipua difficultas. Quarè exemplum Angelorum ad ſummum probat, habitus ſimpliciter iudicandi conſiſtere in ſpeciebus impreſſis, non autem habitum iudicandi illatiuè, ſeù concludendi.

ARTI-

ARTICVLVS SEXTVS.

An habitus conſiſtat formalirer in ſpeciebus expreſſis, ſeù cognitionibus obiectorum?

PAucis ab hinc annis nonnulli ingenioſiſſimi, & doctiſſimi Recentiores inuexerunt Romam aliquam ſententiam de habitibus ſimilem mox relatæ, adeò ſubtilem, & ingenioſam, vt ſi in vno tãtùm nõ diſpliceret, illam à nobis amplectendam putarem. Sententiam autem paucis accipite. Dicunt, habitum nihil eſſe aliud, quàm cognitionem viuaciorem obiecti ortam ex frequentatione actuum ſimilium gignente in intellectu illas ſpecies confirmatas, & radicatas, de quibus nuper. Supponunt enim quoad hoc eſſe veram ſententiam relatam, ſicut etiam nobiſcum ſentiunt in excluſione omnis habitus ab omni alia ſiuè potentia, ſiuè ſenſu, præter ſpirituales, & rationales. Et præterea ſupponunt, omnes actus tàm voluntatis, quàm intellectus reflectere ſuprà ſe ipſos. Ex hac viuaciori cognitione aiunt, ſequi neceſſariò ſimplicèm affectionem obiecti, qua poſita, datur formaliter habitus, eò quod nulla ſentiatur amplius difficultas in operando. Hoc autem probant tali ratione.

Poſt-

Poſtquàm voluntas elegit, ſeù imperauit aliquam operationem alicuius potentiæ ſibi ſubditæ e. g. intellectiuæ, illamque diù exercuit, habet cognitionem experimentalem cum operationis externæ elicitæ à tali potentia, tùm electionis internæ ipſius voluntatis. Et quotiès iterantur hæ operationes, toties producuntur nouæ ſpecies repræſentatiuæ, tam operationis electæ, quā ipſius electionis. Adeòquè poſt multas electiones, & exequutiones eiuſdem operationis, habet intellectus ſpeciem valdè intenſam, & confirmatam, per quam perfectiſſimè apprǣhendit bonitatem operationis, & electionis. Ex hac apprǣhenſione viuaciori dicunt ſequi ſimplicem affectionem voluntatis circa talem operationem antè omnem deliberatam electionem. Et ex hac cognitione, ſimplicique affectione putant oriri maiorem facilitatem, quam habet voluntas circà talem operationem, adeòquè in his dicunt conſiſtere formalitter habitus.

Aliqui impugnare conantur hanc ſententiam hoc argumento. Poteſt quis habere viuaciſſimam cognitionem bonitatis delectabilis comeſtionis, & tamen poſt frequentatos actus abſtinentiæ habere habitum abſtinentiæ, & facilitatem ad abſtinendum. Prætereà in Chriſto Domino fuit viuaciſſima cognitio delectationis, quam affert quilibet actus vitioſus, non tamen habuit habitum vitioſū. Ergo habitus nō conſiſtit in viuaciori cognitione obiecti. Verùm hæc impugnatio non ſubſiſtit. Primo, quià Chriſtus Dominus non habuit

buit cognitionem practicam, & experimentalem talis delectationis, ſed ſolùm ſpeculatiuam. Secundò, quià ille, qui habet habitum abſtinentiæ, ſucceſſiua talis habitus acquiſitione amittit habitum contrarium, & perconſequens acquirit ſemper viuaciorem, & viuaciorem cognitionem experimentalem abſtinentiæ, per quam remittitur paulatim cognitio delectationis ciborum. Quare gratis ſupponitur, habituatum ad abſtinendum retinere viuaciſſimam cognitionem delectationis ciborum, cum illius viuacitas oppoſita viuacitate remittatur. Quare ſi.

Concluſio. *Habitus non conſiſtit formaliter im ſpeciebus expreſſis*. Probatur, quià habitus facit, vt cum minori aduertentia percipiatur obiectum, ſi ſit habitus intellectiuus, & quod minus perceptum ſit volitum, ſi volitiuus. Sed ſi conſiſteret in hac viuaciori cognitione, non poſſet ſine illa dari facilitas ad volendum, adeoque minus perceptum obiectum non poſſet facile appeti, & eligi à voluntate. Cum ergò hoc ſit contrà experientiam docentem, habituatos ad aliquid, quacumque poſita appræhenſione, & cognitione illius, etiam imperfecta, adhuc ad illud trahi, non debemus dicere, habitum conſiſtere formaliter in ſola obiecti perfectiſſima, & viuaciſſima cognitione.

Et hinc patet valida impugnatio dicentium, habitum conſiſtere in maiori attentione ad obiectum. Si enim habitus facit, vt cum minori etiam attentione faciliùs operemur, non poteſt ipſe conſiſtere in maiori

iori attentione; alioquin maior attentio faceret, quod cum minori attentione perciperetur obiectum, quod eſt abſurdum.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Aſſertur vera ſententia de quidditate habitus.

POſtquàm vidimus, quid non ſit habitus, aliorum refellentes opiniones, ſtatuere debemus, quid tandem ille ſit, & in quo formaliter conſiſtat?

Vnica Concluſio. *Habitus nihil eſt aliud formaliter, quàm qualitas quædam ſuperaddita ipſi potentiæ.* Probatur primo ex Ariſt. 2. de an. t. 59. vbi docet, intellectum per ſe ſumptum eſſe potentiam remotam; ſumptum verò ſimul cum habitu eſſe potentiam proximam, ſimilem ſenſibus, qui per ſe ſunt potentia proxima. Ergo nomine habitus intelligit aliquid ſuperadditum ipſi potentiæ. Hoc autem non poteſt eſſe ſpecies aliqua, quia ſpecies etiam ſenſibus ſunt neceſſarię, vt probabimus in libris de Anima, ad hoc vt exeant in actus, adeoque ſi hę eſſent habitus, non potuiſſet dicere Ariſtoteles, ſenſus per ſeipſos eſſe potentiam proximam. Ergo cum aliud non poſſint eſſe, vt ſuprà probauimus, dicendum eſt, eſſe qualitatem ſu-

peradditam. Confirmatur primo auctoritate ferè omnium Philoſophorum, quos referunt, & ſequuntur Vaſquez prima 2.diſp.78. Suar. diſp. 44. met. & Valen. prima 2. diſp. 4. Deinde quia cum ex vna parte habitus ſint neceſſarij, & ſint aliquid ſuperadditum, & ex alia non poſſint formaliter eſſe aliud, debent eſſe qualitates ſuperadditæ.

Probatur ſecundo, quia niſi habitus eſſent qualitates ſuperadditę, nullam haberent proportionem, ſeu ſimilitudinem cum habitibus infuſis; adeoque immeritò dicerentur habitus, cum in omnibus plane ab illis diſcreparent, vt patet.

Probatur tertio, quia habitus volitiuus eſt formaliter qualitas. Ergo etiam intellectiuus, & memoratiuus. Conſequentia patet, quia intellectus, & memoria experiuntur in operando eamdem, atque uoluntas, difficultatem. Ergo ſi illius habitus eſt formaliter qualitas, etiã erit qualitas habitus intellectiuus, & memoratiuus. Antecedens probatur, quia potẽtia uolitiua eſt formaliter libera. Ergo nulla obiecti propoſitione neceſſitatur ad operandum. Sed niſi dicatur, eius habitũ eſſe qualitatem ſuperadditam, quæ illam adiuuet, quandò, & quomodò uult, poſt multos actus proſecutionis elicitos circa aliquod obiectum, neceſſitaretur ad illud proſequendum in poſterum; nam ex quocumque alio capite oriretur eius maior inclinatio in obiectum, oriretur illi ex aliquo principio extrinſeco, cuius operationem impedire non poſſet. Ergo non eſſet libera.

Obij-

Obijcies Si habitus eſſet aliqua qualitas ſuperaddita, eſſet naturaliter indeſtruibilis. Conſequens eſt abſurdum. Ergo, & anteç.? Probatur maior, quiá cum non poſſit naturaliter corrumpi, niſi per introductionem habitus contrarij, quando introduceretur de nouo particula habitus A, uel eſſet in eodem inſtanti, atquè particula habitus B., quæ corrumpitur, uel in antecedenti? Non poteſt dici primùm, quia alioquin darentur ſimul duæ qualitates contrariæ, quod implicat, eo quod ſupponamus, unam eſſe deſtructiuam alterius. Nequè poteſt dici ſecundum, quia particula B. non poteſt deſtrui per aliquod, quod non eſt, ſed fuit. Prætereà particula A. debet dari quando datur actus, à quo generatur; non enim poteſt dari, niſi quando datur eius cauſa. Hic autem actus datur pro eodem inſtanti cum particula B, quæ deberet corrumpi. Ergo hic habitus eſſet naturaliter incorruptibilis.

Reſpondeo, uniuerſaliter non eſſe abſurdum, dari ſimul duas qualitates oppoſitas in gradu remiſſo, cùm ſimul dentur calor, & frigus. Quare particula A eſſet pro eodem inſtanti cum particula B.

Dices. Quãdo datur particula A. datur deſtructiuum particulæ B. Ergo non poteſt dari ipſa particula B., alioquin daretur ſimul cum eius negatione, quod eſt abſurdum.

Diſtinguo conſequens. Non poteſt dari particula B. per modum receſſus, ſiuè recedentis, nego: per modum permanentis, concedo conſequentiam. Sicut

enim primus aduentus formæ in materiam eſt primus receſſus priuationis antecedentis; ita primus aduentus particulæ A. eſt primus receſſus particulæ B. Quarè particula A. eſt quidē ſimul cū actu, ī quo generatur, p: r modū permanētis, tamē eſt in diuerſo inſtāti cum particula B, cùm qua ſolùm eſt ſimul ſucceſſiuè; ideſt per hoc; quod illi immediatè ſuccedat. Hæc autem difficultas, vt dicebam, eſt ab omnibus ſoluenda; quicquid tandem aſſeratur, eſſe habitum, cùm certè illum eſſe ſucceſſiuè deſtruibilem per introductionem habitus contrarij aſſerendum ſit.

ARTICVLVS OCTAVVS.

An habitus ſit nobilior actu? & quo genere cauſalitatis cauſetur ab illo?

DVRANDVS in 3. diſt. 3. q. 2. & d. 23. q. 1. & Burid. 2. Eth. q. 3. aiunt, actum non eſſe cauſam efficientem; ſeu *vt quod*, ſed ſolùm materialem, ſeù eſſe tantùm cauſalitatem vel cauſam actus *vt quo*. Fundamentum, quo nituntur hi Auctores, eſt hoc. Cauſa non poteſt eſſe imperfectior ſuo effectu: Sed actus eſt imperfectior habitu. Ergo non poteſt eſſe illius cauſa. Probāt minorem, quia iuſtus habitualiter eſt multò perfectior, & laudabilior quam iuſtus actualiter. Nonniſi quia per-

perfectio reſultans ex habitu eſt maior, quam illa, quæ reſultat ex actu. Ergo &c.

Sed hæc ſententia, vt poteque nititur falſo fundamento, non ſubſiſtit. Quòd autem nitatur falſo funmento, probatur primo, quia in omnium ſententia, cauſa inſtrumentalis, & aliquando etiam principalis per accidens poteſt eſſe imperfectior ſuo effectu. Nam in probabiliſſima ſententia, quam ſequemur in Phyſicis, accidentia materialia quæ ſunt mul ò imperfectiora omni viuente, concurrunt vt cauſæ principales ad producendam ranam. Quarè quamuis concederetur, actum eſſe imperfectiorem habitu, adhuc tamen probandum eſſet, illum non poſſe eſſe cauſam huius inſtrumentalem, vel principalem per accidens.

Neque obſtat, quod iuſtus habitualiter ſit perfectior iuſto actualiter. Hoc enim eſt verum tantùm in ratione radicis, & in actu primo; non autem in ratione fructus, & in actu ſecundo. Ex eo enim quod homo iuſtus habeat habitum iuſtitiæ ſupernaturalis, poteſt elicere actus perfectiores, quia habet potentiam perfectiorem. Cæterùm quis vnquam dicat, Petrum cum minori conatu, & intentione operantem, immo ſemideliberatè ex ſola acquiſitione habitus perfectiùs operari Paulo cum tantò maiori conatu operante? Præterquamquòd quamuis hoc concedatur, nihil tamen exinde concluditur, quia cum habitus ſupernaturalis non generetur ex actibus, & ſit potiùs potentia, quàm habitus, mirum non eſt, ſi perfectior ſit ipſis actibus. Secus autem

tem eſt dicendum de habitibus naturalibus.

Probatur ſecundo, quià quando dicitur, cauſam eſſe perfectiorem effectu, tunc non eſt ſermo de cauſa inadæquata, ſed ſolùm de adæquata. Quarè licèt concedatur, actum ex ſe eſſe imperfectiorem habitu, adhùc tamen nihil probatur, quià poteſt actus ſimul cum potentia conflare cauſam adæquatam habitus. Complexum autem ex actu, & potentia ſine dubio eſt multò perfectiùs ipſo habitu. Videatur D. Tho. p. 2. q. 51. ar. 2. in reſp. ad 3.

Probatur tertio, quià ſi actus tantùm diſpoſitiuè concurreret ad habitum, vel diſponeret ſolum ad primam eius productionem, vel etiam ad eius conſeruationem? Secundum dici non poteſt, quià actus non permanent cum habitu, vt omnes fatentur. Sed nequè poteſt dici primum, quià diſpoſitio ad ſolam primam productionem, nihil eſt aliud, quàm remotio impedimenti ad illam præexiſtentis, adeoquè habitus eſſet aliquid merè negatiuum contrà ea, quæ ſupra diximus.

Prima Concluſio *Habitus eſt imperfectior actu*. Probatur Primò, quià actus eſt prior, adeòquè perfectior ſua potentia generatione, tempore, & ſubſtantia, ideſt fine. Sed habitus eſt, vel potentia, vel complementum potentiæ, vt habetur expreſsè ex Ariſt. 9. met. c. 3. t. 13. 14. & ſeqq. Ergo actus eſt prior, & perfectior habitu. Probatur maior primo ex eodem Ariſt. in loco cit; & præterea 2. eth. c. 1. & 3. Ethic. c. 5., & alibi

paſſim,

paſſim. Et confirmatur ex D. Tho. qui 1. par. q. 25 ar. 1. ad 2. ait *quandocumquè actus eſt aliud à potentia, oportet, quod actus ſit nobilior potentia*. Sed actus in creatis eſt aliud à potentia. Ergo eſt illa nobilior.

Probatur ſecundo à priori, quià potentia, & habitus (vt notat Capreol. in 1. diſt. 17. q. 1. ar. 3.) eſſentialiter ordinantur ad actus tamquàm media ad finem. Sed finis eſt perfectior omni ſuo medio. Ergo actus eſt perfectior potentia, & habitu.

In quò obiter aduerte, ideò à D. Thoma in loco citato, & cum eo communiter ab omnibus alijs Theologis negari in Deo omnem potentiam, ſeù potentialitatem diſtinctam ab actibus, ne videlicèt in illo admittant aliquam imperfectionem eſſentialitèr annexam, ſeù identificatam cum qualibet potentia ab actibus diſtincta, eo quòd omnis huiuſmodi potentia ſit medium ad actus, & medium vt tale propter ordinationem ad finem ſit, ſaltem ex hoc capite, imperfectum.

Obijcies primò. Potentia intellectiua, cum ſit identificata cum ſubſtantia animæ, eſt multò perfectior, quàm intellectio, quæ eſt qualitas aliqua fluens, & ſucceſſiua. Et idem dico de potentia volitiua reſpectu volitionis, & de memoratiua reſpectu recordationis. Ergo falſum eſt, actum eſſe potentia perfectiorem.

Diſtinguo antecedens. Potentia intellectiua eſt perfectior intellectione formaliter, & reduplicatiuè, vt potentia intellectiua eſt, nego: identicè, & ſpecificatiuè, concedo antecedens. Et diſtinguo eodem modo conſequens

ſequēs. Falſum eſt, actum eſſe perfectiorem potētia formaliter, & reduplicatiuè ſumpta, nego: identicè, & ſpecificatiuè ſumpta, concedo conſequentiā. Sicut enim quamuis omnes actus Dei propter identitatem realem cum eius eſſentia ſint eodem modo infinitè perfecti, nihilominus tamen quatenus conſiderantur virtualiter intrinſecè & formaliter inter ſeſe diſtincti, quæritur à multis vtrum vnus actus ſit alio perfectior, videlicet an actus miſericordiæ ſit perfectior actu iuſtitiæ, intellectus volitione &c. & vtrum vnus neceſſario denominet, ſicut facit alius? Nec deſunt pro vtraque parte cum probabilibus rationibus non ignobiles Auctores. Ità quamuis potentia intellectiua propter identitatem realem, quam habet cum anima, ſit perfectior actu, poteſt tamen, vt formaliter ab illa diſtincta eſſe actu imperfectior.

Obijcies ſecundo. Habitus eſt qualitas permanens, & actus eſt aliquid eſſentialiter ſucceſſiuum, eò quòd in probabiliſſima ſententia ſit identificatus cum ſua duratione. Ergo habitus eſt aliquid perfectius actu, cum permanens ſit perfectius ſucceſſiuo. Nego conſequentiā. Nam viſio beatifica, eſt quid eſſentialiter ſucceſſiuum propter phyſicam identitatem cum ſui duratione, quod multi etiam aſſerunt de vnione hypoſtatica in Chriſto Domino, ratione identitatis cum ſui duratione; Et tamen tam viſio beatifica, quàm vnio hypoſtatica ſunt perfectiſſimæ, & abſque, vlla comparatione perfectiores lapide, multiſquè alijs entibus permanentibus.

Secun-

Secunda Concluſio. *Habitus generatur ex actibus, tamquam ex cauſa efficiente, ſaltem inſtrumentali*: Probatur primo auctoritate ducta, non ſolum ex Auctoribus ſuprà relatis, verùm etiam ex ferè omnibus alijs, quos referunt, & ſequuntur Conimbricēſes. 3. eth. q. 3. inter quos apertiſſimè loquitur Ariſt. 2. Eth. cap. 1. vbi hæc habet. *Sicut ædificando ædificatores, cithara canendo citharœdi efficiuntur, ità quoque iuſta agendo iuſti, temperata temperantes, fortia fortes euadimus*:

Et nequis poſſit dubitare de hac eius opinione, profitetur apertè 3. Ethic. c. 5. oppoſitum non tantùm aſſerere, verùm etiam dubitanter proferre eſſe hominis nullius iudicij, & ingenij. Nam ibi ait, *ignorare igitur, ex operationibus circà ſingula habitus exiſtere, valdè ſtupidi hominis eſt*.

Probatur ſecundò à poſteriori, quia toties debemus dicere, aliquid eſſe cauſam efficientem alterius, quoties illo poſito, datur res, ſi nulla ſit ratio negandi in illo talem cauſalitatem: Sed nos videmus, quod poſitis multis actibus ſimilibus, datur habitus, & nulla eſt ratio negandi actibus cauſalitatem in habitum: Ergo debemus dicere, ab actibus habitum cauſari.

Probatur tertio à priori, quia habitus eſt veluti ſemen actuum. Semen autem producitur ab eo, cuius eſt ſemen, vt patet inductione facta per omnia generabilia, & vegetabilia: Nam ſemen peponis producitur à pepone, ſemen piperis à pipere &c. Ergo habitus producitur ab actu:

Pro-

Probatur quarto negatiue, quia nulla alia poteſt aſſignari cauſa habitus Non.n. poteſt dici, eſſe ſubſtantiam animæ, quia hęc non agit, niſi mediante aliquo inſtrumento; neque poteſt eſſe potentia, quia hæc nihil producit immediatè, niſi actum; neque poteſt eſſe obiectum, quia cùm hoc ſit extrinſecum, daretur actio in diſtans; nequè poteſt eſſe aliud. Ergo eſt actus.

Obijcies. Habitus eſt perfectio quædam permanens & ſtabilis, vt nuper conceſſum eſt. Ergo non poteſt generari ab aliquo eſſentialiter fluente, & ſucceſſiuo. Probatur conſequētia, quià nemo dat, quod non habet. Ergo ſi actus non habet permanentiam in eſſe, non poteſt illam habitui communicare; Nam tota perfectio effectus præcontinetur in cauſa. Diſtinguo Conſequens. Non poteſt generari tamquàm à cauſa adæquata, & vniuoca, concedo: tamquàm à cauſa æquiuoca, & inadæquata, nego conſequentiam. Satis enim eſt, quod perfectio effectus præcōtineatur in cauſa totali, ſeù adæquata, quæ reſpectu habitus non eſt actus in abſtracto, ſed in concreto, ideſt ſimul cum ipſa potentia, cuius eſt actus. Nam e. g. cauſa habitus volitiui non eſt volitio, ſed potentia volitiua volens in actu ſecundo, ideſt complexum ex potentia uolitiua, & uolitione.

ARTI-

ARTICVLVS NONVS,

Soluuntur argumenta Durandi, & Scoti.

OBIICIES primò cum Durando. Actus ſpeculatiui nihil mouent; vt habetur ex Ariſt. 1. de an. t. 48. & 2. Eth. c. 2. Ergo non poſſunt gignere, quia omnis generatio eſt motus, vt patet ex eius definitione. Ergo ſaltem habitus ſpeculatiui non generantur ex actibus. Secundo ad habitum non datur motus, vt habetur ex Ariſt. 7. Phyſ. t. 17. Ergo habitus non poteſt generari. Tertio cum Scoto in 1. diſt. 17. q. 2. Durand. in 3. diſt. 23. q. 2. 3. & 4. Palud., Aureolo, Alijſque. Si habitus generaretur efficienter ab actibus, ex vna parte habitus eſſet quid imperfectius actibus, vtpotè qui eſſet illorum effectus; & ex alia cùm ipſe habitus eſſet cauſa efficiens aliorum actuum ſimilium, eſſet illis perfectior. Ergo eſſet perfectior, & imperfectior ijſdem actibus, quod implicat. Ergo habitus non generatur efficienter ab actibus.

Ad primum diſtinguo antecedens. Actus ſpeculatiui nihil mouent extra intellectum, vt faciunt factiui, ſeu practici, concedo, quia hi non verſantur circa obiectum factibile per illos, ſicut faciunt practici; nihil mouent intra intellectum, nego antecedens; & diſtin-

gûo

guo eodem modo conſequens. Non poſſunt gignere aliquid extra intellectum, ideſt in obiecto, concedo: intra intellectum, nego conſequentiam. Cum ergo habitus immaneant ipſi intellectui, ſunt extra telum argumenti.

Ad ſecundum Durandi diſtinguo antecedens. Ad habitum non datur motus primariò, & directè, concedo: Secundariò, & indirectè, nego antecedens. Dico enim, quamuis actus directè, & primariò ſint inſtituti, vel ad ponendum opus, ſi ſint practici, vel ad percipiendum obiectum, ſi ſpeculatiui; hoc tamen non obſtare, quò minùs poſſint ſecundariò, & indirecte gignere, & producere habitum. Sicut poſitio caloris in manu primariò, & directè intendit calefactionem. Hoc tamen non facit, quod ex manus calefactione non poſſit ſecundariò, & indirectè reſultare relatio aliqua coexiſtẽtię, vel ſimilitudinis talis caloris cum alio calore exiſtente in alia manu.

Ad tertium, quod eſt Scoti, aliorumquè, nego antecedens, quia vt diximus ſuprà, non ſemper ex eo quod aliquid ſit effectus, eſt imperfectius omni ſua cauſa. Nam cauſa æquiuoca, inſtrumentalis, principalis per accidens, & aliquandò etiam principalis per ſe, ſed inadæquata, ſunt imperfectiores interdum aliquo ſuo effectu. Omnes enim concedunt, Solem, & aſtra concurrere, vt cauſas principales per ſe, immo præcipuas, quamuis inadæquatas, ad generationem hominis; nulla tamen ex his eſt homine perfectior. Quod idem dico

de

de accidentibus concurrentibus ad productionem humanæ, & alijs huiuſmodi.

Dices. Ergo ex cauſalitate efficienti actus in habitum ſequeretur mutua cauſalitas inter actum, & habitum, nam actus generaret habitum, à quo ipſe generaretur, ſaltem in ſpecie. Hoc autem videtur repugnare. Ergo, &c.

Reſpondeo primò, nullum eſſe abſurdum, dari mutuam cauſalitatem inter cauſas inſtrumentales, quales dicimus eſſe actus in habitum, & vice verſa, vt patebit ſuo loco. Nam certè vna rota in curru adiuuat aliam, & ab ipſa adiuuatur.

Secundo quià quando negatur mutuà cauſalitas, non negatur inter duo diuerſæ rationis, vt ſunt ſpecie diuerſa, ſed inter duo eiuſdē rationis, ſeu ſpeciei. Hęc autē cauſalitas non eſſet inter duo eiuſdem rationis ſed inter duo differentia ſpecie. Præterea hæc non eſſet mutua cauſalitas, quia non idem eſſet cauſa, & effectus; nam actus A. cauſaret habitum, & habitus cauſaret non actum A, ſed B., qui eſt alius, ſaltem numero ab actu A. Hæc autem cauſalitas neque eſt mutua, & nullam inuoluit impercæptibilitatem, & repugnantiam, immò admitti debet ab omnibus inter Auum, & nepotem, cæteraſque omnes cauſas mediatas, earumque effectus. Ergo &c.

ARTI-

ARTICVLVS DECIMVS.

An ſinguli act[illegible]s ſint ſufficientes ad habitum generandum?

PRIMA Concluſio. *Habitus regulariter loquendo generatur imperfectè, & quoad ſubſtantiam à primo actu, perfectè autem, & quoad modum à multis actibus, adeoquè acquiritur ſucceſſiuè.* Probatur, quià nomine habitus intelligimus perfectionem quamdam ſtabilem; non enim dicitur, aliquis acquiſiuiſſe habitum ad aliquid, niſi perfectè ſit ſtabilitus ad illud. Hæc autem perfectio ſtabilis regulariter loquendo haberi non poteſt per vnicum tantum actum. Nam priuſquàm res perficiatur, debet primo poni, ſeù inchoari, & deindè perfici. Priùs enim intelligimus rem exiſtere, quod eſt prædicatum primum, & deindè intelligimus, illi aduenire perfectionem tamquàm prædicatum ſecundarium. Sed quià inter actus non eſt potior ratio pro vno, quàm pro alio ad inchoandum habitum; ideò debemus dicere, à quodlibet primo actu habitum inchoari, & ab alijs ſequentibus deindè perfici. Eo planè modo quo ad figendum clauum parieti, quilibet primus ictus mallei incipit diſponere quoaduſque vna cum alijs ictubus ſubſequentibus clauus perfectè figatur.

Secunda

Secunda concluſio. *Habitus generatur aliquandò perfectè ab vnico tantùm actu*. Probatur, quia aliquandò datur talis actus, qui ob excedentem intentionem, & perfectionem ſit virtualiter multiplex, immo etiam ſuperet multos actus remiſſos. Ergò ſi poſt multos actus acquiritur perfectè habitus, poteſt etiam acquiri perfectè poſt vnum actum multis æquiualentem, immo cùm virtus vnita ſit fortior, ſi actiuitas actuum diſperſa in multis poteſt generare perfectionem habitus, cur non poterit etiam eamdem generare multorum actiuitas, & virtus in vno tantùm vnita?

Obijcies ex Ariſt. 1. Eth. c. 7. Vnus fęlicitatis dies non facit beatum, neque vnus iuſtitiæ actus facit iuſtum, iuxtà illud *Vnus flos non facit ver*. Ergo nequè vnus actus, quamuis intenſiſſimus, producet habitum in ſtatu perfecto.

Diſtinguo antecedens. Vnus fęlicitatis actus nòn facit beatum regulariter loquendo, concedo; ſemper, & neceſſario, nego. Nam vnicus actus viſionis beatificæ facit non ſolum beatum, ſed beatiſſimum. Ariſtoteles ergo ibi loquitur de eo, quod ſolet regulariter loquendo contingere, non autem de eo, quod poſſit abſolutè loquendo contingere.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

An habitus intendatur per ſingulos actus etiam remiſſos?

INTENSIO habitus explicatur per hoc, quod faciat, vt habituatus minori attentione, & conatu operetur. E. g. vt intellectus melius apprehendat: diſtinctiùs cognoſcat etiam minus propoſita: firmiùs aſſentiatur: ardentius voluntas proſequatur, vel fugiat obiectum: citiùs, & tenaciùs memoria recordetur: plures ſimul actus ſingulæ eliciant, & alia huiuſmodi. Nomine igitur intenſionis nihil aliud intelligitur, quàm augmentum perfectionis, ſicut nomine remiſſionis intelligitur decrementum eiuſdem. Hoc autem vtrumquè eſt prædicatum proprium ſolius qualitatis, quæ eſt capax magis, & minùs, ideſt quæ poteſt fieri maior, & minor, perfectior, & imperfectior. Quarè ſi calor e. g. ſit ita exiguus in aliquo ſubiecto, vt vix poſſit illud calefacere, & propagare ſuam ſpeciem per productionem alterius caloris, dicitur remiſſus, eò quòd paucos tantùm contineat gradus perfectionis. Sin autem ſit tantæ actiuitatis, vt paruo temporis interuallo in eadem diſtantia multùm calefaciat, & plures producat in ſubiecto paſſo caloris gradus,

dus, tunc dicitur calor intenſus, eò quòd habeat plures gradus perfectionis. Vndè patet, intenſionem formaliter nihil eſſe aliud, quàm aggregatum multorum graduum, ſiuè multarum partium eiuſdem qualitatis in eadem parte ſubiecti, ſiue hi gradus diſtinguantur ſolùm formaliter, & metaphyſicè, ſiue realiter, & phyſicè, de quo agemus in libris de generatione. Remiſſio igitur erit paucitas eorumdem graduum, ità ut illa qualitas dicatur remiſſior, quæ pauciores habet eiuſdem gradus. Hi autem gradus, ſeù partes numerantur à Philoſophis vſquè ad octo, adeò vt coaceruatio octo graduum ſit intenſio omnium maxima, ſicut coaceruatio duorum eſt intenſio omnium minima. Quare quoties qualitas acquirit gradus de nouo à primo vſquè ad octauum, dicitur intendi, ſicut quando illos amittit, dicitur remitti.

Hoc poſito, quæritur, vtrum habitus, qui eſt prima ſpecies qualitatis, vt docet Ariſtoteles in prædicamentis c. *de quali*, vtrum, inquam, intendatur per quemlibet actum etiam remiſſiorem, an ſolùm per actus, qui ſint vel intenſiores habitu, vel ſaltem non remiſſiores? Pro ſolutione, ſit.

Prima Concluſio. *Habitus naturalis intenditur per quemlibet actum intenſiorem ipſo habitu*. Probatur cum Scotiſtis, Nominalibus, & Recentioribus communiter, quia quoties cauſa eſt in actu, & ſubiectum in potentia ad id, ad quod cauſa eſt in actu, toties talis cauſa poteſt aliquid primò producere, vel intendere in tali ſubiecto.

F 2 Sed

Sed quoties contingit actus intenſior habitu, hic actus eſt in actu, & habitus eſt in potentia ad id, in quo hic actus eſt in actu, ideſt habitus poteſt recipere illud augmentum perfectionis, quod habet actus. Ergo in tali caſu poteſt actus intendere habitum.

Dices. Poteſt ità actus aliquis eſſe intenſior habitu, vt tamen hic actus ſit remiſſior illis actibus, à quibus habitus fuit generatus. In tali caſu non poteſt hic actus intendere habitum, quamuis illo remiſſiorem. Ergo &c.

Nego minorem. Nam actiuitas cauſę perficientis non debet commenſurari perfectioni alterius cauſæ productiuæ talis ſubiecti, quod perficit; ſed perfectioni ipſius ſubiecti. Nam e. g. Calor productus à Sole poteſt intendi ab exiguo igne illum excedente in perfectione, & actiuitate, quamuis non excedat ipſum ſolem. Quarè in intenſione, vel remiſſione habitus nullo modò eſt attendenda perfectio illorum actuum, à quibus fuit habitus primò generatus.

Secunda Concluſio. *Habitus intenditur per quemlibet actum, non ſolùm æquè intenſum, verùm etiam ipſo habitu remiſſiorem.*

Probatur primò experientia, quia nos videmus, per ſingulos actus etiam imperfectiſſimos acquiri aliqualem facilitatem de nouo ad ſimiliter operandum. Poſtquàm enim aliquid ſemel memoriæ mandauimus e. g. quiſquè experitur in ſe per quoslibet alios actus etiam factos cum minima aduertentia, & conatu circa idem obiectum aliqualem induci nouam promptitudinem,

&

& facilitatem ad hoc vt illius recordemur. Ita etiam ſi aliquis exerceat ſeſe, vel leuiſſimè in citharizando, vel ſyllogizando, ſemper ſit expeditior ad operandum. Sed aucta facilitas eſt ſignum habitus intenſi. Ergo per quemlibet actum intenditur habitus.

Probatur ſecundo à pari, quià eadem eſt ratio primæ productionis, atque intenſionis habituum, cum intenſio nihil ſit aliud, quàm noui habitus additamentum. Ergo ſi quilibet actus poteſt habitum inchoare, quilibet etiam poteſt illi aliquam particulam addere perfectionis, illam videlicet, quam primò produceret, ſi nullam aliam productam inueniret ab alijs actibus antecedentibus.

Probatur tertio à priori, quià actus eſt cauſa æquiuoca habitus. Ergo non eſt neceſſe (vt ſuprà vidimus) quod ſit illi ſimilis, & proportionatus in perfectione, cum poſſit aliquandò etiàm cauſa æquiuoca imperfectior producere effectum ſe perfectiorem. Nam motus, quamuis valdè remiſſus, quià eſt cauſa æquiuoca, & indirecta caloris, ſemper auget aliquid illius in corpore moto; Quomodocumquè enim corpus moueatur, ſemper aliquantulum incaleſcit. Ità etiam habitus ſemper aliquantiſper augetur, & intenditur, quicumque eliciatur actus vel remiſſiſſimus.

Probatur quarto cum Durando lib. 1. diſt. 17. q. 8. quià omne paſſiuum, dùm patitur, recipit aliquam impreſſionem ab agente, cum non poſſit intelligi paſſio ſine recipiente. Sed actus agit in potentiam, quæ na-

ta eſt perfici per habitum. Ergo actus relinquit aliquam impreſſionem in potentia. Hæc eſt habitus. Ergo &c. Hoc poſito; vel hæc impreſſio ſiuè habitus durat uſquè ad impreſſionem ſecundi actus, vel non? Si primum. Ergo habitus generatus per primum actum, intenditur nunc per impreſſionem huius ſecundi actus; & hæc impreſſio per impreſſionem tertij, & ſic deinceps. Si verò impreſſio relicta à primo actu duret. Ergo actus ad illum ſubſequens relinquet ſuam impreſſionem; & ipſe primò generabit habitum non generatum à primo actu. De hac impreſſione ſecundi actus redit argumentum. Nam vel durat; & erit habitus augmentabilis; ſeu intendibilis per impreſſionem ſubſequentium; vel non remanet, & numquàm generabitur habitus. Probatur conſequentia. Nam habitus, & quæcumque alia qualitas eſt forma ſimplex, quantùm ad id, quod eſt per eſſentiam. Ergo quoad hoc debet vnico actu generari. At quantùm ad completam rationem habitus, debet pluribus actibus generari, vt ſit ſtabilis; & permanens perfectè. Ergo &c.

Dices. Omne agens in agendo intendit aſſimilare ſibi paſſum; & ſic calidum vt 2. non calefacit calidum vt quatuor. Sed ſi actus remiſſior intenderet habitum, oppoſitum contingeret. Ergo illum non intendit. Reſpondeo, hoc eſſe verum in cauſis vniuocis; non autem in æquiuocis, qualis eſt habitus reſpectu actus.

ARTI-

ARTICVLVS DVODECIMVS.

An habitus remittatur, & corrumpatur per ſolam ceſſationem ab actibus?

CERTVM eſt, quod ſicut actus ſimiles generant efficienter habitum, vt dictum eſt, ita actus illis oppoſiti generant efficienter habitum contrarium, vt infrà probabitur. Quarè hic ſolum eſt quæſtio, an aliquis habituatus per ſolam ceſſationem illorum actuum, ad quos inclinatur per talem habitum, an, inquam, huiuſmodi habitum remittat primò, & deindè etiam corrumpat?

Vnica concluſio. *Habitus non corrumpitur, vel remittitur negatiuè per ſolam ceſſationem ab actibus.*

Probatur primò ex abſurdo, quia alioquin ad conſeruandos habitus deberemus ſemper eſſe in actuali actuum exercitio, & quandò dormimus, perirent omnes habitus, quod eſt contra manifeſtam experientiã. Ergo debemus dicere, habitum non amitti, niſi per aduentum formæ poſitiuę oppoſitæ. Quænam autem ſit hæc forma, videbitur in articulo proximè ſequenti.

Probatur ſecundò à priori, quia habitus eſt qualitas ex natura ſua permanens, & ſtabilis. Ergo non pendet in conſeruari ab actibus, qui ſunt formaliter tranſeun-

F 4 tes.

tes. Eſt enim impoſſibile, vt aliquid fluens conſeruet alteri ſtabilitatem, & permanentiam in eſſe, quam ipſum non habet. Ergo &c.

Dices. Poteſt actus permodum cauſæ inadæquatæ dare habitui permanentiam in eſſe, quam ipſe non habet. Ergo poteſt etiam illam conſeruare, quamuis illam in ſe non habeat. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia cum dat eſſe habitui in prima eius generatione, exiſtit actus; at verò quando habitus conſeruatur, actus non exiſtit. Ad hoc autem vt cauſa agat, debet exiſtere. Præterquàm quod ſi res ſubtiliùs inueſtigetur, nunquàm actus dat permanentiam habitui etiam in fieri, niſi per accidens, quia ſuppoſito quod gradus ſint homogenei, & intenſio fiat per additionem partis ad partem, vt ſuprà vidimus, ſinguli actus nihil aliud faciunt, quàm producere ſuam particulam habitus vnam poſt aliam ſucceſſiuè; Et eſt omninò ſingulis accidentale, quod inueniant alias particulas antecedentes ab alijs actibus productas, quæ particulæ coaleſcentes in vnam faciant qualitatem aliquam ſtabilem. Quare nullus actus concurrit ad permanentiam habitus, ſed ſolùm ad illius primam productionem, cum illa particula, quæ primò producitur ab vno actu, non producatur, ſeù conſeruetur ab alio, ſed ſolùm inuenta in eſſe per additionem alterius augeatur.

Vrgebis. In prima productione actus dat habitui eſſe permanens, quia dat illi eſſentiam, non ſucceſſiuam, ſed permanentem, quam ipſe actus non habet

in

in ſe. Tranſacto enim actu, remanet habitus per illum genitus. Ergo etiam, quamuis non habeat in ſe permanentiam, poterit illam in habitu conſeruare, cum multò plùs requiratur ad primam rei generationem, in qua fit tranſitus de *non eſſe* ad *eſſe*, quàm ad illius conſeruationem, in qua ſupponitur res iàm exiſtere.

Reſpondeo primo non currere paritatem, quià quoàd primam productionem habitus, exiſtit de facto actus, vt nuper diximus, non autem exiſtit quoad eius conſeruationem. Quando autèm res non exiſtit, nihil poteſt operari. Quarè ſicut ictus mallei tranſeuntes ſtabiliter figunt clauum, ità actus tranſiens ſtabiliter, quamuis per accidens, producit habitum. Secundo falſum eſſe minùs virium, virtutiſquè requiri ad conſeruationem, quàm ad primam rei generationem, vt conſtabit in Phyſicis. Ratio pronunc eſt euidens, quià conſeruatio rei eſt vel formaliter, vel virtualiter continuata, & infinities replicata productio, cum res non perſeueret in eſſe, niſi acquirendo ſemper nouas, & nouas durationes. Si ergo aliqua ſentiatur difficultas in prima generatione, quantò maior ſentietur in eadem toties geminata?

ARTI-

ARTICVLVS XIII.

An habitus remittatur, & corrumpatur formaliter ab actibus contrarijs?

VNica Concluſio. *Habitus remittitur, & corrumpitur formaliter per habitum, efficienter verò per actus contrarios.*

Probatur primo quoad ſecundam partem, quia vt ait Ariſt. 2. eth. cap. 1. per eadem habitus corrumpitur, per quæ fuit acquiſitus. Ergò ſi fuit acquiſitus efficienter ab actibus, ab illis etiam efficienter corrumpetur, ſi ſint contrarij.

Probatur ſecundo à poſteriori, quia videmus experientia, per frequentationem actuum intemperantiæ e.g. paulatim amitti habitum temperantiæ, ſicut per frequentes iniuſtitias habitum iuſtitiæ, & ſic de omnibus alijs. Ergo, &c.

Probatur tertiò à priori quoad vtramque partem, quia contraria ſe mutuò naturaliter expellunt ab eodem ſubiecto. Ergò cum quilibet actus (vt ſuprà vidimus) producat aliquem habitum, duo actus oppoſiti producent duos habitus oppoſitos. Sed actus non opponitur formaliter niſi actui. Ergo actus non expellet formaliter, niſi actum, & per conſequens non expellet formaliter ipſum habitum oppoſitum, ſed

ſolum

olum efficienter. Ergò forma oppoſita habitui erit alter habitus illi oppoſitus. Ità enim ſe habet habitus ad habitum, ſicut actus ad actum. Probatur conſequentia, quià productio vnius contrarj eſt expulſio alterius ab eodem ſubiecto. Nam, vt ait Ariſtoteles in loco nuper citato, quilibet actus faciens ad generationem vnius habitus, facit etiam ad corruptionem alterius contrarij, & completa generatione vnius, completur etiam deſtructio alterius, cum ſit impoſſibile, aliquem remanere ſimul habitualiter diſpoſitum ad duos actus oppoſitos e. g. odij, & amoris circa idem obiectum.

Obijcies primò. Eſt impoſſibile, quod idem ſit cauſa, & deſtructiuum eiuſdem rei. Ergo eſt impoſſibile, quod habitus corrumpatur per actus, per quos generatur. Diſtinguo maiorem. Eſt impoſſibile, quod idem numero ſit cauſa, & deſtructiuum alterius, concedo: idem ſpecie, ſeu genere, nego. Nam calor producit calorem, qui expellitur à frigore, quod frigus eſt in eodem genere qualitatis cum calore. Quod idem dico de humiditate, & ſiccitate, quæ ſe inuicem excludunt ab eodem ſubiecto, quamuis eodem genere comprehendantur.

Obijcies ſecundo cum Gabr. in 3. diſt. 23. q. 1. Nos videmus experientia, quòd ſi aliquis diù abſtineat ab omni actuum exercitio circa aliquam materiam, e. g. circa Syllogizandum, paulatim amittit illam facilitatem, & promptitudinem, quam priùs ſentiebat, quamuis nul-

lum

lum faciat actum oppoſitum illis, quos prius elicuit ad acquirendum habitum. Hoc autem fieri non poteſt ſine aliqua ſaltem diminutione habitus, quem prius habebat. Ergo per ſolam actuum ceſſationem, ſi non corrumpitur, ſaltem remittitur habitus.

Reſpondeo primo, verum quidem eſſe in tali caſu amitti habitum; Hoc autē dico contingere occaſionaliter, non autem formaliter, ſeu efficienter ab ipſa actuū ceſſatione. Reſpondeo ſecundo, habitum exindè non amitti, ſed impediri. Quod vt probem, ſupponendum eſt, intellectum noſtrum non operari, niſi dependenter à phantaſia; adeòque quò quis pollet agilioribus, viuacioribus, & expeditioribus phantaſmatibus, eò etiam faciliùs operatur operationes intellectuales. Hoc poſito, ſi poſtquam aliquis induxit habitum e. g. benè ſyllogizandi, ideſt ità attenuarit, & diſpoſuerit phantaſmata, vt faciliimè moueantur ad ſyllogizandum. Si (inquam) deinde ignauior factus perpetuò torpeſcat in otio, diùque permaneat abſque vlla actuali exercitatione ſyllogizandi, illa phantaſmata, quibus mediantibus, intellectus antea facillimè ſyllogizabat, paulatim craſſiora facta, quodammodò inducta rubigine, obſoleſcunt. Illis autem obſoletis, & pinguioribus factis, non eſt ità facile intellectui ſyllogizare, non quià amiſerit habitum, ſed quià habet illum impeditum. Eo ferè modo, quo gladiùs vagina incluſus, vel contectus rubigine, non poteſt punctim, cęſimque ferire, non ex defectu calybis, vel acici, ſed ex impedimēto vaginæ, vel rubiginis.

Hoc

Hoc autem euidenter patet ex eo; quod ſi quis poſt huiuſmodi ceſſationem, aliqualem vtcumque conatum adhibeat, ſtatim redit ad priſtinam facilitatem; quam ſi fuiſſet corruptus habitus, nonniſi eodem conatu quo primùm fuit acquiſita, iterum acquirere poſſet.

Præterea ceſſatio ab omni actu iuſtitiæ e. g. poteſt eſſe occaſio ad actus iniuſtitiæ faciendos. Nam facilè labitur in iniuſtitiam, qui nullo modo iuſtitiam exercet, vt obſeruat Suar. diſp. 14. Met. ſect. 12. Quarè vel poteſt abſolutè negari ex ceſſatione actuum amitti habitum, cum poſſit dici, illum ſolummodò ex impedimento aliquo ſuperueniente potentiæ; quale eſt pinguedo, & craſſities phantaſmatum, occaſione talis ceſſationis impediri. Vel ſi concedatur, habitum perire; hoc ideò dicendum eſt euenire, quia exindè occaſionem ſumpſere habitus oppoſiti, ſeſe clanculùm introducendi in torpentem otio potentiam per multos frequentatos actus oppoſitos remiſſos. Videatur ſuarius loc. cit. egregiè hac de re fusè diſſerens.

Ex dictis patet, habitus naturales ſicut non perfectè acquiruntur in inſtanti, ſed ſucceſſiuè regulariter loquendo, eò quòd non ſtatim, & in inſtanti fiunt omnes illi actus, per quorum frequentationem habitus intenduntur, & perficiuntur, ità non ſtatim corrumpi. Ratio eſt, quià cum non corrumpantur, niſi per introductionem habitus contrarij, & hic non introducatur, niſi ſucceſſiuè, neque illorum corruptio poteſt fieri, niſi paulatim, & ſucceſſiuè. Secus eſt dicendum

de

de habitibus infuſis, qui cum in inſtanti acquirantur per infuſionem à Deo, in inſtanti etiam corrumpuntur. Atque adeò ſtatim aliquis, ex iuſto habitualiter per gratiam ſanctificantem, poteſt fieri malus per vnicum peccatum mortale, amittendo totum habitum ſupernaturalem gratiæ ſanctificantis, & viceuerſa.

Dixi *regulariter loquendo*, quià (vt ſuprà dictum eſt) poteſt aliquandò eſſe aliquis actus adeò perfectus, & intenſus, vt ille ſolus per generationem perfectam habitus contrarij corrumpat habitum.

ARTICVLVS XIV.

An habitus concurrat ad actum, & quomodo?

AVREOL. apud Capreol. in 2. diſt. 17. q. 1. ad 2. Duran. in 3. diſt. 23. q. 1. 2. 3. & 4. Palud. ibidem q. 2. & nonnulli alij, ſicut putarunt, habitum generari ex actu, tamquam ex cauſa ſolùm materiali, & *vt quo*, ità etiam, vt congruenter loquantur, dicunt, habitum non concurrere ad actum *vt quod*, & in genere cauſæ efficientis, ſed ſolùm *vt quo*, & in genere cauſæ materialis, ſeù diſpoſitionis. Sed hæc ſententia reijcitur primò iiſdem argumentis, quibus reiecimus aliam in articulo 8.; & prætereà ex mox dicendis.

Prima

Prima concluſio. *Habitus non concurrit ad actum per modum diſpoſitionis, & vtquo.* Probatur, quia omnis diſpoſitio poſitiua datur ſubiecto ad recipiendum potius, quàm ad agendum, vt patet inductione. Nam calor, & ſiccitas dantur in ligno ad recipiendam formam ignis: humiditas, & frigiditas introducuntur in aerem ad recipiendam formam aquæ &c.. Sed habitus non ponuntur in potentia ad recipiendum aliquid, ſed potius ad agendum. Ergo non ſunt diſpoſitiones.

Secunda concluſio. *Habitus concurrit ad actum in genere cauſæ efficientis, ſaltem inſtrumentalis.*

Probatur primo, quia habitus eſt complementum potentię, vt ait D. Tho. p. 2. q. 49. ar. 3. & q. 51. art. 2. Et confirmatur ex Ariſt. 2. Eth. c. 2. vbi hæc habet. *Omnes habitus ex operationibus ſimilibus fiunt; quià propter tales quaſdam operationes reddere oportet,* ideſt quod habitus ſicut fiunt ex actibus, ità faciunt, ſeù reddunt actus. Sicut ergo fiunt ab illis efficienter, ità & illos reddunt efficienter. Et præterea eodem loco Ariſtoteles aſſimilat virtutes animi, nempè habitus, corporum virtutibus. Sed hæ ſunt effectrices operationum corporis, & faciunt homines robuſtos. Ergo etiam habitus erunt effectiui operationum animi, ideſt actuum. Inſuper. 6. Ethic, c. 4. diſtinguit habitum in actiuum, & factiuum. Ergo admittit habitum factiuum, illum videlicèt, qui concurrat ad actus efficienter.

Probatur ſecundo à priori, quià potentia cum actu, fit vna cauſa potentior, & validior ad operandum. Ergo

Ergo habitus eſt concauſa cum potentia. Sicut ergo illa concurrit efficienter ad actum, ità & habitus.

Tertia concluſio. *Habitus concurrit efficienter non ſolùm ad modum, ideſt facilitatem actus, ſed etiam ad intenſionem, & ſubſtantiam ipſius.*

Probatur primo ex dictis, quià habitus eſt concauſa cum potentia. Ergo concurrit ad totum illud, ad quod concurrit potentia. Sed hæc concurrit non ſolùm ad facilitatem, verum etiam ad intenſionem, & ſubſtantiam actus. Ergo & ille.

Probatur ſecundo cum Suar; Capreol; Caiet; Medina, alijſque communiter, quià intenſio, ſeù perfectio actus eſt identificata cum ſubſtantia ipſius. Ergo fieri non poteſt, vt habitus concurrat ad intenſionem, ſeù perfectionem actus, quin etiam concurrat ad eius ſubſtantiam.

Obijcies cum Vaſquez p. 2. diſp. 83. Facilitas actus eſt modus aliquis illi ſuperadditus. Ergo poteſt actus quoad illum modum pendere ab habitu, & quoad ſubſtantiam à potentia.

Reſpondeo cum Suar. diſp. 44. met. ſect. 6. negando antecedens. Hæc enim facilitas, qua fit actus, nihil eſt aliud, quàm denominatio, quædam actibus extrinſeca proueniens à potentia ex habitu. Sicut enim pondus, quod eſt grauiſſimum puero, abſque vlla ſui mutatione dicitur leuiſſimũ reſpectu Gigantis; Ità idem actus, qui reſpectu potentiæ ſpoliatæ habitu dicitur difficilis, reſpectu potentiæ per habitum corroboratæ di-

dicitur facillimus. Vt ergo leuitas, quam experitur Gigas in elatione ponderis, non eſt aliquis modus ſuperadditus illi ponderi proueniens ex potentia Gigantis, ſed potius denominatio aliqua extrinſeca; ita & facilitas, quia fit actus, non eſt modus aliquis ſuperadditus actui, ſed denominatio illi extrinſeca proueniens ex potentia habituata.

ARTICVLVS XV.

An habitus concurrat immediatè ad actum?

STatuta cauſalitate habitus in actum, videndum eſt, an illa ſit immediata, vel mediata, an diſtincta à cauſalitate potentiæ, necne?

Prima concluſio. *Habitus concurrit ad actum eodem concurſu, quo ad illum concurrit potentia.* Probatur, quia habitus non eſt cauſa diuerſa à potentia, ſed eſt complementum illius, cum qua facit vnum, facit enim illam cauſam potentiorem. Vni autem cauſæ debet correſpondere vnus, idemque influxus in effectum. Ergo habitus debet concurrere cum potentia eodem concurſu.

Secunda concluſio. *Habitus concurrit immediatè ad actum.* Probatur, quia concurrit eodem modo, atque

potentia, cùm idem ſit vtriuſque influxus. Sed illa concurrit immediatè. Ergo etiam habitus.

Obijcies primò. Prius eſt potentiam operari, quàm illam facilè operari. Sed facilè operari dicit concurſum habitus, ſicut operari ſimpliciter dicit concurſum potentiæ. Ergo concurſus potentiæ debet eſſe prior.

Secundò cum Durando in 3. diſt. 23. q. 1. & ſeqq. habitus non eſt per ſe principium intenſionis actus, neque illius naturalitatis, neque bonitatis, vel malitiæ moralis, neque facilitatis, &c. quæ proueniunt vel à potentia, vel ab aliquo principio extrinſeco. Ergo nullo modo eſt principium, ſeù cauſa per ſe actus. Probat antecedens multis argumentis allatis in ſingulis quæſtionibus, quæ omnia tandem reducuntur ad hoc, quod ſupponant intenſionem, determinationem, facilitatem actus, eiuſque bonitatem, & malitiam eſſe aliquid illi ſuperadditum.

Tertiò. Si habitus volitiuus concurrit immediatè ad actum volitionis, tollit libertatem ad operandum. Poſito enim quod ille operetur, non poteſt voluntas non operari. Conſequens eſt abſurdum. Ergo ſaltem habitus volitiuus non concurrit immediatè ad actus volitionis.

Ad primum diſtinguo maiorem. Eſt priùs prioritate temporis, vel naturæ, nego: prioritate aliqua rationis, concedo maiorem. In quo ſenſu diſtincto, etiam conſequenti, nego debere concurſum potentiæ præcedere concurſum habitus vllo alio genere prioritatis, quàm

uam rationis, quæ prioritas conſiſtit in hoc, quod num concipiatur prius alio.

Dices. Vbi datur priùs, & poſteriùs, datur diſtintio. Sed inter concurſum habitus, & potentiæ datur priùs, & poſteriùs, quia vnus concipitur prius alio. Ergo datur diſtinctio, adeòque non eſt vnus, idemque concurſus.

Diſtinguo antecedens. Vbi datur priùs, & poſteriùs, ibi datur diſtinctio in illo eodem ordine, in quo datur priùs, & poſteriùs, concedo: In alio ordine, ſeu ſimpliciter, nego. Quarè cum priùs, & poſterius non dentur inter hos concurſus, niſi in ordine rationis, non dabitur diſtinctio, niſi rationis, quam vltrò concedo, & nihil eſt aliud, quàm multiplicitas noſtrorum conceptuum.

Ad ſecundum, quià nos ſupponimus oppoſitum, videlicèt omnia hæc eſſe prædicata perfectiua, & eſſentialia actui, negamus antecedens; quo corruente, corruit conſequentia.

Ad tertium nego maiorem. Nam cum habitus ſit id, quo vtimur quando volumus, vt ſuprà dictum eſt, non poteſt operari, niſi quando, & quomodò volumus. Adeòque cum ille operatur, non trahit nos ad operandum, ſed potiùs (vt ità dicam) ipſe trahitur à nobis. Eo planè modo, quo cum operatur malleus, non poteſt manus illum tractans non operari, non quià malleus trahat manum, ſed quià trahitur ab illa, qua non operante, nec ipſe operaretur.

Dices. Habitus volitiuus ità concurrit efficienter ad actus volitionis, vt moueat voluntatem per modum cauſæ formalis. In tantum ergò voluntas operatur, in quantum mouetur ab habitu. Ergo habitus ipſe non mouetur, ſed mouet.

Nego antecedens. Ratio eſt, quià nihil purè phyſicum poteſt mouere voluntatem ad operandum: Cum enim voluntas ſit potentia rationalis; non poteſt moueri, niſi ratione, ſeù cognitione proponente bonitatem obiecti, & illius electionis. Habitus autem eſt qualitas purè phyſica. Ergò non poteſt mouere voluntatem ad operandum. Ad hoc autem, vt meliùs hæc doctrina percipiatur, ità philoſophor.

Habitus cùm ſit complementum potentiæ volitiuæ, & illius concauſa, facit, vt voluntas in operando impendat minorem conatum, & adhibeat pauciores vires, adeò vt poſſit ſimul plures actus elicere, quos habitu ſpoliata non poſſet. Sin autem minorem conatum adhibet, poteſt vires diſpergere ad plures actus, illoſque faciliùs elicere, & cum voluptate, eò quod facilè, & ſuauiter operemur id, quod eſt infrà noſtras vires, & cæteroqui eſt volitum. Sed quià quoties voluntas operatur, relinquit ſpeciem memoratiuam, & cognitionem experimentalem ſui actus eliciti; Ideò poſtquàm voluntas facilè, & ſuauiter eſt operata, relinquit ſpeciem memoratiuam, & cognitionem experimentalem ſuauitatis, & delectationis, quam eſt experta in actu antecedenti. Quarè cum voluntas moueatur formaliter

naliter a cognitione honeſti, delectabilis, & facilis, x tali cognitione experimentali mouetur, & impellitur adſimiliter operandum. Id ergò, quod mouet formaliter voluntatem, non eſt habitus, a quo adiuuatur n genere comprincipij efficientis, non autem in ratione cauſæ formalis, ſed cognitio illa experimentalis uauitatis, &c. & ſpecies memoratiua actus eliciti, ideſt cognitio reflexa illius; Suppono enim, actus volitionis, & intellectus reflectere ſuprà ſe.

Neque obſtat, quòd ſuprà reiecerimus in art. 5. & 6. habitum volitiuum formaliter conſiſtere in ſpeciebus impreſſis, ſiue expreſſis. Aliud enim eſt, quòd huiuſmodi ſpecies ſint formaliter habitus, & aliud, quod moueant formaliter voluntatem. Primùm ibi benè negauimus. Secundum verò hic bene concedimus tamquàm illi nullo modo contrarium.

(:.)

ARTICVLVS XVI.

Quis, & quotuplex ſit finis habitus?

STATVTA iam triplici cauſa habitus in genere, videlicet efficiente, materiali, & formali, illius demum inquirenda eſt cauſa finalis. Pro quo ſit.

Prima concluſio. *Triplex eſt finis habitus, videlicet vniformitas, facilitas, & voluptas ad operandum.* Probatur, & explicatur, & Primò quoad primam partem, quia habitus (vt eſt inconfeſſo apud omnes) inclinat ad ſimiliter operandum. Nàm habitus temperantiæ inclinat ad actus temperantiæ, & non ad alios; habitus iuſtitiæ ad actus iuſtitiæ &c. Et ideò habituati ad aliquid, difficulter aliud, vel aliter operantur. Ergo acquirunt per habitum facilitatem non ad operandum ſimpliciter, ſed ſolum ad ſimiliter, ſeu vniformiter operandum. Hoc autem fuit neceſſarium potentijs, ne videlicèt aſſidua operandi conſuetudine nouam ſemper experirentur difficultatem, ac ſi numquàm taliter operatæ fuiſſent.

Probatur ſecunda pars, quià ea, quæ facimus ex habitu, cum facilius faciamus, promptè, & expeditè facimus. Sola enim difficultas eſt illa, quæ tollit, vel demit alacritatem in operando. Quarè Ariſtoteles ait 3. eth

c. 8

c.8. omnia repentina, ideſt quæ citò, & expeditè fiunt, fieri ex habitu. Cum enim facilia ſint ea, quæ breui tempore, & minimo labore, impenſaque abſoluuntur, & contra difficilia ſint ea, quæ non ſine dolore, & temporis magnitudine abſoluuntur, vt obſeruat Ariſt. 1. Rhet. c. 1. Si habitus facit, vt citiùs operemur; facit etiam, vt operemur faciliùs.

Probatur tertia pars, quia cum habitus ſit veluti natura, eò quòd ſit complementum, & perfectio naturalis, reddit operationem quaſi naturalem, adeòque iucundam, & ſuauem. Et ideò Ariſt. 2. eth. c. 3. dicit voluptatem, & delectationem in operando eſſe ſignum euidens habitus contracti. Qui enim operatur difficulter, non percipit voluptatem in operando. Ergo è conuerſo qui ſentit voluptatem, ſignum eſt, non operari difficulter, ablata ſcilicet per habitum difficultate.

Obijcies cum Ariſt. problem. 15. ſect. 21. Ex frequenti comeſtione eiuſdem cibi, ſeù frequenti lectitatione eiuſdem hiſtoriæ ingeneratur nauſea, & faſtidium. Ergo finis habitus non poteſt eſſe uoluptas ad operandū, cum potiùs ex frequentia actuum ſimilium reſultet oppoſitum.

Nego conſequentiam. Id enim, quod ſupponitur in antecedenti, aio prouenire per accidens vel ratione alterius rei præponderantis ad voluptatem, quam ex habitu trahimus, vel ratione affectionis internæ aliò auocantis animum, & voluntatem. Quæ omnia abſorbent quodammodo, vel tollunt, vel ſaltem non

exigua ex pacte demunt voluptatem reſultantem ex habitu. Sicut aliquis egregius Cantor, qui maximam cæteroqui percipiat voluptatem ex cantu, ſi cogatur canere genethliacon ad mortem ſui filij, quem vnicè diligebat, ex tali cantu potiùs triſtatur, non quia difficiliùs operetur ex reſiſtentia obiecti cantabilis, ſed quià tunc voluntas diſtenta ad affectum contrarium tantò vehementiorem, violenter quodammodò trahitur aliò, quæ tractio efficit, vt non ſit ità expedita ad motus labrorum, vociſque inflexionem taliter præcipiendos. Quod etiam patet in aliquo Rege, qui per vim regali turbatus è ſolio, dum totus quantus quantus eſt incumbit ad Regni recuperationem, quamuis illi congerantur obiectæ voluptates inſignes, nihil tamen, vel ferè nihil ex illis percipit lætitiæ, & gaudij propter animum auocatum ad maiorem voluptatem concupitam per recuperationem Regni.

Id quod diximus vſque adhuc de habitibus in genere, totum dictum intelligite de ſcientijs habitualibus *vt ſic*. Cum enim hæ nil ſint aliud, quàm habitus acquiſiti reſultantes ex frequentatione eorum actuum à ſe elicitorum, quibus tradunt præcepta ad benè operandum, quælibet in ſua propria materia particulari, earum tractatio in genere coincidit cum tractatione de habitibus in genere, immo eſt omninò eadem. Nàm facillimus deindè erit deſcenſus ad ſcientias particulares, quæ ſingulæ diſtinguuntur penès obiecta formalia, modumque proprium tendendi in obiecta materialia.

Supereſt

Supereſt nunc videre, an hi habitus, ſeu ſcientiæ habituales ſint ſimplices quædam qualitates indiuiſibiles, an verò ex pluribus compoſitæ?

ARTICVLVS XVII.

An ſcientiæ totales habituales ſint vna ſimplex qualitas? an ex pluribus compoſita?

CAPREOL. in Prol. q. 3. ar. 1. Ferrar. 1. cont. gent. c. 56. Caiet. p. 2. q. 54. ar. 4. & plerique Thomiſtæ dicunt, omnem ſcientiam totalem eſſe vnam ſimplicem qualitatem acquiſitam per frequentationem actuum, quæ ſe extendat etiam per nouam propoſitionem obiecti ad alios actus. E. g. dicunt, quòd per primam demonſtrationem Phyſicæ de obiecto A, acquiritur aliqua qualitas habitualis, quæ dicitur *phyſica*, quæ non ſolum det facilitatem ad faciendas alias demonſtrationes phyſicas de obiecto A; verùm etiam ſi aliter illi proponatur idem obiectum A, vel aliud illi ſimile, per extenſionem quamdam præbet etiam facilitatem ad alias demonſtrationes, & deindè per aliam propoſitionem alterius obiecti ad alias, & alias percurrendo omnia, & ſingula obiecta phyſica.

Contrà

Contrà Scotus 6. met. q. 1. & in prol. q. 3. ibique Nominales, Duran. q. 4. cum Tolet. Fonſec Suar. alijſque apud Conimbr. 1. poſter. c. 22. ar. 2. dicunt, omnes, & ſingulas ſcientias totales eſſe aggregatum ex multis qualitatibus inter ſe differentibus, conuenientibus tamen in eo, quod omnes reſpiciant obiectum ſub vna, eademque abſtractione, quam dicunt vnitatem ordinis.

Vnica concluſio. *Omnis ſcientia totalis eſt qualitas compoſita ex pluribus ſub eadem abſtractione*. Probatur primo ex Auctoribus ſecundo loco relatis, & præterea ex Ariſt. 1. Poſt. c. 22. vbi ait, Geometriam, & Arithmeticam non eſſe eamdem ſpecie ſcientiam, quamuis conſiderent obiectum ſub eadem abſtractione, ideſt quamuis ambæ vt duæ ſcientiæ particulares conflent mathematicam, quæ eſt ſcientia totalis. Ergo per Ariſtot. ſupponitur, ſcientiam totalem eſſe aggregatum quoddam genericum multarum qualitatum ſpecificarum, & non vnam tantùm ſimplicem qualitatem.

Probatur ſecundò experientia, quià quamuis ego acquiſierim facilitatem circà vnam demonſtrationem phyſicam, non tamen proindè ſentio facilitatem circà alias, niſi quatenùs ſecunda ſimilis eſt primæ, quomodò etiam vna ſcientia totalis iuuat aliam ſibi ſimilem, vel quatenùs ſecunda demonſtratio phyſica procedit per unum, aut plures terminos adhibitos in prima. Sin autèm tota ſcientia phyſica eſſet una quædam qualitas,

litas, acquiſita facilitate ad unam demonſtrationem acquirerem facilitatem ad omnes. Ergo &c.

Probatur tertio à priori, quia habitus ſequuntur conditionem actuum, à quibus ſunt producti. Cum ergo actus ſcientifici de diuerſo obiecto per diuerſa media, quæ adhibent, diuerſumque modum, quo tendunt in obiectum, differant inter ſe ſpecie, etiam ipſi habitus deben inter ſeſe differre ſpecie. Nam effectus debet ſequi naturam ſuæ cauſæ proximæ, & immediatæ.

Obijcies primò. Intellectus eſt ſimplex quędam qualitas, & tamen ſe extendit ad omnia intelligibilia, non ſolùm ſpecie, ſed etiam genere inter ſe diuerſiſſima. Ergo etiam poterit unus habitus extendere ſe ad omnia obiecta, quæ ſunt ſub eadem abſtractione.

Secundò. Experientia patet, quod acquiſito habitu circa unam demonſtrationem mathematicam v. g. faciliùs reliquas intelligimus. Ergo ſignum eſt, primum habitum extendi etiam ad illas.

Tertiò. Species impreſſa Angelo de obiecto futuro per ſolam applicationem talis obiecti, quæ fit per obiecti poſitionem in eſſe, reddit Angelum potentem illud cognoſcere. Ergo etiam qualitas habitualis poteſt reddere facilitatem ad operandum, etiam circa alia obiecta, ſi illa proponantur.

Ad primum dico Primò argumentum nimis probare. Nam probat, vnum tantum dari habitum in voluntate, & vnum in intellectu. Si enim poteſt idem

habitus

habitus dans facilitatem ad domõſtrationem A., dare etiam facilitatem ad omnes alias demonſtrationes ſub eadem abſtractione, poterit etiam idem habitus intellectus dare facilitatem ad omnes operationes intellectiuas, & idem habitus volitiuus ad operationes volitiuas. Sed hoc eſt abſurdum, eò quod tolleret ſcientiarum diſtinctionem, & virtutum moralium. Ergo &c.

Secundò nego conſequêntiam. Diſparitas eſt, quià intellectus eſt potentia naturalis; Potentiæ verò naturales, non debent ab actibus limitari, quià non acquiruntur per illos, adeoque poſſunt ſe extendere etiam ad actus oppoſitos, vt patet in voluntate, quæ poteſt idem amare, vel odiſſe. Habitus autèm naturalis, quià generatur ab actibus, ab illis quoquè limitatur.

Ad ſecundum diſtinguo antecedens. Faciliùs intelligimus reliquas demonſtrationes, ſi illæ debeant fieri iiſdem terminis, ſaltem maxima ex parte, quibus fuit facta prima, concedo; Si diuerſis omninò terminis, nego antecedens, & cum illo conſequentiam. Quandò enim aliquis ſub iiſdem terminis facere debet aliam demonſtrationem ab illa, ad quam faciendam acquiſiuit habitum, vtique ſentit ſe ab illo adiuuari. Ratio eſt, quia cum præcipua pars difficultatis, quæ ſentitur in demonſtrationibus faciendis, proueniat ex intelligentia terminorum; Si hæc ſecunda fiat ſub iiſdem terminis, non trahit ſecum tantam difficultatem, quià ſaltem non trahit difficultatem ex terminis prouenientem. Cęterùm

rùm ſi ſupponamus, eſſe faciendam aliam demonſtrationem ſiuè phyſicam, ſiuè mathematicam ſub terminis omninò diuerſis, falſum omninò eſt, ex habitu primę refundi facilitatem ad ſecundam, vt patet conſideranti, & experienti.

Ad tertium nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quæ ſuprà. Nàm hęc ſpecies cùm ſit infuſa ſupernaturaliter, vel ſaltem non acquiſita, non generatur ex actibus; adeòque mirum non eſt, ſi poſſit extendi ad actus etiam diuerſiſſimos, & oppoſitos. At verò habitus generatur ex actibus, adeòque ab illis limitatur. Prætereà hoc argumentum nimis probat, ut ſuprà dictum eſt. Ergo nihil. Atque hæc de habitibus in vniuerſum.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO SECVNDA.

De habitu Logicæ in particulari, ſeù de obiecto ipſius.

POſtquàm vidimus, quid ſit habitus,& quid ſcientia habitualis in genere, videndum eſt,quid ſit,& qualis habitus logicę in ſpecie? Sed quià magna eſt diſceptatio inter Philoſophos, an videlicet habitus logicæ ſit ſcientificus,nec nè? An ſimplex quædam facultas,an verò totius inſtrumentum Philoſophiæ? Ideò cùm natura,& quidditas habitus optimè cognoſcatur ex obiecto, ſeu ſubiecto conſiderationis ipſius, hanc alteram diſputationem inſtituemus de Logicæ obiecto, vt videlicèt ex eius notitia ipſius naturæ Logicæ notitiam eliciamus.

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid ſit Obiectum in genere, & quotuplex?

NOmine obiecti nihil intelligimus aliud, quàm id, circà quod verſatur potentia, vel habitus per ſuos actus; adeòque dicitur obiectum ab *obiiciendo*, eò quòd obijciatur potentiæ, ſeù habitui, vel faciendum, ſi talis habitus ſit factiuus, vel contemplandum, ſi ſpeculatiuus.

Obiectum in genere aliud eſt adæquatum, aliud inadæquatum. Obiectum adæquatum, ſeù totale eſt illud, quod adæquat quodammodò ſcientiam, ideſt quod cõprehendit ea omnia, circa quæ verſatur ſcientia per ſuos actus. Nam, vt ait Ariſt. 1. poſt. t. 43. debet eſſe illud, ad quod omnia, de quibus in ea ſcientia agitur, vocantur, vel tamquàm principia intrinſeca, qualia ſunt obiectum materiale, & formale, vel tamquam extrinſeca, qualia ſunt efficiēs, & finalis; vel tamquàm effectus, proprietates, ſeu paſſiones, vt eſt motus reſpectu phyſicæ, bonitas reſpectu metaphyſicæ, &c; vel alia quomodocumque cum illo eſſentialiter, ſeu neceſſariò connexa. Quare obiectum adæquatum metaphyſicæ eſt ens vt ens; Obiectum mathematicę eſt quantitas; Phyſicæ

ſi, æ corpus naturale; voluntatis bonum; intellectus verum, &c. Obiectum inadæquatum, ſeu partiale eſt illud, quod eſt ſpecies, ſeu pars obiecti totalis, ut eſt omnipotentia Dei reſpectu Theologiæ; Cęlum reſpectu Phyſicæ, Triangulum reſpectu Mathematicæ, &c.

Obiectum inadæquatum diuiditur Primò in obiectum attributionis, & attributum. Obiectum attributionis eſt illud, quod cùm habeat rationem finis vltimi, primò, & per ſe conſideratur, & in ordine ad quod cætera conſiderantur. Quarè obiectum attributionis medicinæ eſt ſanitas, quià omnia, quæ tractantur in medicina, reducuntur ad ſanitatem; Obiectum attributionis Phyſicæ eſt mixtum; Metaphyſicæ Subſtantia; Theologiæ Deus &c. Obiecta attributa ſunt ea omnia, quæ cum ſint partes obiecti adæquati, non ſunt obiectum attributionis, cuiuſmodi ſunt pulſus, color, & cibus reſpectu medicinæ: materia, & forma reſpectu phyſicæ: Incarnatio, & Chriſti paſſio reſpectu Theologiæ &c.

Diuiditur ſecundò in obiectum materiale, & formale. Obiectum materiale eſt illud omne, circa quod verſatur ſcientia per ſuos actus, vt videlicèt introducat in illud ſuam formam. Formale eſt illa forma, quæ introducitur, ſeù ratio illa, propter quam obiectum materiale ad talem ſcientiam pertinet. Illud ergo dicitur materiale à materia, quià ſicut illa eſt indifferens adhoc vt informetur hac, uel illa forma; ità hoc obiectum eſt indifferens, ad hoc ut conſideretur ab hac,

uel

vel illa ſcientia, & ſit proprium talis ſcientiæ per obiectum formale. Adeoque dicitur etiam ſubiectum, quia in illo recipitur obiectum formale, ſeu finis ſcientiæ. Nam e. g. idem homo ut eſt corpus naturale, conſideratur à phyſica; vt eſt ens, conſideratur à metaphyſica; ut eſt aliquod ſubiectum morbis, & ſanabile per artem, à medicina; ut eſt fælicitabilis, à morali; ut eſt aliquid menſurabile, à mathematica &c. Quarè obiectum materiale ſtatuariæ eſt marmor, & forma, ſeu figura in illud introducenda eſt obiectum formale; reſpectu uiſionis obiectum materiale eſt coloratum, & formale, eſt color; reſpectu medicinæ materiale eſt homo, & formale eſt ſanitas, &c.

Hoc poſito, quæritur, quidnam ſit id, circa quod verſatur logica tamquàm circà obiectum materiale? & quæ ſit illa forma, quam intendit in illud introducere tamquàm ſuum obiectum formale?

ARTICVLVS SECVNDVS.

Proponuntur Variæ ſententiæ de Obiecto logicæ.

ALIQVI inhærentes veſtigijs Platonis cum Mirandulano, De Nobilibus, Nominalibus, & nonnullis ex antiquis Peripateticis dixere, obiectum materiale logicæ eſſe voces, eaumque rectam diſpoſitionem eſſe obiectum formale.

Verum hi Auctores, quantum ego arbitror, æquiuocationem patiuntur in verbo. Plato enim nomine vocis, ſeu verbi intellexit non hanc extimam ab ore ſoni prolationem, ſed intimam conceptuum harmoniam, vt patebit in loco. Quarè malè transferunt ad rem planè diſſonam tanti Viri ſententiam. Qui enim fieri poteſt, vt Plato non animaduerterit, finem logicę non eſſe docere modum, benè loquendi, ſicut facit Rhetorica, ſed ſolum benè diſcurrendi?

Alij cum Ianduno 4. met. q. 6. et. 2. met. q. 12. Zabarell. lib. 1. de nat. log. c. 17. et. 19. & alijs, inter quos Alcinenſis lib. de doctr. Platonis c. 3. enumerat etiam tamquam ſibi minimè conſtantem Platonem nuper allatum ex lib. 7. de Rep. Omnes, inquam, hi aiunt, obiectum materiale logicæ eſſe res omnes; earum verò rectam diſpoſitionem eſſe obiectum formale. Hi autem, niſi eamdem patiantur & ipſi æquiuocationem, intelligendo ſcilicet nomine rei res intellectus, ideſt operationes, non video, quorùm ſolido fundamento philoſophentur. Quomodò enim dicent, ad logicam ſpectare rectam lapidum diſpoſitionem, conſiderationem fulminum, metallorum &c. Nam ſi hoc concedant, logicam quoquè vniuerſalem eſſe ſcientiarum omnium enceclopediam fateantur neceſſe eſt.

Alij cum D. Tho. lib. 4. met. lect. 4. Auerr. 4. met. comment. 2. & Thomiſtis communiter dicunt, obiectum materiale logicæ eſſe ens rationis metaphyſicum, cuius nomine intelligunt illud, quod habet tantùm eſſe obie-

obiectiuè in intellectu, quod eſt aliquid impoſſibile. Hi tamen Auctores, cùm ſupponant aliquod falſum, videlicèt concreta ſecundarum intentionum conſtitui formaliter per aliquam relationem impoſſibilem, vt patebit infrà, etiam ipſi nobis non probantur.

Nonnulli ex Recentioribus dicunt, obiectum materiale logicæ eſſe intellectum humanum, vel Angelicum, eiuſque operationem rectam eſſe obiectum formale. Quamuis enim (vt aiũt) omnes ſcientiæ perficiant intellectum, nulla tamen ſcientia habet hoc pro fine primario, immediato, & per ſe, ſicut habet logica. Verum hæc ſentẽtia, vt congruenter loqueretur, deberet etiam dicere, os eſſe obiectum materiale Rhetoricæ, Muſicæ aerem, & alia huiuſmodi, quæ ſine riſu admitti non poſſunt.

ARTICVLVS TERTIVS.

Reijcitur prima ſententia Nominalium.

VNica concluſio. *Voces non ſunt obiectum materiale proximum Logicæ.* Probatur primò, quia poteſt aliquis eſſe perfectiſſimus logicus, & exercere omnia præcepta logicæ abſque vlla voce. Quis enim neget, mutos, & ſurdos poſſe eſſe perfectiſſimos logicos, ſi benè ſciant mente diuidere, definire, & ſyllogizare?

Ergo forma logicæ poteſt haberi ſine vocibus, & per conſequens hæ non ſunt obiectum materiale illius.

Probatur ſecundò, quià non minus ſcriptura ponitur loco conceptuum mentalium, quàm voces. Ergo ſi illæ ſunt obiectum logicæ, quià per illos exercemus operationes logicas, etiam ſcriptura, & quilibet alius modus loquendi per ſigna erit obiectum logicæ, quòd nemo dicet. Tertiò quià forma logicæ non introducitur in voces, vt videbimus infrà. Ergo, &c.

Obijcies Primò. Logica dicitur à λόγος, quod ſignificat ſermocinationem. Sed hæc non poteſt fieri ſine vocibus. Ergo &c. Secundò. Logica eſt ars progymnaſtica, ideſt diſſerens pro vtraque contradictionis parte. Ergo debet verſari circà aliquam materiam fictam, in qua proludat, ſicut ars militaris progymnaſtica proludit enſibus fictis. Hæc autem materia ficta non poteſt eſſe aliud, quàm voces. Ergo verſatur circa voces.

Tertiò. Obiectum librorum de interpretatione, & Elenchorum ſunt voces; nam in his libris agitur de vocum vſu, diſpoſitione, interpretatione, &c. Sed hi libri ſunt partes logicæ. Ergo ſaltem quoad aliquam ſui partem logica verſatur circà voces.

Quartò. Ad nullam aliam ſcientiam ſpectat docere modum conficiendi Syllogiſmos uocales in *Barbara* &c. Ergo ad logicam. Sed hi ſunt uoces. Ergo, &c.

Ad Primum dico, duplicem dari ſermocinationem, aliam internam, quæ eſt propria logicæ, & aliam externam

nam, ſeù uocalem, quæ ſpectat ad grammaticam, & rhetoricam. Logica ergo dicitur ars ſermocinandi primo modo, non autem ſecundo, cum uerbum illud λόγος, utrumque ſignificet.

Ad ſecundum nego primum antecedens; munus enim logicę non eſt exercere ſcientias per aliquam quaſi proluſionem in materia ficta, ad hoc ut aſſueſcant benè deindè uerſari in materia propria, ſed illas dirigere immediatè ad hoc ut benè faciant ſingulæ ſuas operationes. Hoc autem patet ex eo, quià ſi logica eſſet habitus progymnaſticus, haberet idem obiectum cum omnibus alijs ſcientijs, quibus inſeruit, vt faciunt omnes alij habitus progymnaſtici. Nam gladiatoria, ſeù ars benè tractandi enſem, quæ eſt progymnaſtica reſpectu militaris, verſatur, ſicut illa, circà gladios immediatè, cum hoc ſolùm diſcrimine, quòd illa verſetur circà fictos, hæc autem circà ueros; Quod idem patet, inductione facta per omnes alios.

Ad tertium nego minorem, uidelicèt hos libros eſſe propriè partes logicæ. Ea enim, quæ in illis tractantur; non ſpectant ad logicam primò, & per ſe, ſed ſolùm ſecundariò, & per accidens, quatenùs uidelicèt illorum notitia conducit ab benè dirigendas operationes intellectus, qui facilè erraret, niſi benè perciperet terminos, quibus medijs operatur. Sicut ergo tela, tabula, & alia huiuſmodi, quæ debet Pictor aptare ad pingendum, non ſunt obiecta proxima picturæ; Ità nec ea, quæ diximus, logicæ.

Dices. In logica traduntur præcepta de vocibus, nam definitur nomen, uerbum, oratio &c. Ergo &c. Diſtinguo antecedens. Traduntur hæc præcepta in logica, primò, & per ſe, nego: ſecundariò, & per accidens, concedo. In tantum enim traduntur hæc præcepta de uocibus, inquantum uoces ſunt ſigna conceptuum, nec poſſumus alitèr de conceptibus præcepta tradere. Sicut ergo uenerando ſtatuam Cæſaris, ueneramur Cæſarem per illam expreſſum; ita tradendo pręcepta de uocibus, inſtruimus per illas conceptus huiuſmodi uocibus expreſſos.

Ad quartum nego antecedens. Spectat enim ad peritiam linguæ reddere uocibus ſibi proprijs omnia, & ſingula obiecta.

Dices. Poteſt aliquis perfectiſſimè callere linguam germanicam e. g. ſeù anglicanam, & tamen neſcire conficere ſyllogiſmos germanicos, ſeù anglicanos in *Barbara*. Ergo hoc non ſpectat ad peritiam linguæ.

Diſtinguo antecedens, Poſito quòd huiuſmodi ſiuè Germanus, ſiuè Anglus ſciat quid ſit Syllogiſmus in *Barbara*, nego: poſito quòd non habeat talem notitiam, tranſeat antecedens; & nego conſequentiam. Sicut enim pictura non poteſt coloribus exprimere obiecta, quæ non nouit, ità, & peritia linguæ non poteſt reddere vocibus quæ non nouit,

ARTI-

ARTICVLVS QVARTVS.

Reijcitur ſecunda ſententia Zabarellæ.

VNica concluſio. *Res omnes non ſunt obiectum materiale proximum logicæ.* Probatur, quia obiectum materiale proximum debet eſſe illud, quod primò, & per ſe conſideratur, & in quod introducitur forma logicæ. Logica autem neque conſiderat res omnes, neque intendit in illas introducere ſuam formam, ut patet. Ergo res omnes non ſunt obiectum materiale proximum illius.

Obijcies primo. Res omnes ſunt obiectum actuum logicæ. Ergo & logicæ. Secundò in logica agitur de prædicamentis. Ergo de rebus omnibus. Tertiò ad logicam ſpectat ſcire naturam generis, & ſpeciei, aliarumque intentionum obiectiuarum, quales ſunt prædicatum, ſubiectum, &c. Sed genus, ſpecies, & alia huiuſmodi ſunt res omnes. Ergo ad logicam ſpectat ſcire de rebus omnibus.

Ad primum diſtinguo antecedens. Res omnes ſunt obiectum actuum imperatorum à logica, concedo; actuum elicitorum, nego. Omnis enim actus cuiuſcumque ſcientiæ, quatenus directus à logica dicitur actus ab illa imperatus, ut dictũ eſt in diſputatione procemiali. Quarè non eſt mirum, ſi huiuſmodi actus uerſentur cir-

 ca

cta obiecta omnium ſcientiarum, à quarum habitibus ipſi eliciuntur.

Dices. Hic actus *definitio debet conuerti cum ſuo definito* eſt actus elicitus à logica. Sed hic uerſatur immediatè circa res omnes, quia res omnes poſſunt definiri. Ergo aliquis actus à logica elicitus uerſatur circa res omnes.

Nego minorem; nàm hoc præceptum uerſatur quidem immediatè, & proximè circà omnes definitiones, non tamen circà obiecta definibilia, niſi quatenùs ipſæ quoquè definitiones poſſunt reflexè alijs actibus definiri. Sicut ergo quamuis pictura doceat quomodo ſit coloribus equus exprimendus, non dicitur proximè uerſari circa equum, ſed ſolum circà illius expreſſionem, ſiuè imaginem coloribus faciendam; ità, & logica, quamuis doceat quomodo res omnes ſint definiendæ, non uerſatur, niſi remotè circà res ipſas definibiles.

Vrgebis. Hic actus tendit primò, per ſe, & immediatè in omnes definitiones. Ergo in res omnes, quià cùm definitio ſit idem cum definito, de quo prædicatur, & definita ſint res omnes, non poteſt immediatè tendere in unum, quin eodem modo tendat in aliud.

Diſtinguo antecedés. Hic actus tendit in omnes definitiones formales, ideſt in actus ipſos definientes, concedo: tendit in definitiones obiectiuas, ideſt in obiecta definibilia, nego antecedens. Cum enim dicitur, definitionem conuerti, & eſſe idem cum definito, non eſt ſermo de actu ipſo definitiuo, qui dicitur *definitio formalis*

malis, & eſt obiectum logicæ, ſed de obiecto talis actus, quod dicitur *definitio obiectiua*. Non enim actus, quo dico *homo eſt animal rationale*, eſt idem cum homine, ſed obiectum talis actus.

Ad ſecundum diſtinguo antecedens. In logica agitur de prædicamentis primariò, & per ſe, nego: ſecundariò, & per accidens, concedo: In tantùm enim agit logica de prædicamentis, in quantùm agit de operationibus intellectus, quæ circa illa verſantur. Quarè ad ſummum res omnes poſſunt dici obiectum remotum logicæ, quatenùs ſcilicèt ſunt obiectum ipſius obiecti.

Ad tertium diſtinguo maiorem. Ad logicam ſpectat ſcire naturam generis, ſpeciei, &c. materialiter, & ſpecificatiuè ſumptorum, nego: formaliter, & reduplicatiuè ſumptorum, concedo maiorem. Et diſtinguo minorem. Hæc ſumpta formaliter, & reduplicatiuè ſunt res omnes, nego, nam ſolum ſunt noſtri conceptus: materialiter, concedo minorem, ſed ex illa non ſequitur conſequentia, quæ proindè negatur ut falſa.

(∴)

ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS.

Reijciuntur aliæ duæ poſtremæ ſententiæ.

PRIMA concluſio. *Ens rationis metaphyſicum non eſt obiectum logicæ.* Probatur, quià nullo modo conſideratur à logica, neque poteſt illius formam recipere. Cùm enim logica ſit habitus non ſolùm poſſibilis, ſed de facto exiſtens, eſt ens omninò reale, adeoque intendit introducere in ſuum obiectum materiale formam aliquam ſibi proportionatam, cuiuſmodi capax non eſt, niſi ſubiectum reale.

Obijcies primò. Logica habet pro obiecto concreta ſecundarum intentionum, ut nuper conceſſum eſt. Sed hæc conſtituuntur formaliter per relationem aliquam unius ad aliud, quæ relatiò cùm ſit inter duo identificata, qualia ſunt ſubiectum, & prædicatum, genus, & ſpecies, non poteſt eſſe realis. Ergo eſt relatio impoſſibilis, atque adeò ens rationis metaphyſicum.

Secundò. Omne cõcretum dicit formam intrinſecam ſubiecto. Sed forma huius concreti *cognitus*, non poteſt eſſe realis, quià ſi eſſet realis, maximè eſſet cognitio, quæ eſt extrinſeca rei cognitæ. Ergo debet eſſe ficta, & rationis.

Ter-

Tertiò. Eſt impoſſibile, quod diuerſa denominatio procedat ab eadem forma. Ergo cùm ſit diuerſa denominatio ſubiecti à denominatione prædicati, non poteſt haberi ab *eadem forma, ſed ab alia;* non reali. Ergo ficta.

Quartò. Nõ poteſt intelligi quid ſit cognitũ, niſi concipiatur in illo aliquis ordo ad cognoſcentem. Hic autem ordo non poteſt eſſe realis, quià daretur actio in diſtans. Ergo rationis.

Ad primum nego minorem. Hæc enim concreta includunt tamquàm formam denominantem, non relationem aliquam fictam, ſed cognitionem ueram, & realem inhęrentem extrinſecè ſubiecto, quod denominatur tale, & dicitur ſubiectum denominationis. Ad hoc enim ut *Petrus* e. g. ſit ſubiectum, & *homo* prædicatum, nihil requiritur aliud, niſi ut detur aliqua cognitio affirmans hominem de Petro.

Dicés. Non poteſt intelligi, aliquid eſſe ſubiectum, niſi referatur ad id, quod eſt prædicatum, & uicęuerſa. Ergo unum dicit relationem ad aliud. Sed hæc relatio non poteſt eſſe realis, quia ſubiectum eſt idem cum prædicato, & nulla res refertur ad ſe ipſam realiter. Ergo eſt relatio ficta.

Diſtinguo antęcedens. Non poteſt intelligi, aliquid eſſe ſubiectum, niſi ut ſubiectum formaliter referatur ad id, quod eſt prædicatum materialiter ſumptum, concedo: niſi referatur ad prædicatum formaliter ſumptum, nego. Relatio enim, quam ſubiectum dicit ad prædicatum, eſt relatio indiſtincta ab ipſa cognitione compoſitiua,

tiua, per quam ſubiectum conſtituitur in eſſe ſubiectum ſecundòintentionaliter ad id, quod eſt prædicatum ſecundum ſe, ſeu primointentionaliter. Et ideo cùm ſit inter res cognitas acceptas diuerſimodè, unam uidelicet formaliter, & aliam materialiter, nihil eſt, preter ipſam cognitionem, atque adeo eſt aliquid reale.

Vrgebis. Genus dicit relationem ad ſpeciem; non realem; ergo fictam. Nego maiorem. Vel enim genus conſideratur ut eſt prædicabile de pluribus ſpeciebus, uel ut aliquid uniuerſale aptum eſſe in pluribus ſpeciebus? Neutro modo importat relationem ad ſpecies, eo quòd primùm conſtituatur formaliter per poſſibilitatē prædicationis depluribus ſpeciebus, & ſecundum per poſſibilitatem ipſarum plurium ſpecierum. Hæc autem poſſibilitas, ſiuè prædicationis, ſiuè ſpecierum, cùm ſit diſtincta realiter ab eo, quod eſt genus, eo quòd nihil ſit aliud, quàm omnipotentia Dei, quamuis dicat aliquam relationem ad ſpecies, non tamen ſequitur, quòd ipſum genus dicat relationem ad ſpecies. Præterquàm quod hæc relatio poſſibilitatis utriuſque ad ſpecies eſt realiſſima. Ergo quamuis concedatur in ipſo genere, nihil concluditur pro ente rationis metaphyſico.

Ad ſecundum nego maiorem. Multæ enim ſunt denominationes à forma extrinſeca ſubiecto, quales ſunt diues, veſtitus, agens, &c.

Ad tertium nego antecedens. Nam agens, & paſſum denominantur ab eadem actione: calefaciens, & cale-

calefactum ab eadem calefactione &c.

Ad quartum nego maiorem. Satis enim eſt, quòd concipiatur ordo cognoſcentis ad obiectum cognitum. Præterquàmquod quamuis hoc concedatur, adhuc tamen exindè nihil probatur. Sicut enim ex eo quòd ego non poſſim concipere tenebras, niſi ad modum veli nigri, & Angelum, niſi ad modum iuuenis alati, non ſequitur, vel tenebras velum eſſe nigrum, vel Angelum iuuenem alatum; ità ex eo quòd non poſſim concipere cognitum, niſi cum aliquo ordine ad cognoſcentem, non ſequitur, cognitum dicere talem ordinem, ſed ſolum hoc contingere ex noſtro modo concipiendi.

Secnnda concluſio. *Intellectus humanus non eſt obiectum materiale proximum logicæ.* Probatur primò, quià in illum non introducitur immediatè forma logicæ. Secundò, quià non eſt ſubiectum conſiderationis reſpe ctu logicæ, quæ nihil planè conſiderat de natura, & proprietatibus intellectus. Tertiò, quià quamuis operationes intellectus reciperentur in alio ſubiecto, quàm in ſubſtantia ipſius, adhuc logica obtineret totum ſuum finem.

Quartò, quià alioquin os eſſet obiectum materiale Rhetoricæ, & aer muſicæ, cùm nulla poſſit aſſignari diſparitas, quarè ſubiectum operationum intellectiuarum ſit obiectum logicæ, & ſubiectum operationum rhetoricarum, ſeù muſicarum non ſit obiectum talium facultatum. Sed hoc eſt ridiculum. Ergo Intellectus

nullo

nullo modo eſt obiectum materiale proximum logicæ.

Obijcies. Ad nullam aliam ſcientiam ſpectat dirigere intellectum immediatè. Ergo ad logicam. Nego conſequentiam. Cùm enim tota directio intellectus ſit in ordine ad bene operandum, debet immediatè cadere ſupra ipſas operationes. Quarè ipſe in ſe immediatè non debet dirigi ab vlla ſciẽtia, ſicut nulla alia potentia dirigitur immediatè in ſe, ſed ſolum in ſuis actibus.

Dices. Poteſt dirigi immediatè in actu primo. Ergo &c. Nego conſequentiam. Ratio eſt, quià omnis directio intellectus in actu primo eſt directio in actu ſecundo. Nam ad inferendum, dirigitur in iudicando; ad iudicandum dirigitur in apprehendendo; & ad apprehendendum dirigitur in excitatione ſpecierum, quæ fit uel neceſſariò ex clariſſima propoſitione obiecti, & ad hanc non datur alia directio, quàm à natura; uel ex imperio uoluntatis, & tunc dirigitur ab illa.

ARTI-

ARTICVLVS SEXTVS.

Statuitur quodnam ſit obiectum materiale proximum logicæ. Vbi. An definitio ſit prima operatio intellectus, vel ſecunda? & an detur veritas formalis ſoli oppoſita ignorantiæ?

VNica concluſio. *Omnes tres operationes intellectus genericè ſumptæ, ſunt obiectum materiale proximum logicæ:* Probatur primò cum Scoto q. 3. prædicam. Ochamo initio ſuæ logicæ, D. Tho. præfat. in Periher. & 1. Poſt. in 1. Fonſec. 2. met. c. 3. ſect. 4. Conimbr. q. 5. ar. 2. & Recentioribus communiter, qui omnes dicunt, logicam verſari circà diuiſiones, definitiones, & ſyllogiſmos. Sed hæ ſunt formaliter operationes noſtri intellectus. Ergo obiectum logicæ ſunt huiuſmodi operationes. Ex quo patet, omnes actus logicæ, ſeù præcepta actualia eſſe actus, vel cognitiones reflexas, ideſt ſecundas intentiones formales verſantes circà operationes dirigibiles, ſeù ſecundas intentiones obiectiuas à ſcientijs eliciendas.

Probatur ſecundò; quià omnes libri logicæ verſantur circà operationes intellectus, vt ipſe fatetur Ariſt. 1. Pe-

Digitized by Google

1. Periher. init., & 2. poſter. c. 10. Nam libri Prædicamentorum, & Perihermenias dirigunt primam, & ſecundam operationes, & alij tertiam. Ergo tota logica verſatur circà operationes; atque adeò hæ ſolæ ſunt obiectum adæquatum illius.

Probatur tertiò per excluſionem omnium aliorum, vt ſuprà vidimus. Ergo cùm directio logicæ cadat in ipſas operationes, quæ cùm poſſint male fieri, benè fiunt per directionem logicæ, earum rectitudo eſt finis, & illa forma, quam logica intendit introducere in ſuum obiectum materiale, & ipſæ operationes ſunt obiectum materiale.

Obijcies primò. Prima operatio intellectus non habet in ſe veritatem formalem. Ergo non poteſt dirigi, neque expeti à logica, quæ habet pro fine ſolam veritatem formalem, & per conſequens non poteſt eſſe obiectum ipſius.

Secundò. Omnia, quæ tractantur in logica, reducuntur ad Syllogiſmum. Ergo non conſiderantur per ſe.

Tertiò. Logica eſt inſtrumentum ſcientiarum. Ergo habet eumdem illarum finem. Sed aliæ ſcientiæ non habent pro fine veritatem formalem ſub ratione dirigibilitatis. Ergo neque logica.

Aliquis Recentior, vt reſpondeat primo argumento, dicit, definitionem eſſe ſimplicem apprehenſionem, adeòque primam operationem intellectus, & citat pro ſe Ariſt. 1. met. t. 4. Sed verè, & realiter Ariſt. in toto illo textu nihil planè dicit, ex quo poſſit hoc argui, ſi benè

nè percipiatur vis linguæ latinæ, nedùm philoſophiæ. Verba autem ſunt hæc. *In hunc itaquè modum, & de his aſſenſerunt, & de ipſo quid eſt incæperunt quidem dicere, & definire, ſed valdè ſimpliciter tractarunt. Definiebant namquè perſunctoriè, & cui primò dicta definitio ineſſet, hoc eſſe ſubſtantiam rei putauerunt, &c.* Cœtera, quæ ſuperſunt ſunt omninò impertinentia ad probandam definitionis ſimplicitatem. Quarè niſi paſſus ſit æquiuocationem in hoc verbo *primò dicta definitio &c;* non video quomodo potuerit Ariſtotelem teſtem vocare, loco citato, ſuæ opinionis.

Quòd autèm definitio non poſſit eſſe prima operatio, ſic euidenter probo. Nomine definitionis intelligitur oratio explicans eſſentiam definiti, vt patet ex ſummulis. Non poſſet autem quidquam explicare, ſi nihil affirmaret. Ergo debet aliquid affirmare. Maior patet ex eius definitione. Minor probatur, quià e. g. definitio hominis non explicaret formaliter eſſentiam hominis per ſolas has voces *animal, rationale*. Si enim hæ voces non coniunguntur in vnum, nòn conſtituunt ſpeciem diuidentem *animal*, ſub quo proximè continetur *homo*, qui eſt definitus. Ergo non explicant eſſentiam ipſius. Quarè debent in vnum connecti. Hic autèm nexus non poteſt explicari per ſolum &, vel aliam particulam copulatiuam, quæ non faciunt ſenſum perfectum, & ſemper relinquunt intellectum indifferentem ad hoc, vt extrema componat, vel diuidat intentionaliter; nam poteſt dicere, *animal, & rationa-*

le ſunt quid vnum in homine. Et poteſt dicere *animal, & rationale ſunt duo, alterum genus, & alterum ſpecies*. Ergo ad hoc, vt faciant ſenſum perfectum, debent necti per par iculam *eſt*, quæ ſit nota iudicij, ſeù ſecundæ operationis, & non primæ.

Confirmatur, quia ſi ego neſciam vltimam differentiam leonis, e. g., ego non percipiam eius eſſentiam per hoc, quòd aliquis dicat *animal* ex vna parte, & *rugibile* ex alia. Quia, hoc non obſtante, poſſum dubitare, an hoc ſecundum conueniat illi animali, quod dicitur *leo*, an alteri? Ergo hæ voces non conſtituunt definitionem eſſentialem equi, quæ debet explicare eius quidditatem, niſi componantur per particulam *eſt*.

Idem Auctor allucinatus eſt etiam cum dixit, in prima operatione, quamuis non detur veritas formalis oppoſita falſitati, dari tamen veritatem formalem oppoſitam ignorantiæ. Nam ignorantia nulli alij opponitur, quàm ſcientiæ. Ergo cùm in prima operatione non detur ſcientia, neque poteſt in illa dari veritas oppoſita ignorantiæ. Quòd autem ignorantia opponatur tantùm ſcientiæ, probatur quià quamuis ego videndo pictam chimæram, eliciam apprehenſionem ſimplicem illius, ſi tamen iudicatiuè neſciam, quid illa ſit adhuc tamen dicor ignorare chimæram. Aduerte tamen, nomine ſcientiæ non intelligi à me hîc rigorosè ſolam concluſionem certam, vniuerſalem, & euidenté, ſed intelligi ſcientiam latè dictam, per quam aliquid ſcimus. Sed eſt impoſſibile, quòd per primam operationem

tionem aliquid ſciatur, quia ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere, vt videbimus infrà, & per primam operationem non cognoſcitur res per cauſam. Ergo per per primam operationem non depellitur ignorantia.

Reſpondeo igitur ad argumentum ſuprà factum, diſtinguendo primò antecedens. Prima operatio non habet formaliter veritatem formalem, concedo: non habet illam diſpoſitiuè; quatenùs videlicet diſponit intellectum tamquàm medium vnicè neceſſarium ad veritatem formalem, nego antecedens, & cum illo conſequentiam. Hanc enim veritatem diſpoſitiuam dico ſufficere ad hoc, vt non ſolum prima operatio per ſe expetatur, ſed neceſſariò expetatur à logica tamquàm id, ſine quo ſuum finem conſequi non poteſt.

Reſpondeo ſecundò, primam operationem habere etiam formaliter ueritatem formalem incomplexam, quæ dicitur veritas imaginis, vt probabimus in libro tertio diſp.2. art.1. Ergo poteſt abſolutè vt falſum negari antecedens.

Reſpondeo tertiò conceſſo abſolutè antecedenti, negando conſequẽtiam. Ex eo enim quòd prima operatio nullam habeat in ſe ueritatem formalem, non ſequitur, quòd illa non ſit per ſe expetibilis, cùm ſit aliquod bonum intellectus obiecta diſtinctè cognoſcere, quod fit per primam operationem. Sed omne bonum eſt expetibile per ſe. Ergo poteſt etiam per ſe expeti prima operatio.

Neque obſtat, quòd ſit eſſentialiter ordinata ad ſecundam,

cundam, quia etiam ſecunda ordinatur ad tertiā, & tamen eſt per ſe expetibilis; & corpus naturale ordinatur ad Deum, & tamen per ſe conſideratur à phyſica. Quarè prima operatio reſpectu logicæ non eſt purè mediū, ſed habet etiam rationem finis, quamuis non ultimi. Quòd autem poſſit à logica etiam dirigi, probatur, quià poteſt fieri dependenter à præceptis ipſius; Poſſum enim ex vi huius præcepti *bona definitio debet conſtare ex genere, & differentia* elicere apprehenſionem tàm generis, quàm differentiæ.

Dices. Prima operatio non poteſt malè fieri, quia neque poteſt eſſe diſformis ſuo obiecto, neque falſa. Ergo non poteſt dirigi. Diſtinguo antecedens. Non poteſt malè fieri, adeoquè eſſe falſa formaliter in ſe, tranſeat antecedens; In ordine ad ſcientias, nego antecedens. Si enim phyſica e. g. velit hominem definire, & loco apprehenſionis *animalis*, qua indiget, habeat apprehenſionem *viuentis*, habet quidem aliquam apprehenſionem in ſe formaliter bonam, non tamen bonam ipſi phyſicæ hìc, & nunc. Logica ergo facit, vt fiat illa apprehenſio, quæ hìc & nunc eſt bona ſcientiæ.

Vrgebis. Intellectus eſt determinatus ad primam operationem; non enim poteſt obiectum non cognoſcere, quod ſibi debitè proponitur, ſeù repręſentatur. Ergo non poteſt ad illam dirigi. Diſtinguo antecedens, eſt determinatus quoad ſubſtantiam, concedo; quoad modum, nego antecedens, & cum illo conſequentiam. Quid ſit autem determinari quoad modum, & quid de-

terminari quoad ſubſtantiam, fusè explicatum habes in diſputat. proœm. art. 2. in reſp. ad. 1.

Ad ſecundum nego conſequentiam. Nam etiam elementa conſiderantur per ſe à phyſica, quamuis conſiderentur in ordine ad mixtum.

Ad tertium diſtinguo primum conſequens. Logica habet eumdem finem immediatum, ſeù proximum, & particularem, nego: eumdem finem vniuerſalem, ſeù vltimum, tranſeat conſequentia; ex qua nihil ſequitur contra nos. Nam frenifactoria habet pro fine ſuo immediato fabrefactionem boni freni, licèt quatenus ſeruit equeſtri, habeat pro fine bonam directionem equi. Ità etiam logica habet pro fine immediato, & proximo rectitudinem omnium, & ſingularum operationum intellectus, licèt quatenus inſeruit ſcientijs, habeat alium finem.

Dices. Logica non eſt inuenta, niſi ad ſcientias regulandas. Ergo non poteſt habere alium finem, quàm finem ſcientiarum. Nego conſequentiam. Nam etiam ars equitandi eſt inuenta ad hoc, vt dirigat homines ad benè tractandos equos; vt commodè, & tutè equitent; & ars nauigandi, vt commodè, & tutò nauigetur; & tamen vtraque poteſt etiam dirigere equitantes, & nauigantes ad bellum.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Quid ſit obiectum formale, & quid obiectum attributionis logicę?

PRIMA concluſio. *Operationis rectitudo; ſeu directio inducenda in ipſam operationem intellectus, ſeu operationis dirigibilitas eſt obiectum formale logicæ*. Probatur, quia hæc eſt vnica forma, quam logica intendit inducere in ſuum obiectum materiale; & eſt id, per quod operationes intellectus ſpectāt ad logicam. Nam præſcindendo ab earum dirigibilitate ſpectant etiam ad animaſticam, ad phyſicam; & metaphyſicam. Ergo &c.

Obijcies primò. Ipſa præcepta logicæ (quorum complexum conſtituunt formaliter logicam actualem) ſunt operationes intellectus. Sed hęc præcepta habent prò obiecto operationes intellectus. Ergo logica actualis habet pro obiecto ſe ipſam.

Secundò. Obiectum formale, quia debet determinare indifferentiam obiecti materialis, debet eſſe aliquid ab illo phyſicè diſtinctum. Huiuſmodi non eſt rectitudo reſpectu operationum intellectus. Ergo hęc non poteſt eſſe obiectum formale logicæ.

Tertiò. Obiectum materiale eſt indifferens; forma-

le

le non eſt indifferens. Ergo ſi eſſent realiter idem, eidem realiter conuenirent contradictoria.

Quartò. Aliæ artes conſiderant obiectum, non ſolum vt factibile, ſed etiam vt factum, vt poſſint illud corrigere. Ergo etiam logica. Sed ſi eius obiectum formale eſſet operationum rectitudo, hoc de ipſa verificari non poſſet, propter huius identitatem cum obiecto materiali. Ergo hæc rectitudo non eſt obiectum formale logicæ.

Ad primum dico, quòd argumentum procederet, ſi logica haberet pro obiecto operationes vt directiuas, non autem vt dirigibiles. Nam etiam metaphyſica habet pro obiecto omne ens, & tamen non habet pro obiecto ſe ipſam, quamuis habeat pro obiecto ſuos actus, qui ſunt formaliter ens. Hos enim actus non conſiderat vt actus tendentes circa tale obiectum, ſub qua ſolùm conſideratione ſunt formaliter metaphyſica actualis, ſed ſolùm, vt entia. Quod idem dico de multis alijs habitibus, ſeu ſcientijs ſpeculatiuis.

Ad ſecundum dico, hoc eſſe verum, ſi ſermo ſit de habitibus factiuis, qui relinquunt aliquod opus poſt ſe, vt ſunt ſtatuaria, pictura, &c. non autem ſi ſermo ſit de habitibus actiuis, qui nullum relinquunt opus poſt ſe, vt ſunt muſica cythariſtica, ſaltatoria, & ipſa logica.

Ad tertium diſtinguo ſecundam partem antecedentis. Obiectum formale non eſt indifferens, ſi accipiatur formaliter, & reduplicatiuè, concedo: ſi accipiatur ma-

terialiter, & ſpecificatiuè, nego ſecundam partem antecedentis,& cum illa conſequentiam. Nam obiectum formale quatenus eſt idem cum materiali eſt indifferens,quia nihil eſt aliud, quàm entitas talis obiecti; acceptum verò formaliter reduplicat talem formalitatem, per quam conſtituitur in eſſe obiectum formale, quæ formalitas non eſt idem cum entitate obiecti materialis, ſaltèm metaphyſicè. Ad hoc autem vt duo ſint contradictoria, debent accipi ſemper eodem modo, non ſolum materialiter, ſed etiam formaliter.

Ad quartum diſtinguo eodem modo antecedens. Si ſermo ſit de habitibus factiuis, qui habent pro obiecto aliquid permanens,concedo: ſi de actiuis, qui verſantur circà aliquod fluens, nego antecedens, & cum illo conſequentiam.

Secunda concluſio. *Obiectum attributionis logicæ eſt Syllogiſmus*. Probatur, quia ſyllogiſmus eſt id, in ordine ad quod conſiderantur cœtera, quæ tractantur in logica, & ipſe per ſe ab illa conſideratur, tamquàm obiectum principale, & vltimus eius finis. Ergo verificantur de illo omnes conditiones requiſitæ ad obiectum attributionis, vt diximus in diſput. proem.

Ex dictis colligitur primò, omnes, & ſingulas operationes intellectus eſſe obiecta attributa logicæ, earumque complexum eſſe obiectum illius adæquatum.

Secundò

Secundò logicam eſſe habitum inſtrumentalem ſcientiarum, cuius munus, & finis eſt illas dirigere, ad hoc vt ſingulæ benè operentur in propria materia. Quià tamen exindè valdè altercantur Auctores in deſignanda natura talis habitus, qui dicitur logica; nam alij illum dicunt, eſſe ſpeculatiuum, & alij practicum; Ideò priuſquam litem dirimamus, tertia inſtituẽda diſputatio eſt de ſciẽtia actuali, in qua ſtatuemus, in quo conſiſtat formaliter ratio practici, & ſpeculatiui, vt exinde mox eliciamus, an logica ſit ſcientia practica, vel ſpeculatiua?

(.·.)

DISPV-

DISPVTATIO TERTIA.

De Scientia actuali.

S*Cientiæ habituali actualem ſubnectimus tamquàm cauſam effectui, vt videlicèt omnia ſimul eodem tractatu, quæ ſpectant ad ſcientiã, habeantur. Hoc enim modo, & faciliùs, & vtiliùs percipientur. In hanc autem diſputationem ferè omnia, ſaltem præcipua, quæ fuſiſſimè tractantur ab Ariſt. in lib poſt. reſolutionũm, congeſſimus, vt ſimul, & logicam materiam, & libros Ariſtotelis quoad eius fieri poſſit, percurramus.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid ſit ſcientia actualis, & quotuplex?

ARiſt. 1. poſt. c. 2. t. 5. vniuerſam ſcientiam actualem bifariam diuidit, videlicèt in ſciẽtiam ſimplicem, & compoſitam, ſeù demonſtrationem. Scientia ſimplex definitur ibidem, & præterea. 6. eth. c. 3. hoc modo. *Cognitio rei per cauſam, propter quam res eſt, quòd illius cauſa eſt, &*

non-

non contingit aliter ſe habere. Ad ſcientiam igitur actualem ſimplicem duo requiruntur. Primum eſt, vt ſit cognitio rei procedens per eius cauſam, quæ cauſa debet eſſe vera, realis, & propria, non ficta, ſeu apparens; & ideò additur, *quòd illius cauſa eſt*. Secundum eſt, vt ſit de obiecto neceſſario. Præterea quia ſcientia debet reddere intellectum imperturbabilem, vt habetur ibidem t. 5. Ideò multa alia requiruntur, quæ omnia ſingula ſingulis concluſionibus ſtatuemus.

Prima concluſio. *Scientia debet eſſe cognitio euidens*. Probatur, quia niſi ſcientia ſit euidens, ſemper intellectus poſſet dubitare de veritate illius, adeòque non fieret per illam imperturbabilis, ſicut facit ſcientia. In tantum enim dubitatur de veritate huius principij. *Omne triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis*, in quantum hoc non apparet euidenter; cùm ſola euidentia excludat formidinem de oppoſito.

Secunda concluſio. *Omnis ſcientia debet eſſe cognitio vera*. Probatur, quia non poteſt eſſe euidens, niſi ſit vera, eo quòd de falſo euidentia haberi non poſſit. Ratio eſt; quia ſi poſſet dari euidentia de falſo, natura nos deciperet, quibus daret errorem incorrigibilem. Qui enim corrigatur vt falſum id, quod euidenter apparet tale?

Tertia concluſio. *Omnis ſcientia debet eſſe tertia operatio intellectus, ſeu actus concluſionis*. Probatur, quia ſcientia debet cognoſcere rem per ſuam cauſam. Nulla autem cognitio cognoſcit rem per ſuam cauſam præ-

ter

ter actum concluſionis, qui cognoſcit ſuum obiectum per præmiſſas, ſeù per obiectum præmiſſarum, quæ ſunt cauſa illius. Nam prima operatio ſimpliciter cognoſcit obiectum, & ſecunda ſimpliciter de illo iudicat. Ergo nulla alia cognitio poteſt eſſe ſcientia præter actum concluſionis.

Quarta concluſio, *Scientia debet eſſe concluſio vniuerſalis, & neceſſaria*. Probatur, quià, vt patet ex allata definitione, debet eſſe talis, vt eius obiectum non contingat aliter ſe habere; ideſt debet eſſe cognitio neceſſariò vera, ſeù de obiecto neceſſario. Sed nulla cognitio ſingularis, ſeù de obiecto ſingulari eſt huiuſmodi, quia ſingularia cùm generentur, & corrumpantur, poſſunt aliter ſe habere, vel ſaltem non habent proprietates demonſtrandas, niſi ſub aliqua ratione vniuerſali, videlicet ſub ratione generis, vel ſpeciei, vt probat Ariſt. 1. poſt. t. 33. & 34. & 2. de an. t. 68. Ergo nulla ſcientia poteſt eſſe vel ſingularis, vel de obiecto ſingulari.

Obijcies primò, Si ſcientia debet eſſe de obiecto neceſſario, non poteſt dari, niſi de Deo, qui ſolus neceſſariò exiſtit. Conſequens eſt falſum. Ergo & antecedens.

Secundò. Hæc propoſitio *Petrus eſt animal* eſt neceſſariò vera, quià eſt in materia neceſſaria, & tamen non eſt vniuerſalis. Ergo ad hoc, vt ſcientia ſit de obiecto neceſſario, non eſt neceſse, quòd ſit vniuerſalis.

Ad primùm primò diſtinguo maiorem. Si ly *neceſ-*

ſariò

ſariò ſonet neceſſitatem exiſtentiæ, concedo; Sin autem ſonet neceſſitatem connexionis inter ſubiectum, eiuſque proprietates, vel inter rem cognitam, & cauſam, per quam cognoſcitur, nego maiorem. Et diſtinguo eodem modo conſequens. Non debet eſſe de obiecto neceſſario neceſſitate exiſtentiæ, concedo: neceſſitate connexionis nuper explicatæ, nego conſequentiam. Secundò cum Ariſtotele nego maiorem. Nam in ſententia ipſius vniuerſalia, qualia ſunt genera, & ſpecies, ſunt ingenerabilia, & incorruptibilia; adeoque cùm ſcientia ſit de vniuerſalibus, vel ſaltem demonſtret ſingularia per proprietates vniuerſales, vt habetur apertè 1. poſt. t. 33. & 2. de an. t. 68., ideò ſecundum Peripateticos ſcientia eſt etiam de obiecto neceſſario quoad exiſtentiam.

Ad ſecundum primò diſtinguo antecedens. Illa propoſitio eſt in materia neceſſaria, & in ſe demonſtrabili, nego: eſt in materia neceſſaria, & demonſtrabili ſolùm per aliquod vniuerſale, tranſeat antecedens. Et nego conſequentiã. Secundò diſtinguo conſequens. Ad hoc vt ſit de obiecto neceſſariò quoad exiſtentiam, non debet eſſe vniuerſalis, nego: quoad connexionem ſubiecti cum proprietatibus, tranſeat conſequentia.

Quinta concluſio. *Debet ſcientia habere præmiſſas indemonſtrabiles, primas, & immediatas, ideſt quæ ſint primà principia immediatè nota.* Probatur, quia ſcientia debet eſſe cognitio per cauſam proximam, & ideò dicitur *cognitio rei per cauſam, per quam res eſt, & quòd illius cauſa*

eſt,

eſt, vt habetur in locis citatis. Sed ſi huiuſmodi cauſa proxima non eſſet immediatè nota, & euidens non poſſet cauſare euidentiam ipſius ſcientiæ, quæ ſequitur ab illa tamquam concluſio ex præmiſſis. Nam (vt ait Ariſtoteles) *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Ergo debet eſſe talis, vt non indigeat vlteriori demonſtratione, ſed ſit notior, ſaltem quoad nos. Præterea cùm actus concluſionis reflectat ſuprà præmiſſas, vt videbimus in loco, ſi huiuſmodi præmiſſę non eſſent primæ, & indemonſtrabiles, ſed indigerent vlteriori probatione, ſemper intellectus ad illas reflectens, dum eſt concluſionem eliciturus, poſſet dubitare de illarum veritate. Non poſſet ergo per illas tamquam per aliquid dubitabile determinari ad concluſionem ſcientificam, quæ debet eſſe aliquid indubitabile.

Ex dictis ſequitur, ſcientiam actualem rigoroſè ſumptam debere eſſe actum concluſionis, verum, euidentem vniuerſalem, neceſſarium, ex præmiſſis indemonſtrabilibus, primis, & immediatis, qualis eſt concluſio huius ſyllogiſmi, *omne rationale, & volitiuum eſt capax beatitudinis; Sed omnis homo eſt rationalis, & volitiuus. Ergo omnis homo eſt capax beatitudinis*. Nam hic actus eſt concluſio vniuerſalis, vera, & euidens, pendens ex illis præmiſſis vniuerſalibus, & neceſſarijs. *Omne rationale, & volitiuum eſt capax beatitudinis. Omnis homo eſt rationalis, & volitiuus*, quæ abſque ulla alia probatione immediatè ſunt euidentes.

ARTI-

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quid ſit demonſtratio, & quotuplex?

Demonſtratio, quæ eſt altera pars in quã diuiditur ſcientia, nihil eſt aliud, vt habetur ex. 1. poſt. c. 2. quàm ſyllogiſmus ſcientialis, ideſt qui facit ſcientiam. Quarè cùm concluſio uniuerſalis euidens, & neceſſaria non poſſit effici, niſi ex præmiſſis uniuerſalibus, neceſſarijs, & euidentibus, ut ait Ariſtoteles ibidem his uerbis, *Neceſſe eſt & demonſtratiuam ſcientiam ex verisque eſſe, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus*; ideò nomine demonſtrationis intelligimus totum aliquem ſyllogiſmum uniuerſalem, neceſſarium, & euidentem, ut eſt *Barbara*.

Demonſtratio ergo ſolum differt à ſcientia tamquã totum à parte, eo quòd ſcientia ſit ſolùm concluſio, adeoque pars demonſtrationis, quæ eſt integer ſyllogiſmus. Hæc autem per Ariſtotelem 1. poſt. t. 30. eſt duplex Alia dicitur *propter quid*, & eſt illa, quæ probat concluſionem à priori, ideſt per cauſam prædicati concluſionis, ut eſt illa, quam nuper attulimus in fine primi articuli, in qua *eſſe rationale*, quod eſt medius terminus, eſt cauſa capacitatis beatitudinis, quæ eſt prædicatum concluſionis. Alia dicitur demonſtratio

quid,

quia, & eſt illa, quæ probat concluſionem à poſteriori, uidelicet ab effectu prædicati concluſionis, qualis eſt hæc. *Omne riſibile eſt rationale. Omnis homo eſt riſibilis. Ergo omnis homo eſt rationalis*. Nam ly *riſibile*, quod eſt medius terminus; eſt effectus *rationalis*; quod eſt prædicatum concluſionis. Et hæc demonſtratio eſt multò frequentior, quàm alia, quià nobis faciliùs innoteſcunt effectus, quàm cauſæ rerum.

Prima concluſio. *Neque ſcientia, neque demonſtratio poßunt eſſe in aliis modis, quàm in Barbara, & Celarent*. Probatur, quià omnes alij modi vel concludunt particulariter, vel indirectè. Si particulariter, non poteſt eorum concluſio eſſe ſcientia, quæ ſolum eſt vniuerſalium. Si indirectè, non poteſt eorum concluſio eſſe euidens, vt dictum eſt in Organo. Ergo nullus alius modus poteſt eſſe aptus demonſtrationi, vel ſcientiæ.

Secunda concluſio. *Propriè, & rigoroſè non datur demonſtratio, niſi in Barbara*. Probatur, quia rigoroſa demonſtratio eſt illa, per quam aliquid ſcimus. Sed non poſſumus aliquid per illam ſcire, niſi ſit de obiecto poſitiuo. Ergo debet eſſe de obiecto poſitiuo, adeoque concludere poſitiuè, cuiuſmodi non eſt *Celarent*.

Tertia concluſio. *Poteſt aliquando haberi demonſtratio per præmiſſas virtualiter tantùm immediatè notas*. Probatur primò ex Ariſt. 1. top. c. 1., vbi hæc habet. *Demonſtratio verò eſt, quando ex veris, & primis ſyllogiſmus erit, aut ex talibus, quæ per aliqua prima, & vera eius, quæ circa ipſa eſt cognitionis principium ſumpſerunt*. Probatur

ſecundò,

ſecundò, quia alioquin pleræque demonſtrationes mathematicæ non eſſent veræ demonſtrationes, cùm plerumque earum præmiſſæ ſint concluſiones aliarum demonſtrationum antecedentium vſque ad prima principia. Tunc autem dicuntur eſſe immediatè notæ virtualiter, quando per regreſſum demonſtratiuum reducuntur ad prima principia. Quid vero ſit hic regreſſus, mox patebit articulo proximè ſequenti.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quomodo ſit faciendus regreſſus demonſtratiuus?

REgreſſus dicitur à regrediendo, eò quòd per illum retrò demonſtrando recedimus. Tunc autem fit, quando ſeruatis iiſdem terminis ſecundum quantitatem, & qualitatem, illa cauſa, quæ cognoſcebatur per effectum, aſſumitur vt medium ad effectum iterùm cognoſcendum; ità ut effectus, qui erat medius terminus, fiat maior extremitas, & viceuerſa, cauſa, quæ erat maior extremitas, fiat medius terminus. Quarè hic regreſſus propriè fit reducendo demonſtrationem *quià* ad demonſtrationem *propter quid*, vt docet Ariſt. 1. poſt. t. 97. & 98. E.g. hæc demonſtratio *quià*. *Omne riſibile eſt rationale*. *Omnis homo eſt riſibilis*. *Ergo omnis homo eſt rationalis*, reducitur ad de-

monſtrationem *propter quid* hoc modo. *Omne rationale eſt riſibile. Omnis homo eſt rationalis. Ergo omnis homo eſt riſibilis*. In hac enim demonſtratione *rationale*, quod erat maius extremum in alia demonſtratione, fit medius terminus; *& riſibile*, quod erat medius terminus, fit maius extremum.

Hic autem regreſſus eſt vtilis, quià per illum diſtinctè cognoſcimus effectus per ſuas cauſas, quos priùs tantùm confusè cognoſcebamus. Nam e. g. in illa prima demonſtratione, *Omne riſibile eſt rationale &c.* non apparet clarè connexio, quam habet *riſibile* cùm *rationali*. Ex eo enim, quòd *omne riſibile ſit rationale*; *& omnis homo ſit riſibilis*, non ſequitur, niſi confusè, *riſibile* eſſe effectum *hominis*: Sicut ex eo quòd *omnis homo ſit rationalis*, & *omne rationale ſit homo*, non ſequitur, quòd *homo* ſit effectus *rationalis*. Poſito autèm hoc regreſſu, apparet diſtinctè hæc connexio. Nam eſt impoſſibile, *omne rationale eſſe riſibile*, & *omnem hominem eſſe rationalem*, quin *riſibile* ſit effectus *hominis*. Si enim *riſibile* in maiori ſit effectus *rationalis*, & in minori *rationale* ſit effectus *hominis*, vtiquè *riſibile* erit effectus ipſius *hominis*.

Hoc regreſſu vſus eſt ſæpiſſimè Ariſtoteles, & præcipuè 8. lib. phyſ., vbi probat, dari vnum Deum. Nam cùm a textu 48. & ſeqq. probet per demonſtrationem *quià* ex motu (quem ipſe falſo ſupponit æternum) motorem æternum; deinde t. 53. per demonſtrationem *propter quid* ex motore æterno, probat motus æternitatem, adeòque mundum ab æterno fuiſſe contrà ea, quæ

docent

docent non ſolùm fides, verum etiam ipſa naturalis Philoſophia.

ARTICVLVS QVARTVS.

An detur ſcientia actualis de nouo?

EX Veteribus Philoſophis, quippè quibus nullum affulſit iubar cęleſtis ſapientiæ, non defuere nonnulli, qui ſplendidè cæcutientes in rerum indagatione, perperam philoſophabantur. Inter hos principem tenet locum Plato, & Pythagoras, qui ſupponentes animarum tranſmigrationem ex vno in aliud corpus, omnem tollebant è medio ſcientiam actualem de nouo. Dicebant ſiquidem, omnem cognitionem, quam de facto elicimus, eſſe reminiſcentiam; Atque adeò poſſe quidem eſſe ſcientiam, ſed non de nouo. His autem turpius errabant alij, vt Heraclitus, & Cratylus arbitrantes omnem, quam de facto ſcientiam appellamus, aliud nō eſſe, quàm opinionem aliquam, incertamque de rebus exiſtimationē. Quorum veſtigijs inhærentes nonnulli cognomento *Achademici*, & *Sceptici* omnia ad opinionem referebant. Verùm eorum ſiuè ineptiam, ſiuè inſaniam ſatis, ſuperque reijcit reliquorum Philoſophorum numerus infinitus. Præterquam quòd cùm definitum fuerit Conc. 6. Conſtantinopolitano actione 11. contra Origenem non

 dari

dari præſuppoſitā animarum tranſmigrationem, ſi datur de facto aliqua ſcientia in ſubiectis de nouo naſcentibus, illa ſine dubio eſt de nouo. Sed datur. Ergo &c.

Vnica concluſio. *Datur Scientia actualis de nouo*. Probatur primò, quià dantur de facto concluſiones vniuerſales, euidentes, & neceſſariæ, vt ſunt concluſiones in *Barbara*. Hæ namquè ſunt tales, vt ſi quis illas negâret, poſſet cogi ad concedendas duas propoſitiones contradictorias contrà illud, *impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe*. Ergo ſunt ſcientiæ, quià per illas intellectus redditur omninò quietus, & imperturbabilis. Sed illæ ſunt de nouo. Ergo &c.

Secundò, quià mathematica abundat demonſtrationibus, vt videre eſt in Archimede, Euclide &c. Sed hæ ſiunt de nouo. Ergo.

Tertiò, quià vt ait Ariſt. 1. met. c. 1. Omnis homo habet naturalem inſtinctum, & deſiderium ſciendi. Cùm ergò hoc ſit homini à Deo inditum, ne dicamus, illi fruſtrà inditum eſſe, debet poſſe expleri; nihil enim eſt fruſtrà in rerum natura, vt ait Ariſt. 2. de Cęlo t. 50. & 59. & lib. 3. de an. t. 45. Sed niſi eſſet naturaliter poſſibilis ſciētia de nouo, hoc deſiderium eſſet inexplebile, adeoque fruſtraneum. Ergo debet eſſe poſſibilis ſcientia de nouo, immo debet de facto dari, ad hoc vt de facto, ſaltèm in aliquo homine, expleatur hoc deſiderium.

Quartò argumentor ad hominem contra huiuſmodi Philoſophos negantes ſcientiam. Vel enim ſciebant, non dari illam de nouo, vel neſciebant? Si primùm, ſibi

con-

contradicebant, nam habebant ſcientiam de eo, quod negabant. Si ſecundùm; ergo erant ſtulti, temerarij, & mendaces, quippè qui negabant, quod neſciebant.

Aduerſus doctrinam adeò neceſſariam, & euidẽtem, illud vnicum opponitur à pleriſquè, quod quantò caret veræ ſoliditatis, tantò ſemper maioribus plauſibus obtruditur, quippè quòd ſenſibus peruium facillimum eſt ab omnibus intellectu, etiam uel mediocris ingenij, vel puſillæ litteraturæ. Argumentum autem eſt huiuſmodi. Omnis cognitio, quam de facto habemus in hac vita, vel mediatè, vel immediatè pendet à ſenſibus externis, iuxtà illud toties inculcatum ab Ariſtotele *nihil eſt in intellectu, quòd priùs non fuerit in ſenſu*. Senſus autem externi ſępè falluntur, vt patet in oculo, qui videt in aqua baculum integrum, & remum vt fractum, & inflexum. Ergo omnis noſtra cognitio ſubiacet errori. Sed nulla cognitio, quæ ſubiacet errori, eſt ſcientia, quià non reddit intellectum imperturbabilem. Ergo nulla noſtra cognitio eſt ſcientia.

Reſpondeo primò cùm Ariſt. 2. de an. t. 63. ſenſum, non vitiatum ab intrinſeco numquàm decipi circa obiectum proprium, ſi debitè applicetur. Quamuis enim decipiatur interdùm circà commune ſenſibile, hoc tamen ferè ſemper accidit ob malam applicationem, vel ob diuerſitatem medij. Secundò. Eſto ſenſus aliquandò fallantur, ſi accipiantur ſeorſim, ideſt quòd determinent intellectum ad iudicium aliquod falſum. Hoc tamen nihil probat, primò, quià, plerùmque non contingit, ſed

ſolùm rarò. Deindè, quia ſi hoc contingit in aliquo ſenſu particulari, non contingit in omnibus ſimul, adeòque poteſt error unius corrigi per alium ſenſum; ut patet in caſu allato, in quo deceptio oculi circà baculum in aqua, tollitur à manu. Quare quamuis omnis noſtra cognitio à ſenſibus pendeat; non tamē ſequitur, quòd omnis noſtra cognitio ſit expoſita falſitati, vel quia vt plurimùm pendet à ſenſu non falſo, uel quia pendet à pluribus ſimul ſenſibus, quorum unus corrigat errorem alterius contractum, uel ex diſtantia improportionata, uel ex corpore intermedio refrangente ſpecies obiecti ad ſenſorium. Præterquàmquòd ſunt aliquæ cognitiones, quæ tàm remotè pendent à ſenſibus, ut ſit impoſſibile, earum errores (ſi qui eſſent) non deprehendi, cùm toties circà illas reflectat intellectus, cuiuſmodi ſunt. *Omne totum eſt maius ſua parte: Quodlibet vel eſt, vel non eſt: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe, &c.* Ergo ſaltem hæ poſſunt reddere intellectum imperturbabilem. Reſpondeo demùm; hoc argumentum nimis probare. Si quid enim probat, tollit è medio omnem euidentiam phyſicam, adeòq; uniuerſam naturalem Philoſophiam in illa fundatam.

ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS.

An Logica ſit Scientia?

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Vidimus vſquè adhùc, dari ſcientiam actualem utſic. Videndum nùnc eſt, an inter ſcientias ipſa etiàm logica, quade agimus ſit recenſenda?

Vnica concluſio. *Logica eſt ſcientia, ſaltem lato modo, ideſt cognitio certa, & euidens, ſi ſermo ſit de logica actuali.* Probatur primò, quià nomine ſcientiæ actualis nihil intelligimus aliud, quàm complexum, ſeù aggregatum plurium præceptorum ſpectantium ad eumdem habitum, quæ præcepta ſingula ſint actus ſcientifici. Sed plura, immo omnia præcepta logicæ ſunt actus ſcientifici, ſaltem lato modo, ideſt ſunt cognitiones certæ, & euidentes. Ergo logica eſt ſcientia. Maior patet ex definitione. Minor probatur, quià omnia præcepta logicæ fundantur uel inductione, uel principio aliquo euidenti, qualia ſunt *dictum de omni, dictum de nullo* &c. Nam omnia præcepta logicæ uel ſunt de benè diuidendo, uel de benè definiendo, vel de bene ſyllogizando. Hæc poſtrema præcepta fundantur in illis principijs nuper relatis, quæ ſunt euidentiſſima. Alia fundantur in inductione facta per omnia, quæ etiam eſt euidens, ſaltèm phyſicè. Præterquàm

Digitized by Google

quòd cùm ordinentur ad ſyllogiſmum, probantur per illius principia. Ergo &c.

Secundò, quià ſi logica non eſſet ſcientia, eius præcepta non eſſent certa, & euidentia, adeòquè nulla ſcientia eſſet certa, & euidens, quià nulla ſcientia ſciret certò, & euidenter, vtrum hæc concluſio in propria materia benè inferatur ex talibus præmiſſis; vtrùm hæc definitio, vel diuiſio ſit bona? &c. quorum probatio ſpectat ad ſolam logicam. Ergo nulla daretur ſcientia.

Obijcies primò. Logica per Ariſtotelem eſt modus ſciendi. Ergo non eſt ſcientia. Secundò. Inductio non eſt argumentum certum, & euidens. Ergo cùm aliqua præcepta logicæ fundentur in inductione, non poſſunt eſſe certa, & euidentia. Tertiò. Syllogiſmus topicus poteſt eſſe falſus, quià eſt in materia topica, quæ ſubiacet erroribus. Ergo præcepta logicæ de illo conficiendo non poſſunt eſſe certa, & euidentia. Quartò. Ariſt. 3. met. c. 1. & 4. met. c. 2. & 1. poſt. t. 5. & 1. prior. c. 3. & 1. top. c. 1., & alibi paſſim docet, dialecticam eſſe facultatem in vtramque contradictionis partem æquè diſceptatricem. Sed eſt impoſſibile, quòd in vtraquè contradictionis parte detur veritas, quæ eſt vna tantum. Ergo eſt impoſſibile, quòd logica verſetur ſemper circa veritatem. Sed cognitio non vera non poteſt eſſe ſcientia, vt ſupra vidimus. Ergo non omne præceptum logicæ eſt ſcientificum. Præterea 1. Rhet. c. 4. expreſsè habetur, Rhetoricam, & dialecticam

non

non eſſe ſcientias, ſed facultates. Ergo logica per Ariſtotelem non eſt ſcientia.

Ad primùm nego conſequentiam. Nam verum quidem eſt, modum ſciendi non eſſe illam ſcientiam, cuius eſt modus; non tamen eſt uerùm, nullam eſſe ſcientiam. Poteſt enim vna ſcientia eſſe modus alterius.

Ad ſecundùm diſtinguo antecedens. Inductio facta per omnia ſingularia non eſt argumentum certum, & euidens, nego. Inductio facta per aliqua, concedo antecedens. Illa enim eſt cognitio vniuerſalis, & fundamentum totius euidentiæ phyſicæ, quæ fundatur in hoc, quòd Deus hìc, & nunc non faciat miraculum, ſed permittat, cauſas ſecundas eodem modo operari, ſicut operari conſueuere. Quarè cùm logica fundetur in prima illa inductione facta per omnia, ſub eadem diſtinctione, neganda eſt conſequentia.

Ad tertiùm diſtinguo primò antecedens. Syllogiſmus topicus poteſt eſſe falſus euidenter, nego: probabiliter, concedo. Falſitas autem probabiliter tantùm apparens non tollit ueritatem probabilem. Ex eo enim quòd hìc, & nunc Medea oderit filium, non tollit quominùs ſit uerùm probabiliter, ab omni matre amari filium. Sed præcepta de ſyllogiſmo topico non habent pro fine ueritatem euidentem, quæ eſt impoſſibilis in materia topica, ſed ueritatem probabilem. Ergo cùm quilibet ſyllogiſmus topicus, quamuis realiter falſus, habeat euidenter ueritatem probabilem, præcepta de

illo

illo conſtruendo ſemper ſunt euidenter uera, quia ſemper euidenter datur, uel in ipſa falſitate, probabilitas ueritatis, iuxtà illud, *falſa aliquandò ſunt probabiliora veris*. Nam ille ſyllogiſmus ſuprà factus, *omnis mater amat filium. Medea eſt mater. Ergo amat filium*, ſemper euidenter habet hoc, quòd applicatus in diuerſis materijs topicis plerumque uerificetur, in quo conſiſtit formaliter intrinſeca ipſius probabilitas. Præterquàm-quòd præcepta de conficiendo ſyllogiſmo topico (& erit pro ſecunda reſponſione) non habent pro fine ueritatem aſſenſus, ſed illationis. Quarè cùm hæc concluſio. *Ergo Medea amat filium*, benè inferatur ex illis præmiſſis, *omnis mater amat filium*, & *Medea eſt mater*, præcepta conſequuntur ſuum finem.

Dices. Syllogiſmus topicus poteſt eſſe falſus. Ergo non eſt bonum intellectus, qui ſolùm habet pro fine ueritatem. Ergo præcepta de confectione illius non poſſunt eſse ſcientia, quæ cùm ſit uirtus, debet eſse diſpoſitio perfecti ad optimum. Nego conſequentiá. Primò quià quamuis poſſit eſſe falſus, tamen plerumquè eſt uerus, ſicut medicina plerumque iuuat, quamuis poſſit nocere. Quarè ſicut medicina eſt bona homini, ità & ſyllogiſmus topicus intellectui. Deindè quià in talibus circumſtantijs, cùm non poſſit haberi euidentia, bonum, immo optimum eſt intellectui habere opinionem, quam ſi non haberet, obiectum nullo modo cognoſceret.

Ad quartùm reſpondeo cùm Amico tract. 1. q. 4. dub.

2. Ari-

2. Ariſtotelem in ijs locis, nomine dialecticæ non intelligere logicam, de qua eſt ſermo; ſed aliam diuerſiſſimam facultatem, cuius munus ſit uel ad oſtentationem ingenij, uel ad trahendos in ſententiam Auditores, contendere pro utraque contradictionis parte; quod non intendit logica. Hoc autem manifeſtè colligitur ex 8. top. c. 1. ubi Ariſt. ait, dialecticam æquè probare ex falſis, atque ex ueris; quod de logica minimè uerificatur. Nam cùm hæc dicatur à *ratiocinando*, ſicut illa à *diſſerendo*, ſeu *diſputando*, illius erit materiam pro omni diſputatione præbere, ut habetur ex. 4. met. t. 5. & 1. Elench. c. 11. & huius erit formam ratiocinandi ſuppeditare.

ARTICVLVS SEXTVS,

Quid ſit cognitio, ſeu ſcientia ſpeculatiua, & quotuplex?

Nomine ſcientiæ ſpeculatiuæ intelligimus ſcientiam ſtrictiſſimè, & rigoroſè dictam, ideſt illam *cognitionem, qua cognoſcimus rem per ſuam cauſam, propter quam res eſt, & non contingit aliter ſe habere*. Quamuis enim poſſit dari ſcientia lato modo, quæ conſiſtat ſolum in hoc, quòd ſit cognitio certa, & euidens, non tamen hæc ſcientia poteſt eſſe ſpeculatiua, niſi habeat etiam alia prædicata,

Scien-

Scientia igitur ſpeculatiua dicitur à *ſpeculando*, eo quòd tota ſit in ſpeculatione, ſeù contemplatione ſui obiecti, & nullum habeat alium finem, quàm illud ſpeculari, ſeù contemplari. Quæ contemplatio cùm non ſit aliquod diſtinctum ab actibus ipſius ſcientiæ ſpeculatricis, ſeù contemplatricis; ideò dicitur illius finis aliud non eſſe, quàm ipſemet actus, & dicitur ſcientia eſſe gratia ſui, eò quòd non ordinetur ad aliud, quàm ad ſe ipſam. Quià tamen non ſemper eodem modo procedit hæc contemplatio, ideò non eſt vna tantùm ſcientia ſpeculatiua, ſed ad varietatem, & multiplicitatem illius, multiplicantur etiam ipſæ ſcientiæ ſpeculatrices. Nam aliquandò contemplamur obiectum vt imaginabile, aliquandò vt ſenſibile, & aliquandò ut intelligibile.

Primus contemplandi modus conſtituit mathematicam, quæ cùm non poſſit habere euidentiam ſui obiecti, niſi per principia fundata in imaginatione, non poteſt aliud contemplari, quàm æqualitatem, inæqualitatem, & figurabilitatem quantitatis, quæ ſola eſt obiectum imaginationis. Secūdus modus cōſtituit phyſicā, quæ cū omnia demonſtret per principia ſenſibilia, ideſt fundata in ſenſibus, non aliud contemplatur, quàm naturam, & proprietates corporis naturalis, quod ſolùm eſt obiectum ſenſuum. Tertius demùm conſtituit metaphyſicam, quæ cùm acquirat euidentiam ſui obiecti per principia intelligibilia, ideſt fundata in intellectu, habet pro obiecto omne ens, ſiuè ens vt ens, eo quòd intellectus extendatur ad omne ens, quià omne ens eſt intelligibile;

le; Et ſic metaphyſica contemplatur proprietates entis, quales ſunt vnitas, veritas, & bonitas.

Prima concluſio. *Tota ſcientia ſpeculatiua adæquatè diuiditur tamquàm in tres ſcientias totales, in Phyſicam, metaphyſicam, & mathematicam.* Probatur primò ex Ariſtotele, qui. 6. met. t. 2. hæc habet. *Quarè tres vtiquè erunt ſpeculatiuæ philoſophiæ* (ſic enim appellat ſcientias) *mathematica, naturalis, & Theologia*, intelligendo videlicet Phyſicam nomine naturalis, & metaphyſicam nomine Theologiæ.

Probatur ſecundò, quià omnis contemplatio procedit aliquo ex tribus modis ſuprà relatis. Ergo omnis contemplatio vel eſt actus phyſicæ, vel metaphyſicæ, vel mathematicæ.

Contrà hanc concluſionem vulgare ſolet obijci argumentum petitum ex defectibilitate ſenſuum, quod eſt huiuſmodi. Phyſica non eſt ſcientia. Ergo malè in illam diuiditur ſcientia ſpeculatiua. Probatur antecedens, quià ens ſenſibile, de quo agit Phyſica, eſt ens per accidens, conflatum videlicet ex ſubſtantia, & accidentibus, per quæ illa fit ſenſibilis. Sed de ente per accidens non datur ſcientia, vt dicitur 6. met. t. 5. & 11. met. c. 2. Ergo &c.

Reſpondeo primò in loco citato, Ariſtotelem excludere ſolum ab obiecto ſcientiæ, illa entia per accidens, ex quibus nullus ſequitur per ſe effectus, per quem poſſit formari demonſtratio, *quià*. Adeòque cùm ex compoſito ſubſtantiæ cum accidente poſſit per ſe ſequi ali-

quis

quis effectus, poteſt phyſica de illo formare ſuas demõſtrationes *propter quid*, & per illum formare demonſtrationes *quià*.

Reſpondeo ſecundò, phyſicam primariò agere non de ipſis accidentibus, ſed de ſubſtantijs, quæ per illa innoteſcunt, ſicut logica non agit primario, & per ſe de vocibus, ſed de conceptibus per illas expreſſis. Quarè cùm Phyſica demonſtret de ſubſtantijs motus, alioſque effectus per omnes cauſas ſcientificas, vt ait Ariſt. initio phyſicorum, eſt rigorosè ſcientia.

Dices. Phyſica agit de ente corruptibili. Sed hoc excludi pr ab obiecto ſcientiæ, vt patet ex. 7. met. t. 53. quià eo corrupto, ſcientia falſificaretur. Ergo Phyſica non eſt ſcientia. Reſpondeo, Phyſicam non agere de ente corruptibili ſecundùm rationes particulares, ſed ſolùm ſecundùm rationes aliquas vniuerſales, ſecundùm quas etiam corruptibilia ſunt incorruptibilia, & æternæ veritatis. Et hæc eſt ratio, quare Caietanus dicat primò poſt. c. 9. *Corruptibilitas conuenit rebus corruptibilibus in ſtatu vniuerſalitatis incorruptibiliter, & motus immobiliter, & contingentia neceſſariò.*

Secunda concluſio. *Benè à Philoſopho metaphyſica dicitur Theologia.* Probatur primò, quia cùm metaphyſica ſit circà ens, & nihil dicatur ens, niſi per participationem à primo, & ſummo ente, quod eſt Deus, qui ſolus in rigore eſt ens, quià eſt à ſe, & neceſſariò exiſtit, adeòque per antonomaſiam dicitur *qui eſt*, iuxtà illud *Ego ſum qui ſum*, totum obiectum metaphyſicæ ſolo Deo circũſcri-

ſcribitur. Probatur aſſumptum; nam vel eſt ipſe Deus, vel aliquid ab illo deriuans tamquàm eius effectus, & per conſequens cuius perfectio contineatur in Deo. Ergo idem eſt habere pro obiecto Deum, & habere pro obiecto ens vt ens, quia Deus eſt omne ens.

Probatur ſecundò, quia ſola metaphyſica abſtrahit à ſenſibilitate, adeòque à materia, vnde ortum habet omnis ſenſibilitas. Ergo ſola metaphyſica conſiderat propriè Deum, & Angelos, qui ſunt ab omni materiæ concretione ſeiuncti. Sed ſcientiæ accipiunt denominationem ab obiecto principali. Ergo cùm obiectum proprium, & principale metaphyſicæ ſit Deus, bene ab illo dicitur Theologia, quod idem ſonat, atque *ſcientia de Deo*.

Tertia concluſio. *Hæ ſcientiæ diſtinguuntur inter ſe non ſolùm ſpecie, ſed etiam genere*. Probatur, quia quælibet ex his habet obiectum formale diuerſum in ratione ſcibilis, quæ eſt ratio generica. Nam mathematica fertur in illud vt imaginabile; Phyſica ut ſenſibile; & metaphyſica vt intelligibile. Sed ea, quorum obiecta formalia differunt in ratione aliqua generica, diſtinguuntur genere inter ſe. Ergo &c.

Quarta concluſio. *Omnes ſcientiæ ſpeculatiuæ reducuntur ad has tres tamquàm ſpecies ad ſua genera, vel tamquàm ſubalternatæ ad ſuas ſubalternantes*. Probatur, quia omnes aliæ ſcientiæ ordinantur ad finem alicuius ex his tribus, vel quia earum obiectum eſt idem, ſeù dependet ab obiecto harum trium, vel quia vtuntur

earum principijs ad ſuas concluſiones demonſtrandas. Ergo &c.

Ex dictis infertur, actus opinionis, & ſuſpicionis, qui non ſunt certi; actus fidei tam humanæ, quàm diuinæ, qui non ſunt euidentes; actus circà prima principia, qui non ſunt per cauſam; actus omnes practicos, qui non ſunt de obiecto ſimpliciter neceſſario; & omnes actus procedentes à demonſtratione *quià*, qui non ſunt per cauſam proximam eſſendi, omnes (inquam) hos actus excludi à definitione ſcientiæ ſpeculatiuæ, illiuſque actus eſſe nullatenùs poſſe.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Quid requiratur ad hoc, vt vna ſcientia dicatur alteri ſubalternata?

NOmine ſcientiæ ſubalternatæ intelligitur illa, quæ reducitur ad aliam magis vniuerſalem, quæ dicitur ſubalternans, tamquàm ſpecies ad ſuum genus. Quarè debet ſemper ſubalternans magis latè patere, quàm ſubalternata.

Prima concluſio. *Omnis ſcientia ſubalternata debet verſari circa obiectum ſubalternantis à ſe reſtrictum per conditionem aliquam accidentalem*. Probatur primò ex Ariſt. qui. 1. poſt. t. 20., & 30. apertiſſimè hoc aſſerit. Secundò, quià ſicut propoſitiones ſubalternæ non differunt,

runt, niſi quoad extenſionem, & quaſi quantitatiuè; ità & ſcientiæ ſubalternæ ab illis denominatæ non differunt, niſi quantitatiuè. Sed ſi verſarentur circà diuerſum eſſentialiter obiectum, non differrent ſolùm quantitatiuè, ſed formaliter. Ergo verſantur circà obiectum ſolum accidentalitèr diuerſum. E. g. muſica eſt ſubalternata Arithmeticæ, quià hæc conſiderat numeros ſub ratione communi numeri vt ſic; muſica verò illos conſiderat ſub ratione ſonori, quæ eſt ratio aliqua particularis reſtringens rationem numeri vt ſic.

Secunda concluſio. *Scientia ſubalternata, & ſubalternans differunt ſolùm accidentaliter*. Probatur, quià vtraque nititur iiſdem principiis, & verſatur per eadem media circà idem obiectum, vt nuper diximus. Ergo conueniunt quoad ſubſtantiam; Differunt tamen ex illa conditione accidentali, quam vna in obiecto conſiderat, & non alia.

Tertia concluſio. *Scientia ſubaltèrnata propriè, & rigorosè loquendo non eſt ſcientia*. Probatur, quià, vt habetur ex Philoſopho 1. poſt. t. 20. & 30. ſubalternans cognoſcit ſuum obiectum per eius cauſam, quod eſt proprium ſcientiæ; At ſubalternata illud ſolum cognoſcit per exiſtentiam; Adeoque quamuis ſciat, illud eſſe, non tamen ſcit propter quid ſit, quod eſt neceſſarium ad ſcientiam. Et hæc eſt ratio, quare Ariſtoteles ibidem vocet ſubalternantem perfectiorem ſubalternata, quià uidelicèt illa perfectius cognoſcit obiectum. Quarè Medicina, ſeù Chirurgia ſubalternatur Geometriæ,

quia ad Chirurgiam ſpectat quidem ſcire quid ſit vulnus circulare, illudque tardiùs oblongo ſanari. Cur autem hoc contingat, ſpectat ad Geometriam, quæ ſtatim huius rei rationem reddit, dicendo, vulnus circulare difficiliùs ſanari, quià eius partes maximè diſtāt inter ſe, adeoque difficiliùs coaleſcunt, & cicatricem obducunt.

Quarta concluſio. *Subaltemata completur in ratione ſcientiæ per coniunctionem cum ſua ſubalternante, ſicut hæc ab illa perficitur extenſiuè*. Probatur, quià hæc coniunctio ſupplet ex parte ſubalternatæ defectum cognitionis obiecti per ſuam cauſam, & ex parte ſubalternantis auget illius extenſionem obiecti. Nam Arithmetica e. g. quæ ſe ſola non extenditur ad conſiderationem numeri vt ſonori, ad illam extenditur per coniunctionem cum muſica ſibi ſubalternata.

Ex dictis infertur primò, perſpectiuam eſſe ſubalternatam Geometriæ. Nam Geometria conſiderat lineam vt lineam, ideſt vt fluxum puncti (ſic enim linea definitur à Geometris) adeòque cognoſcit lineam per punctum, quod eſt cauſa proxima, & immediata, ſaltèm imaginaria illius, & ipſum punctum cognoſcit per ſe. At perſpectiua conſiderat lineam vt viſualem, ideſt vt exiſtentem; Niſi enim linea ſit exiſtens, videri non poteſt. Sed quià linea eſt compoſita ex punctis, non poteſt illam cognoſcere, quin etiam cognoſcat puncta, quę ſunt cauſa illius. Hæc autem puncta non cognoſcit per ſe, ſed ſolùm per eorum exiſtentiam, ſiquidem ſi hæc de

facto

facto non exiſterent, & cauſarent lineam, non cognoſcerentur à perſpectiua, ſiuè optica, adeòque cognoſcuntur ab illa non formaliter, ſed ſolùm materialiter, ſeù identicè, videlicèt per identitatem, quam habent cum obiecto materiali illius, non autem quatenus ſunt illius cauſæ.

Infertur ſecundò, mechanicam, quæ conſiderat machinarum conſtructionem, ſubalternari Stereometriæ, quæ conſiderat ſolida, ſeù corpora; & alias a'ijs, quas refert Ariſt. 1. poſt. t. 30. his verbis. *Talia autem ſunt quæcumque ſic ſe habent inuicem, vt ſit alterum ſub altero, vt, Perſpectiua ad Geometriam, & Mechanica ad Stereometriam, & Armoniaca ad Arithmeticam, & Apparentia ad Aſtrologicam. Ferè autem vniuocæ ſunt nonnullæ iſtarum ſcientiarum, vt Aſtrologia, & quæ Mathematica, & quæ Nautica,* (quæ conſiderat tempeſtates futuras ex motibus corporum cæleſtium) *& quæ Armoniaca, & quæ Mathematica, & quæ ſecundum auditum.*

(∴)

ARTICVLVS OCTAVVS.

An poſſint eſſe ſimul in eodem intellectu actus ſcientiæ, & opinionis de eodem formaliter obiecto?

IN hac materia multa ſunt certa apud omnes, quæ tamen optimè ſunt aduertenda, vt benè percipiatur ſtatus quæſtionis. Primum eſt, actum opinionis, vt habetur ex 1. poſt.c. vltimo differre ab actu ſcientifico in hoc, quòd hic propter certitudinem, & euidentiam, quam habet, reddit intellectum omninò imperturbabilem, & quietum, ille autem propter incertitudinem, & obſcuritatem reddit intellectum, inquietum, & formidantem, ſeu potentem formidare de oppoſito.

Secundum eſt, formidinem aliam eſſe actualem, & aliam radicalem. Actualis nihil eſt aliud, quàm actus ſeu iudicium, quo iudicamus de obiecto, illud fortaſſe aliter ſe habere, quàm nobis apparet, qualis eſt hic, *neſcio, an verè ſtellæ ſint pares?* Radicalis eſt potentia, non quidem ſolum phyſica, ſed etiam moralis ad formidinem actualem, quandò videlicet ità aliquid affirmamus, ſeu negamus, vt quamuis de facto non formidemus, tamen reflectendo deindè ſupra noſtrum iudicium

per

per alium actu intellectus, habeamus motiuum ſufficiēs ad prudentem formidinem de oppoſito, eo quòd ipſa opinio ſit formaliter motiuum ad formidandum. Vt cùm quis dicit, *ſtellæ ſunt pares*. Nam cùm hoc non ſit euidens, poteſt deindè per actum reflexum prudenter dubitare, an verè ità ſit?

Hæc autem radicalis formido etiam ſubdiuiditur in duas, videlicet in proximam, & remotam. Formido radicalis proxima eſt, quando reflectens intellectus ſupra actum opinionis, proximè diſponitur ad formidādum, adeo vt non ſit neceſſe, quòd iterum, iterumque ad trutinam reuocet talem actum, eius ſingula perpendendo motiua, ſed ad primam, & immediatam reflexionem ſentiat, ſe impelli ad formidandum. Radicalis remota eſt quando intellectus, non ſtatim, & immediatè, ex qualibet prima in actum reflexione ſtimuletur ad formidandum, ſed ſolum poſt varias reflexiones, & valdè mediatè. Exemplum primæ formidinis eſſet actus, quo ego credo Petro mihi dicenti, ſe à multis audiſſe, magnum Turcam veniſſe incognitum Venetias, vt de pace peragat cum Senatu. Statim enim poſt præſtitum Petro aſſenſum, reflectens ſupra illum intellectus ſentit, ſe trahi ad prudenter formidandum, an Petrus decipiatur, vel potius velit ipſe decipere tantula mendacis famæ ſubnixus auctoritate? Exemplum ſecundæ eſſet, ſi idem Petrus aſſereret, ſe id non ab alijs audiſſe, ſed ſuis oculis attentè, & ſæpè vidiſſe. Oculorum ſiquidem teſtimonium præſertim viri probi, & pruden-

ter vt plurimum operantis, non ita facile reijcitur, & damnatur vt falſum, niſi poſt multiplicem reflexionem ſupra omnia, & ſingula motiua impellentia ad fidem Petro præſtandam, tandem aliquando obiecti difficultas infimam faciat atteſtantis auctoritatem, eiuſque dictum hic & nunc improbabile cenſeatur. Neque obſtat, quòd P. Martinus de Eſparza Societatis Ieſu, viri inſignis noſtri temporis, & meus olim præceptor in theologicis, acerrimè inuehatur libello de fide, queſt. 23. in corpore contra diſtinguentes opinionē in actuſ formidantem, & radicaliter, ſupponens, formidinem radicalem eſſe propriam ſolius ſimplicis apprehenſionis, & ſolam actualem conuenire opinioni. Hoc, inquam, non obſtat. Primò, quia multa ſunt iudicia opinatiua, quibus non conuenit actualis formido, cuiuſmodi ſunt hæc *Ariſtoteles dixit, Cælum eſſe incorruptibile: Medea amat filium* &c. Ergo cùm huiuſmodi iudicijs nō conueniat certitudo propter obſcuritatem obiecti, & fallibilitatem motiui, abſque dubio illis conuenit radicalis formido, quatenus videlicet talia ſunt, vt ſi per actum reflexum eorum prependatur motiui meritum, facile intellectus inducatur ad formidandum.

Deinde, quia formido habetur adæquatè ex debilitate motiui, non ſolum obiectiui (vt ipſe fatetur ibidem) ſed etiam formalis. Cum ergo motiuum formale conclusionis opinatiuæ ſint ipſæ præmiſſæ, eius certè radicalis formido haberi non poterit à ſimplicibus apprehenſionibus, ſed ab ipſis præmiſſis enunciatiuis.

Conſe-

Conſequentia eſt euidens, quia, vt patebit in libris priorum, concluſio, ſiue reflectat ſupra obiectum præmiſſarum, ſiue non, vtique pendet à præmiſſis formalibus, à quibus accipit vel certitudinem, vel formidinem. Probatur antecedens, quia obiectum non mouet, niſi vt cognitum formaliter. Non poſſet ergo obiectum præmiſſarum determinare intellectum ad concluſionẽ, niſi coniungeretur cùm motiuo formali, videlicet cum ipſis præmiſſis formalibus, quarum complexum cum obiecto facit motiuum adæquatum ad eliciendam concluſionem. Hoc poſito, tales præmiſſæ, quia communicant concluſioni formidinem, debent ipſæ eſſe formidoloſæ. Non per formidinem actualem, quia actu non formidant. Ergo per ſolam radicalem, quam ſolam etiam communicant concluſioni.

Dices. Ergo etiam deberet diſtingui certitudo in actualem, & radicalem, ita vt illa conueniat ſoli iudicio euidenti, hæc autem etiam obſcuro, ſed certo, cuiuſmodi eſt fides diuina. Nego conſequentiam. Ratio eſt, quia cùm certitudo formaliter in naturalibus ſemper coniungatur cum euidentia, & euidentia neceſſitet intellectum ad aſſenſum in actu ſecundo, omnis certitudo eſt formalis. Et Ariſtoteles, omneſque alij veteres Philoſophi aliam non cognouere iudicij, ſeù aſſenſus certitudinem, quàm euidentiam, quippequibus lumen fidei ſupernaturalis non affulſit. In ipſa autem diuina fide, in qua ſola ſeperatur certitudo ab euidentia, ſi quis diceret, huiuſmodi certitudinem eſſe

quodammodo radicalem, quatenus videlicet motiui pondus tantum ſit, vt quamuis latebris inuolutum formaliter, & directè ſtatim non eluceſcat, tamen reflexè deprehenſum, perinde determinet intellectum ad affirmandum obiectum, ac ſi illud euidenter pateret, ob auctoritatem irrefragabilem, & infallibile teſtimonium proponentis Dei, in quo credatur in eſſe cum infinita ſapientia ſumma veracitas. Si quis, inquam, hoc aſſereret, nullam exinde fortaſsè mereretur cenſuram, quam vſque adeo inculcat vt abſurdam doctiſſimus Aduerſarius.

Præterea vel nomine certitudinis intelligimus certitudinem affectiuam, ideſt firmitatem, ſeu adhæſionem aſſenſus; vel intellectualem, ideſt efficacitatem motiui? Si primum; cùm quilibet actus diuinæ fidei ſummè adhæreat obiecto, quilibet actus fidei, quamuis obſcurus, erit formaliter certus, & nulla erit illi poſſibilis certitudo radicalis. Si ſecundum; cùm fidei motiuum, quamuis infallibile, & in ſe certiſſimum, ſit obſcurum formaliter, in ordine ad credentem certitudinem non inuoluit, niſi per actum reflexum eius infallibilitas cognoſcatur. Et ideò debet vt probabile prius cognitum proponi voluntati, tamquam aliquid ab illa intellectui imperabile, vt credatur, in quo conſiſtit meritum fidei. Vnde communiter dicitur, & ab ipſo etiam Aduerſario, diuinam fidem eſſe ſaltem virtualiter diſcurſiuam, non ſolum ratione iudicij credibilitatis ad fidem prærequiſiti, ſed etiam ratione reflexionis, & aduertentiæ ad eius

mo-

motiuum formale. Verum hæc ad Theologos.

Tertium, quod ut certum ſuppono, eſt, non quotieſcumquè habetur aliqua cognitio de obiecto neceſſario, haberi etiam ſcientiam de illo. Quamuis enim materia ſit neceſſaria. e. g. ſi tamen illam cognoſcam, eò quòd illam dari aſſeruerit Ariſtoteles, vel ex eò quòd videam, in generatione rerum naturalium dari tranſitum ſubſtantialem naturalem ex vna in aliam formam, ſed non penetrarem perfectè, ideſt certò, & euidenter connexionem, quam habet talis tranſitus cum ipſa materia, non proindè haberem ſcientiam de materia. Quarè quando quæritur, utrum actus ſcientiæ poſſit eſſe ſimul cum actu opinionis, non eſt ſermo de omni actu quomodocumque tendente in obiectum neceſſarium, ſed ſolum de actu rigorosè ſcientifico.

Quartum, non poſſe eſſe difficultatem de actibus tendentibus in obiecta diuerſa. Nam ſimul, & ſemel, dum habeo ſcientiam de obiecto A., poſſum habere opinionem de obiecto B.

Status ergò quæſtionis eſt hic. Quæritur, an quando ſimul habemus de eodem obiecto duos ſyllogiſmos, quorum vnus habeat medium neceſſarium clarè cognitum, & alter medium probabile, an (inquam) tunc poſſimus elicere duas concluſiones, quarum vna ſit ſcientifica, & altera opinatiua? Ratio dubitandi eſt, quià cùm non repugnet, dari ſimul (vt infrà probabimus) habitus opinatiuum, & ſcientificum, & cùm poſitis præmiſſis, ſequatur neceſſariò proportionata con-

concluſio,

cluſio, videtur ex vna parte debere ſequi vtramque concluſionem; & ex alia cùm videantur illæ concluſiones ſibi contradicere, eò quòd vna ſit certa, & euidens, adeoque affirmet, obiectum aliter ſe habere non poſſe, & alia ſit incerta, & obſcura, adeoquè affirmet, obiectum poſſe aliter ſe habere, uidentur ſimul eſſe non poſſe, ſicut eſt impoſſibile, haberi ſimul de eodem obiecto duos actus contradictorios.

Aliqui cum Durando in prologo ſent. q. 1. num. 24. vt effugerent vim difficultatis, dixere, nullum actum intellectus ſecundum curſum naturæ (vt ait Durandus) poſſe ſimul eſſe pro eodem tempore in eodem intellectu cum alio quocumque actu à ſe realiter diſtincto. Verùm hæc ſententia eſt contra rationem, auctoritatem, & experientiam, vt infrà patebit. Quare ſit.

Prima Concluſio. *Poſſunt plures actus eſſe ſimul in eodem intellectu*. Probatur primò, quià ſimplex apprehenſio remanet cùm iudicio de eodem obiecto, cùm ſit impoſſibile, aliquid affirmari, vel negari de obiecto incognito, neque poteſt dici, ſatis eſſe, quòd fuerit cognitum antecedenter. Nam cùm intellectus, dum iudicat, ferat quodammodò ſententiam de illo, nec poſſit ferri ſententia, niſi de illo, quod cognoſcitur de facto, dum ſedetur pro Tribunali; ideò de præſenti, & de facto debet cognoſcere obiectum, de quo iudicat.

Probatur ſecundo, quià ambæ præmiſſæ, vel ſaltem minor ſunt ſimul cum concluſione. Ad hoc enim vt ego deter-

determiner à talibus præmiſſis ad concluſionem A c. g. non ſatis eſt, quòd illæ præceſſerint; earumque recorder, quia cum earum recordatione, poſſum non aſſentiri concluſioni, immò illi diſſentiri, vt patebit in libris Priorum. Quis enim vetet, me modò aſſentiri, & modò eidē ex diuerſo motiuo diſſentiri? Ergo debet ſimul eſſe.

Confirmatur, quia in cauſis neceſſarijs pro illo eodem inſtanti, pro quo dantur omnia requiſita ad aliquē effectum, neceſſariò debet reſultare ille effectus. Sed poſita minori in demonſtratione, in qua apparet euidenter connexio inter extrema cum medio, dantur omnia requiſita ad concluſionem: Ergo in illo eodem inſtanti debet dari concluſio, eo quòd cauſa adæquata neceſſaria debeat eſſe ſimul cum ſuo effectu.

Secunda concluſio. *Non poſſunt eſſe ſimul in eodem intellectu aſſenſus, & diſſenſus circà idem formaliter obiectū.* Probatur primò, quia alioquin intellectus aſſentiretur falſo vt falſo, quod eſt impoſſibile. Sicut enim voluntas eſt determinata ad fugam mali, ità intellectus ad fugam falſi, quod eſt malum ipſius. Probatur antecedens, quia intellectus cognoſcit euidenter, vnum ex duobus contradictorijs eſſe falſum, & per conſequens eſſe falſum quoquè complexum ex vtroque propter infectionem vnius partis, vt habetur ex 4. met. c.7. Sed ſi aſſentiretur ſimul, & diſſentiret eidem obiecto, aſſenſum præſtaret ſimul vtrique contradictorio: Ergo aſſenſum præſtaret falſo vt falſo.

Secundò, quia ſi intellectus ſimul aſſentiretur duobus con-

cõtradictorijs, ſupponeret in obiecto duas formalitates contradictorias, videlicet eſse, & non eſse. Ergo ſupponeret chimæram, & per conſequens tàm aſsenſus, quàm diſſenſus eſſet falſus, quià neutrius obiectum exiſteret. Eſt autem impoſſibile, ſimul eſſe falſos duos actus contradictorios. Ergo &c.

Probatur tertiò, quià hæc potentia non ſolùm non eſſet vtilis intellectui, ſed eſſet illi maximè perniciosa, eò quòd illum exponeret periculo euidenter errandi. Omnis autem potentia eſt in bonum illam habentis. Ergo hæc potentia non datur in intellectu.

Quartò, quià alioquin intellectus negaret verùm vt verùm, quod eſt impoſſibile, eò quòd ſit determinatus ad verùm, ſicut voluntas ad bonum. Probatur ſequela, quià quotiès intellectus aliquid affirmat, vel negat, reflectit ſuprà omnes cognitiones, quas habet pro tali inſtanti. Ergo ad hoc, vt negaret A. e. g. in eo inſtanti, in quo illud affirmat, deberet reflectere ſuprà cognitionem affirmatiuam ipſius A.. Sed affirmauit ipſum A, vt verùm. Ergo reflectendo ad cognitionem ipſius A., cognoſceret A. vt verùm; adeoque ſi pro eo tempore illud ſimul negaret, negaret verùm vt verùm.

Secunda concluſio. *Actus ſcientiæ non poteſt eſſe ſimul cum actu opinionis de eodem formaliter obiecto, ſi hic includat formidinem actualem.* Probatur ex modo dictis concluſione ſecunda, quià alioquin intellectus aſſentiretur ſimul duobus contradictorijs. Nam formido actualis eſt actus iudicans, poſſe obiectum aliter ſe habere; & ſcientia

ſcientia iudicat, quòd obiectum non poſſit aliter ſe habere. Sed idem poſſe aliter ſe habere, & non poſse aliter ſe habere ſunt formaliter contradictoria. Ergo ſi intellectus haberet ſimul hos actus, aſsentiretur ſimul duobus contradictorijs.

ARTICVLVS NONVS.

An ſaltem poſſint ſimul eſſe actus ſcientiæ cum actu fidei, vel quolibet alio actu opinatiuo includente ſolùm formidinem radicalem?

HÆc queſtio poteſt procedere tàm in ordine naturali, quàm in ordine ſupernaturali; ideò pro vtroquè appoſitas ponemus concluſiones.

Prima concluſio. *Actus opinionis radicaliter formidoloſus non poteſt, ſaltèm naturaliter loquendo, eſſe ſimul cum ſcientia*. Probatur primò, quia actus hoc modo opinatiuus eſt eſsentialiter obſcurus, & obnoxius errori. Ergo non eſt poſſibilis, niſi quando euidentia haberi non poteſt.

Probatur conſequentia, quià nulla alia expetibilitas ineſt actui obſcuro, ratione cuius ponatur à natura, niſi ad ſupplendum defectum actus euidentis. Poſito enim

enim quòd natura determinauerit intellectum ad veritatem, in omni ejus actu quærit veritatem. Quarè cùm illam certò, & euidenter habet per actum ſcientificum; nihil inuenit boni in actu opinatiuo, ratione cuius poſſit illum uelle in ſenſu compoſito cum ſcientia.

Confirmatur, quià actus obſcurus non eſt bonus, niſi in ratione medij ad habendam ueritatem obiecti. Sed medium non eſt utile, niſi ad conſecutionem finis, quo habito, non eſt ampliùs utile. Ergo cum intellectus habet ueritatem perfectiſſimam, qualis eſt euidentia, ceſsat omnis utilitas actus obſcuri, ſicuti habita ſanitate perfectiſſima, ceſsat ratio medij utilis in medicina, quæ non eſt expetibilis, niſi ex ſuppoſitione defectus ſanitatis.

Probatur ſecundò, quià ſicut eſt bonum intellectus, quando nulla poteſt haberi euidentia de aliquo obiecto, quòd ſaltem habeat de illo probabilitatem, cùm melius ſit obiectum obſcurè, & probabiliter cognoſcere, quàm nullo modo cognoſcere; Ità eſt malum ipſius cum habet euidentiam, habere probabilitatem de eodem obiecto. Probatur, quià per probabilitatem intellectus exponitur periculo errandi propter moralem potentiam formidandi eſſentialiter connexam cum probabilitate. Nullum autem eſt morale periculum errandi, quando ſola datur euidentia, quæ nullam dicit moralem potentiam de oppoſito formidandi. Ergo quando datur euidentia, mala, & noxia eſt probabilitas,

Digitized by Google

tas, quia fert ſecum hoc periculum, quod cæteroqui non eſſet.

Probatur tertiò, quia vel actus ſcientiæ eſſet prior natura ad actum opinionis; vel poſterior; uel ſimul? Non poteſt eſſe prior quia nemo utitur medio euidenti ad habendam opinionem; Hoc enim eſſet perindè, atque uti claritate ad habendam obſcuritatem. Non poteſt eſſe poſterior, quia actus euidens eſt neceſsarius, & actus opinatiuus, quippè qui eſt obſcurus, non eſt neceſsarius. Omnis autem actus neceſsarius præcedit ad omnes actus non neceſsarios, qui ſunt pro eodem inſtanti. Nam actus non neceſsarius pendet ab imperio uoluntatis, quæ non imperat, niſi habeat iudicium de bonitate talis imperij. Hoc autem iudicium debet reflectere ſuprà omnem cognitionem, quæ ſit pro toto illo inſtanti reali, nè alioquin uoluntas exponatur periculo imperandi ſimul duos actus contradictorias, unum uidelicet ex cognitionibus, quæ dantur pro primo ſigno, & alium ex cognitionibus, quæ dantur pro alijs ſignis. Neque poteſt eſse concomitans propter eãdem rationem de neceſſitate conſultationis ad imperandum actum obſcurum. Ergo nullo modo poteſt eſse cum illo.

Secunda concluſio. *Actus ſcientiæ euidens euidentia methaphyſica, non poteſt phyſicè loquendo eſſe ſimul cum actum fidei, ſiuè diuinæ, ſiuè humanæ.* Probatur primò, quia quilibet actus fidei etiam diuinæ eſt eſsentialiter obſcurus. Sed obſcuritas actus non eſt expetibilis phyſicè

cè (vt diximus nuper) niſi quando claritas haberi non poſſit. Cùm ergo hæc habeatur per ſcientiam in ſenſu compoſito cum illa, non eſt expetibilis obſcuritas actus fidei.

Probatur ſecundò, quia fides eſt obſequium intellectus, quo liberè colimus auctoritatem loquentis, in cuius uenerationem captiuamus intellectum; & ideò quò pluris aliquem facimus, eò etiam citiùs, & firmiùs illi credimus. Sed ſi habeamus euidentiam de illo obiecto, quod nobis loquens credendum proponit, nullum præſtamus obſequium illius locutioni, quià ſcilicet non captiuamus intellectum ad hoc, vt credamus, quià ipſe teſtatur; ſed aſſentimur illi, quod reſpuere non poſſumus propter euidentiam motiui neceſſitantis. Ergo cum huiuſmodi euidentia non poteſt componi fides.

Confirmatur, quià quando aliquis proponit alteri aliquid credendum, perindè ſe habet, ac ſi interponeret ſuam auctoritatem vt medium ad hoc, ut huiuſmodi obiectum credatur, quod cæteroqui nõ crederetur. Quis autem prudenter interponat ſuam auctoritatem ad hoc, ut credatur id, quod eſt aliundè neceſſariò ab omnibus credendum, præſcindendo etiam ab omni ſua auctoritate? Quis enim e. g. dicat Petro, *crede mihi, quià tu exiſtis?* uel *quià omne totum eſt maius ſua parte?* & alia huiuſmodi? Cùm ergo Deus imprudenter operari non poſſit, nequè poteſt nobis facere huiuſmodi propoſitiones, quibus non poſitis, nequè poteſt in illius

obſe-

obſequium ſubſequi fides, quæ nihil aliud debet attingere ex parte motiui formalis, quàm ſummam Dei atteſtantis auctoritatem, & veracitatem.

Vnde elicitur etiam alia ratio ad probandum aſſertum. Nam fides diuina nihil debet inuoluere in ſuo obiecto formali, quod diuinum non ſit. Sin autem daretur hęc fides, quando datur euidentia metaphyſica de tali obiecto, vtiquè hæc fides penderet ex vtriuſque motiuo, videlicet, & propter auctoritatem Dei, & propter præmiſſas ſcientificas. Ergo ex infectione motiui formalis non eſſet formaliter fides diuina.

De fide humana aliter philoſophandum puto quoad hoc, quià cùm homines poſſint operari imprudenter, poſſunt etiàm adhibere ſuam auctoritatem vt medium ad hoc, vt ſibi credatur obiectum euidẽs. Poteſt enim aliquis me cogere, vt ſibi credam, me exiſtere. Adhùc tamen dico, dari non poſſe ſimul ſcientiam, & fidem humanam de eodem, propterea quòd imprudentia adhibentis hoc medium inutile, non neceſſitat ad hoc, vt tale medium accipiatur ab audiente, & propter illud aſſenſus pręſtetur obiecto. Quarè adhùc, illo poſito, non ſequeretur eius effectus, uidelicet fides humana.

Tertia concluſio. *Actus ſcientificus euidens tantùm euidentia phyſica poteſt phyſicè loquendo eſſe cum fide diuina, non autem cum humana*. Probatur prima pars, quià euidentia phyſica, cùm fundetur in hoc principio, quod *Deus hic, & nunc non faciat miraculum*, ſemper in-

M cludit

cludit aliquam formidinem radicalem, ſaltèm remotam; ſemper enim poſſum aliqualiter, nec imprudenter dubitare, utrum Deus hìc, & nunc uerè faciat miraculum, ut contigit in fornace Babilonis, cùm mihi oppoſitum conſtare non poſſit. Sed fides diuina eſt certiſſima nullã dicens prudentem formidinẽ, quamuis, radicalem, & remotam. Ergo poteſt eſſe utilis ad euidentiam phyſicam, uidelicet ad hoc, ut illi communicet firmiſſimam certitudinem, quam illa non habet, propter incluſionem formidinis radicalis. Et hæc eſt ratio, quare poſſimus per fidem credere exiſtentiam Dei, quamuis illam euidenter ex phyſica cognoſcamus; vt patebit in loco. Hoc autem non valet de euidentia methaphyſica, quæ cùm fundetur in hoc principio *impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe*, nequè ſupernaturaliter poteſt aliter ſe habere, adeòque nullam planè admittit prudentem formidinem etiam radicalem, contra cuius actiuitatem reddatur illi vtile commercium cum diuina fide.

Probatur ſecunda pars, quia cùm fides humana reſpiciat motiuum fallibile, cui poſſit ſubeſſe falſum, non habet illam infallibilem certitudinem, quã habet fides diuina. Nihil ergo poteſt afferre vtilitatis ipſi euidentię, ratione cuius expetatur à natura illius componibilitas cum ſcientia phyſica, adeoque non poteſt phyſicè loquendo cùm illa componi. Quòd ſi humana fides coniungi non poteſt cum euidentia phyſica, multò minus coniungi poterit cum metaphyſica.

Quarta

Quarta concluſio. *Actus opinionis radicaliter tantùm formidoloſus poteſt ſupernaturaliter eſſe ſimul cum ſcientia etiam metaphyſica*. Probatur, quià in ordine ad Deum tamquàm ſupernaturaliter agentem, non valet hæc ratio petita ex vtilitate, vel bonitate actus opinatiui ad intellectum ſcientem, cùm Deus plura poſſit facere huic rerum ordini ſuperuacanea, & alicui etiam potentiæ phyſicè mala. Si enim poteſt potentiam deſtruere, poteſt etiam malum aliquod illi facere in genere phyſico ad ſuæ oſtentationem omnipotentiæ, vel ad alium finem ſibi notum. Ergo cùm cæteroqui ſcientia, & opinio non inuoluant contradictionē, poſſunt ſimul à Deo copulari in eodem intellectu, quod idem dico etiam de fide humana.

Dices. Scientia dicit, *non poſſe formidari de oppoſito*, & opinio dicit *poſſe formidari*. *Poſse autem formidari*, & *non poſſe*, ſunt formaliter contradictoria. Ergo ſcientia, & opinio, ſeù fides humana dicunt formaliter contradictionem.

Diſtinguo primò maiorem. Si ly *non* accipiatur negatiuè, nego; ſi accipiatur præciſiuè, concedo maiorem. Et eodem modo diſtincta minori, nego conſequentiam.

Prò intelligentia diſtinctionis notandum eſt, tunc particulam *non*, accipi negatiuè, quando per illam ſimpliciter negatur id, de quo agitur. Accipitur autem præciſiuè, quando non ſimpliciter negatur id, de quo agitur, ſed ſolùm negatur *ſecundùm quid*, ideſt negatur

propter aliquam rationem peculiarem; & in ordine ad aliquod prædicatum, non autèm in ordine ad alia. Quare ſi accipiatur primo modo, prædicatum ſeparatur omninò à ſubiecto, vt videre eſt in hac propoſitione, *Petrus non eſt lapis*, in qua ly *lapis* ſeparatur omninò à *Petro*; nihil enim lapidis eſt in Petro. At verò ſi accipiatur ſecundo modo, ſeparatur quidem prædicatum à ſubiecto, non tamen omninò, ſed ſolum propter, ſeù in ordine ad aliquam circumſtantiam, vel conditionem accidentalem. E. g. ſi videatur Petrus à longè, ita vt propter diſtantiam cognoſci diſtinctè non poſſit, an ſit homo, necnè, tunc ex vi illius cognitionis poteſt quidem dici, *hoc obiectum non eſt homo* præciſiuè, ideſt ex vi huius cognitionis non cognoſcitur, eſſe hominem; hoc autem non tollit, quò minùs poſſit hoc idem cognoſci per aliam cognitionem. Quando ergo dicitur, quòd ſcientia reddat intellectum non potentem formidare, tunc ly *non* facit ſenſum præciſiuum, videlicèt, quòd intellectus per hoc præcisè, quòd habeat ſcientiam, formidare non poſſit; Cœterùm non negat, quò minùs poſſit formidare ex alio capite.

Vnde reſpondeo ſecundò negando maiorem. Quãuis enim ſcientia dicat potentiam ex tali motiuo non formidantem etiam radicaliter, non tamen dicit negationem potentiæ formidantis ex alio quocunque motiuo. Quarè ſufficienter diſtinguitur ſcientiæ contrarietas ab opinione per hoc quòd illa dicat potentiam, per ſe formaliter nullatenùs formidantem, & hæc dicat potentiam

tentiam per ſe formaliter formidantem, ſaltem radicaliter, ſeu in actu primo. Potentia autem non formidans ex motiuo ſcientiæ excludit quidem formidinem actualem, ſeu actum ſecundum formidinis, eiuſque actum primum formaliter conſtitutum ex tali motiuo; non tamen excludit actum primum formidinis, quem dicimus formidinem radicalem, formaliter conſtitutam ex alio motiuo. Eo planè modo, quo ignis dicit potentiam calefaciendi, per cuius actum excludit formaliter actũ ſecundum frigoris, non tamen dicit negationem potentiæ frigefaciendi, per quam excludat formaliter aquam, vel alium quemcumque actũ primum frigoris, cum quo, ſaltem ſupernaturaliter, coniungi poteſt, & cum quo non habet contrarietatem immediatè, vt videbimus in diſput. de ſubſtant ſed ſolùm medijs accidentibus, ſeu qualitatibus, videlicet calore ipſius, & frigore aquæ.

Quòd ſi quis replicet. Scientia non trahit vllam denominationem contradictoriam in ordine ad opinionẽ. Ergo poteſt etiam naturaliter cum illa coniungi; Reſpondeo, ex iſto capite verè non ſequi inconiungibilitatem horum actuum, ſed ex alijs capitibus ſupra relatis. Quarè ſi nihil aliud obſtaret, poſſent etiam coniungi naturaliter.

Inſtabis primò. Ergo etiam poterit ſupernaturaliter coniungi actus fidei diuinæ cum ſcientia metaphyſica eiuſdem obiecti, quod eſt contra ſecundam concluſionem. Nego conſequentiam. Huius enim repu-

gnantiam non dixi deriuare ex eo, quòd ſcientia dicat formaliter negationem potentiæ phyſicæ formidandi; quod eſſet falſum, ſed quia dicat huiuſmodi negationē virtualiter; ſeu conſecutiuè; eò quòd Deus poſita euidentia metaphyſica alicuius obiecti; non poſſit illud credendum proponere, propter rationes ſupra relatas; ſine qua propoſitione neque poteſt ſubſequi actus diuinæ fidei. Cæterùm ſi poſſet in tali caſu reuelari huiuſmodi obiectum; poſſet etiam credi per fidem diuinam, adeoque hæc cum ſcientia coniungi; cum qua non habet ex ſe formalem repugnantiam.

Inſtabis ſecundò. Si intellectus haberet ſimul fidem cum ſcientia metaphyſica; poſſet in tali caſu formidare, & non formidare; quia haberet potentiam ad vtrumquè. Ergo poſſet coniungere ſimul duos actus contradictorios. Sed hoc eſt impoſſibile, quia eſt formaliter contradictio. Hi ergo actus habent ad inuicem formalem repugnantiam.

Nego antecedens. Sicut enim ex eo quòd ipſe intellectus ſit potentia aſſenſus, vel diſſenſus circa idem obiectum, & voluntas ſit potentia amoris, vel odij de eodem, non ſequitur, quòd vel ille poſſit ſimul ponere aſſenſum; & diſſenſum; vel hæc amorem, & odium; Ita neque ſequeretur; eſſe poſſibilem coniunctionem formidinis cum negatione formidinis ex eo, quòd ſimul daretur potentia vtriuſque. Siquidem ex potentia ad actum non ualet conſequentia. Illa ergo incompoſſibilitas, quæ neceſſario diuidit ab inuicem actus oppoſitos,

ſitos, non neceſſariò diuidit eorum potentias, ex quibus illi non ſequuntur neceſſariò.

Vrgebis tertiò. Ergo euidentia metaphyſica non excludit ſimpliciter omnem formidinem etiã radicalem. Diſtinguo primò conſequens: Non excludit omnem formidinem radicalem conſiſtentem in potentia morali, ſeu prudenti de oppoſito formidandi, nego: non excludit omnẽ formidinem radicalem, quatenus hæc dicit formaliter potentiã phyſicã, ſiuè prudẽter, ſiuè imprudenter formidãdi, concedo conſequentiã. Sicut enim fides diuina cum tota ſua certitudine infallibili; per quam ità credit obiecto ſuper omnia, vt in firmitate, & certitudine aſſenſus, æquiualeat euidentiæ metaphyſicæ, nihilominus tamen retinet, ſaltem ſubiectiuè, potentiam phyſicam, quamuis temerè; & imprudenter de oppoſito formidandi; Ità poſſumus hoc idem aſſerere de ipſamet euidentia methaphyſica; adeo vt hæc excludat ſolum potentiam omnem moralem, per quàm videlicet prudenter formidetur, non tamen excludat etiam potentiam phyſicam, per quam poſſit vtcumque ab eodem intellectu ex alio quocunque motiuo, quamuis remotiſſimo, formidari.

Quare opinio dicit potentiam, non ſolum phyſicam formidandi, ſed etiam moralem, per quam videlicet poſſit opinans prudenter de oppoſito formidare. Scientia phyſica dicit ſolum aliquam potentiam remotam, non imprudenter vtcumque formidandi, videlicet præter potentiam phyſicam, aliqualem etiam moralem.

Scientia metaphyſica nullam dicit potentiam moralē, ſed ſolum phyſicam, temerè formidandi. Quod idem dico de fide diuina, quamuis obſcura. Et ideo opinio per coniunctionem cum ſcientia phyſica acquirit certitudinem ſubiectiuè; quam auget ipſa phyſica euidentia per coniunctionem cum metaphyſica, vel cum diuina fide. Vt autem redeam ad argumentum.

Diſtinguo ſecundò idem conſequens. Euidentia metaphyſica non excludit omnem formidinem radicalem de facto, nego: de poſſibili, tranſeat conſequentia. Quamuis enim poſſint ſupernaturaliter coniungi, natura tamen non habet vires, coniungendi ſimul hæc duo, & de facto numquam coniunguntur in vllo intellectu. Eo plane modo, quo *eſſe hìc circumſcriptiuè* in hoc ordine rerum dicit *non eſſe alibi*, & numquam ſimul de eodem verificantur *eſſe hìc*, & *eſſe alibi*. Supernaturaliter autem poteſt ſimul uerificari, quòd ità ego ſim hìc circumſcriptiue, vt ſimul etiàm ſim alibi, vt probabimus in phyſicis; Nam Deus poteſt facere totum illud, quod non inuoluit formaliter contradictionem propter eius illimitatam omnipotentiam. Quandò ergò aſſeruimus in prima, & ſecunda concluſione, non poſſe ſimul coniungi hos actus, locuti ſumus tantùm in ordine ad uires naturæ, non autem in ordine ad uires Omnipotentis, niſi aliundè proueniat peculiaris repugnantia, ut diximus de fide diuina in ordine ad ſcientiam metaphyſicam.

Dices demum. Intellectus habito ſimul, uel ſuper-

na-

naturaliter, utroquè actu ſcientifico, & opinatiuo, eſſet ſimul certus, & incertus de eodem obiecto. Sed eſſe certum, & incertum de eodem ſunt formaliter contradictoria. Ergo verificarentur ſimul contradictoria.

Nego ſequelam maioris. In eo enim caſu, quamuis intellectus non haberet certitudinem de obiecto ex actu opinatiuo, illam tamen haberet ex actu ſcientifico, adeòque non verificaretur, quòd eſſet certus, & incertus, ſed ſolùm quòd eſſet certus. Eodẽ planè modo, quo binarius, ut binarius dicit duas unitates cum negatione tertiæ unitatis, & tamen ſi coniungatur in Petro cũ ternario habente tertiam unitatem, non facit Petrum illam habentem cum negatione illius. Ratio à priori eſt, quià binarius vt binarius excludit quidẽ formaliter à ſe tertiam vnitatem, non tamen illam excludit ab omni eo, in quo eſt ipſe binarius. Quarè quamuis Petrus habeat illã tertiam vnitatem, illam tamen binario noncommunicat, qui remanet ſemper cum actuali illius excluſione.

Idem dicendum puto de opinione, & ſcientia. Opinio vt opinio formaliter excludit à ſe euidentiam ſui obiecti, in quod eſſentialiter tendit obſcuro modo; Et ſi ſolus ponatur in intellectu Petri, ille non poterit eius obiectum cognoſcere, niſi obſcurè. Hoc tamen non facit, quòd ſi Petrus vnà cum tali opinione habeat aliũ actum, qui clarè, & euidenter attingat idem obiectum, quòd Petrus per hunc ſecundum actum non illud etiam clarè, euidenterque cognoſcat. Siquidem euidentia Petri in tali caſu de tali obiecto, ortum ſolùm recognoſce-

ſceret ab actu ſcientiæ, & nunquàm ab actu opinionis remanente ſemper vt tali formaliter cum ſua obſcuritate. Verùm quidem eſt, quòd actus opinatiuus, quantum eſt ex ſe, inclinaret intellectum ad formidandum, & ideo dicitur includere formidinem radicalem. Ille tamen ab huiuſmodi formidine reuocaretur ab actu ſcientifico, adeoque non formidaret. Eadem ferè ratione, qua ſi Petrus impellatur è feneſtra à Paulo deorsùm, vtiquè caderet, niſi ſuſtineretur à Ioanne. Sicut ergo coniunctio impulſuum Pauli deorsùm, & Ioannis ſursùm, Petrum immobilem reddunt; immò, ſi validior ſit impulſus Ioannis, Petrum ſurſum attollit, non obſtante impulſu Pauli illi contrariò deorsùm tendente; Ità impulſus opinionis ad formidandum contuſus, & refractus coniunctione impulſus ipſius ſcientiæ, non traheret in actu ſecundo intellectum ad formidinem, ſed illum ſineret frui certitudine illi ab actu ſcientiæ communicata.

ARTICVLVS DECIMVS.

Soluuntur argumenta prò phyſica coniungibilitate ſcientiæ cum opinione.

Bijcies primò cum Durando q. 1. prolog. Val. v. 2. diſp. 1. D. Tho. 3. p. q. 9. ar. 3. ad. 2., alijsque. Diſpoſitio non poteſt pugnare cum forma, ad quam diſponit. Sed opinio eſt diſpoſitio ad ſcien-

ad ſcientiã; vt colligitur ex Ariſt. 1. top. c. 2. & ex D. Tho. in loco cit. vbi hæc habet. *Opinio ex ſyllogiſmo dialectico cauſata eſt via ad ſcientiam; quæ per demonſtrationem acquiritur, qua tamen acquiſita, poteſt remanere.* Ergo opinio non pugnat cum ſcientia.

Secundò. Poſſunt dari ſimul præmiſſæ ſcientificæ cum præmiſſis opinatiuis. Sed vtræquè ſunt cauſæ neceſſariæ ſuæ concluſionis in ſpecie. Ergo cùm hæ debeant producere ſuos effectus, eò quòd cauſa neceſſaria debitè applicata debeat producere effectum nobiliſſimum; quem poteſt, poterunt, immò debebunt dari ſimul vtrarumque præmiſſarum effectus, videlicèt actus concluſionis opinatiuus, & ſcientificus.

Tertiò. Poteſt quis tamdiu perſeuerare in actu opinatiuo, quoaduſque inuento medio ad ſcientificum, illum eliciat; In tali autem caſu daretur ſimul vterque actus. Ergo &c.

Quartò. Poteſt idem intellectus ſimul cognoſcere idem, obiectum clarè per vnam cognitionem, & obſcurè per aliam; alioquin non poſſet vniuerſale, cum actu prædicatur de ſuis inferioribus, retinere formaliter ſuam vniuerſalitatem, quod infrà concedemus. Ergo etiam poteſt intellectus per ſcientiam fieri certus de obiecto, & per opinionem fieri incertus de eodem, adeoque habere ſimul vtrumque actum.

Quintò cum Alen. 3. p. q. 29. memb. 3. Henric. Bonau. Gabr. Altiſiod. Dur. alijſque allatis à Conimb. in cap. 26. de ſcient. & opin. q. 2. ar. 2. Opinio nullam habet

habet aliam repugnantiam, ſeù oppoſitionem cum ſcientia, quàm imperfecti ad perfectum. Non eſt autem impoſſibile naturaliter, imperfectũ manere ſimul cum perfectiori, dummodò imperfectionem amittat ex tali coniunctione; nam parua quantitas permanet cum maiori. Ergo poſſunt ſimul copulari.

Sextò. Ità ſe habent quoad certitudinem, & incertitudinem fides humana, & diuina, ſicut ſcientia, & opinio; nàm fides humana habet medium fallibile, velut opinio, & fides diuina habet medium in fallibile, velut ſcientia. Sed illæ poſſunt ſimul coniungi. Ergo & hę.

Septimò. Certitudo, incertitudo, euidentia, ineuidentia &c. recipiuntur immediatè in actibus, non autẽ in ipſo intellectu. Ergo non ſe inuicem excludunt ab eodem intellectu, ſed ſolum ab eodem actu, quia contraria ſe tantùm mutuò excludunt ab eodem ſubiecto immediato.

Octauò. Quòd idem ſit neceſsarium per unum medium, & contingens per aliud, nullum eſt abſurdum, quià poteſt eadem res habere aliquas cauſas neceſsarias, & alias contingentes, ſicut poteſt habere quoſdam effectus neceſsariò connexos, & alios tantùm contingenter. Tota autem repugnantia aſſignabilis inter ſcientiam, & opinionem, tandèm reducitur ad hoc, ut illius obiectum ſit neceſsarium, & huius contingens. Ergo poſsunt ſimul copulari.

Nonò. Minùs pugnant ſcientia, & opinio, quàm calidum, & frigidum. Sed hæc duo poſsunt, ſimul copulari

lari. Ergo etiam poterunt copulari ſcientia,& opinio?

Decimò. Poteſt Deus eundem hominem replicare in duobus locis. In tali autem caſu poſset deinde phyſicè hic homo in vno loco ſcire,& in alio opinari. Ergo idem homo, ſuppoſito primo illo miraculo replicationis, haberet ſimul naturaliter ſcientiam,& opinionem de eodem obiecto.

Ad primùm diſtinguo maiorem. Diſpoſitio remota, & per accidens non pugnat cùm forma, ad quam diſponit,nego. Diſpoſitio proxima,& per ſe,concedo maiorem. Et dico,opinionem eſse diſpoſitionem tantùm remotam,& per accidens ad ſcientiam. In tantùm enim diſponit ad ſcientiam, in quantùm poſsunt ex occaſione actus opinatiui excitari ſpecies in intellectu,dependenter à quibus detur iudicium de bonitate actus ſcientifici,à quo iudicio deindè moueatur intellectus ad inueniendas præmiſsas ad illum eliciendum. Sed quia totum hoc non fit in inſtanti propter dependentiam noſtri intellectus à phantaſmatibus; ideò actus opinionis non poteſt eſse diſpoſitio proxima,ſed ſolùm remota ad actum ſcientificum. Præterea etiam formido actualis poteſt eſse diſpoſitio per accidens ad aliquem actum ſcientificum. Ex eo enim quòd ego actu formidem de obiecto A, e. g. poſsum priùs moueri ad quærendam illiùs cauſam, & deinde ad quærendas præmiſsas aptas ad hoc, ut illum inferam per concluſionem aliquam ſcientificam. Nemo tamen proindè dicet, formidinem actualem poſse ſtare cum ſcientia.

Di-

Dices. Ergo opinio diſponit ad ſui deſtructionem, quia videlicet diſponit ad ſcientiam, quæ eſt ſuum deſtructiuum. Diſtinguo eodem modo conſequens. Per accidens, & remotè, tranſeat: proximè, & per ſe, nego conſequentiam. Nam etiam potentia augmentatiua, & nutritiua, cùm diſponant materiam ad nutritionem, & augmentationem, quæ fiunt per actiuitatem caloris naturalis, diſponunt per accidens ad ſui deſtructionem. Semper enim augmento partium materialium aliquæ ex veteribus deperduntur vi caloris naturalis, & aliæ acquiruntur de nouo. Inſuper nos videmus etiàm in cauſis phyſicis neceſſarijs, quòd aliquãdò ex contrarijs diſponatur materia. Videmus enim ex motu vndarum accendi ignem in mari: æſtu ſolis congelaſcere niues, grandines, & alia id genus; & tamen neque aqua poteſt eſſe cum igne, neque calor ſolis cum grandine, ſeù niue. Ergo debemus dicere, quòd hæ non tam ſint diſpoſitiones ad formam ſibi contrariam, quàm occaſiones accidentales, ſeu cauſę motiuę, vel applicatiuę per accidens, adeoque non eſſe mirum, ſi diſponant hoc modo ad ſui deſtructionem.

Ad ſecundum reſpondeo primò, verùm quidem eſſe, præmiſſas ſcientificas eſſe cauſas neceſſarias concluſionis ſcientificæ, non autem hoc eſſe verum de præmiſſis opinatiuis. Nam hæ, cùm non ſint euidentes, illiſque aſſentiatur intellectus cum formidine, eò quòd non videat euidenter earum connexionem cum concluſione, non neceſſitant intellectum ad concluſionem;

Immò

Immò intellectus poteſt, affirmatis præmiſſis, illam negare. Quarè ex coniunctione talium præmiſſarum cum ſcientificis non ſequitur, debere coniungi concluſionem opinatiuam cum ſcientifica.

Reſpondeo ſecundò cum Scoto in 3. d. 24. q. vnica, §. vlt., Greg. q. 2. prol, ar. 12. Heruæo quodlib. 2. q. 15. ar. 3., & alijs, quòd etiamſi concedatur, præmiſſas opinatiuas eſſe cauſam neceſſariam concluſionis opinatiuæ, adhuc tamen nihil probatur exindè, quià ſcilicèt earum virtus, & actiuitas impeditur à præmiſſis ſcientificis, quò minùs exeant in concluſionem opinatiuam, in quam exiret, ſi ſeorſim applicaretur. Eo ferè modo, quo calidum vt quatuor, ſi ponatur ſimul cum frigido vt quatuor, non calefacit, eo quòd eius actiuitas refrangatur ab actiuitate contrarij.

Dices. Ergo in tali caſu neque ſequetur ſcientia, neque opinio, ſicut ex coexiſtentia calidi vt 4. cum frigido vt 4. neque ſequitur calefactio, neque frigefactio. Conſequens eſt abſurdum. Ergo neutrarum actiuitas impeditur ab actiuitate contrarij.

Nego antecedens ſubſumptum. Diſparitas eſt. Primò, quià magis actiuæ ſunt præmiſſæ ſcientificæ, quæ neceſſitant ad concluſionem, quàm opinatiuæ, quæ non neceſſitant. Ex duobus autem agentibus contrarijs fortius vincit. Secundò, quià cùm concluſio ſcientifica ſit ſimpliciter, & abſolutè expetibilis, quotieſcumque datur eius cauſa ſufficiens, non poteſt illa non dari. Opinio autem, quià ſolùm eſt expetibilis conditionatè,

&

& *ſecundum quid*; ſcilicet in defectum ſcientiæ, ſi hic defectus non detur, non poteſt opinio poni. Quando autem datur ſcientia, non datur defectus illius. Ergo non datur illa conditio, ſub qua ſolùm opinio eſt expetibilis, adeòque phyſicè poſſibilis. Quarè dico, quòd in tali caſu ſequeretur ſolus actus ſcientificus.

Ad tertium nego maiorem, ſaltem naturaliter loquẽdo. Primò quia non ſolum moraliter, ſed eſt phyſicè impoſſibile, quòd aliquis tamdiù perſeueret in eodem actu. Secundò, quià quamuis ex hoc capite non repugnaret, repugnat ex alio, videlicet ex obijce actus ſcientifici. Tertiò, quià cùm actus ſit identificatus cum ſua duratione, vt probabimus ſuo loco, non poteſt idem numero perſeuerare in pluribus inſtantibus. Sed tunc alius non poteſt produci propter rationes hucuſquè traditas. Ergo quando datur actus ſcientificus, nullus poteſt phyſicè dari actus opinatiuus.

Ad quartum nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quià cognitio clara, & obſcura eiuſdem obiecti, cùm ſint ſimplices apprehenſiones, differunt ſolum ſecundùm magis, & minùs, adeòque ſunt compoſſibiles, vt patet in hac prædicatione *Petrus eſt animal*, in qua ly *Petrus* ſupponit apprehenſionem claram illius, & ly *animal* eiuſdem apprehenſionem obſcuram, quæ ſimul debent remanere cum tali iudicio. Harum autèm diuerſitas non habetur per aliud, niſi quòd prima cognoſcat ſolùm Petrum, & ſecunda ſimul cum Petro cognoſcat etiàm Paulum, Ioannem, omneſque alios homines,

quibus

quibus cum confundit Petrum, vt videbimus in lib. 2. de Vniuerſal. Quarè cognitio obſcura non habet contrarietatem cum clara, à qua ſolùm differt ſecundum magis, & minùs. At opinio, cùm ſit iudicium illatiuum, ſeù concluſio, differt à ſcientia eſſentialiter, eò quòd hęc eſſentialiter pendeat à præmiſſis claris, ſicut illa pendet eſſentialiter, à præmiſſis opinatiuis, ſeu obſcuris, adeóque habet cum illa contrarietatem ex contrario modo tendendi in ſuum obiectum, in quod vna tendit abſquè vlla formidine, & alia cum formidine, & per conſequens habent obiecta formalia, non ſolum diuerſa, ſed oppoſita.

Ad quintum reſpondeo, hoc argumentum ſupponere, incertitudinem, obſcuritatem, & imperfectionem actus opinatiui eſſe aliquid accidentale, & ſuperadditum ſubſtantiæ ipſius, ſicut euidentiam eſſe aliquid ſuperadditum ſubſtantiæ actus ſcientifici. Hoc autem eſt euidenter falſum, cùm tàm ſcientia, quàm opinio eſſentialiter pendeant à talibus præmiſſis. Ergo cùm non poſſit tolli ex actu opinatiuo eius imperfectio, neque poteſt cum ſcientia copulari.

Ad ſextum nego minorem. Quando enim credo per fidem ſupernaturalem, nullo modo inuoluitur, neque poteſt inuolui in eius motiuo formali motiuum fidei humanæ, ſicut inuolueretur, ſi ſimul haberem vtrumque actum. Alioquin diuinę fidei poſſet ſubeſſe falſum, quod eſt contrà Tridentinum. Ergo ſimul coniungi non poſſunt.

Ad ſeptimum reſpondeo primò ; hoc argumentum nimis probare, cùm probet, in eodem intellectu poſſe ſimul eſſe duos actus contradictorios ; videlicèt aſſenſum, & diſſenſum circa idem obiectum, & in voluntate volitionem, & nolitionem eiuſdem, quod eſt falſiſſimu. Reſpondeo ſecundò ; cùm euidentia, ineuidentia &c. ſint tantùm formaliter, & metaphyſicè diſtinctæ à ſubſtantia actuum, quando dicimus, euidentiam, & ineuidentiam ſe mutuò expellere ab eodem ſubiecto, non loquimur de euidentia in abſtracto, ſed in concreto, eò quòd ſit impoſſibile, quòd ex duobus realiter identificatis vnum pugnet cum alio, & aliud non pugnet. Quamobrem non ſolùm hæ formalitates, ſed ipſi actus ſubſtantialiter, & quidditatiuè ſe mutuò naturaliter expellunt ab eodem intellectu, ratione videlicèt harum formalitatum ſecum identificatarum. Eo modo, quo frigus aquæ, & calor ignis non tantùm ſe inuicem excludunt ab eodem igne, vel aqua, tamquam à ſubiectis immediatis, verùm etiam ab eodem ligno recipiente ignem, vel aquam, tamquam à ſubiecto mediato.

Ad octauum reſpondeo, hos actus non eſſe phyſicè inconiungibiles propter aliquam repugnantiam, ſeu contradictionem, quam habeant inter ſe, ſed propter alias rationes, quas attulimus in prima concluſione articuli decimi. Quare, quamuis concederetur aſſumptũ ab argumento, adhuc tamen concluſio negaretur vt falſa, ſi accipiatur in ſenſu phyſico.

Ad nonum concedo totum ; ſi ſermo ſit de viribus

Omni-

Omnipotentis ſupernaturaliter operantis in ordine ad quas tantùm poteſt verificari minor; ex ſuppoſitione quòd calidum; & frigidum accipiantur in gradu ſummo. Hoc enim non pugnat cum noſtra concluſione procedente ſolùm in ordine ad vires naturæ abſque vlla miraculoſa eleuatione, vt aſſolet, operantis.

Ad decimum nego minorẽ propter rationes afferendas in phyſicis. Ibi enim ſtatuemus; non ſolùm caſum non eſſe poſſibilem; etiam ſuppoſita miraculoſa eiuſdẽ hominis replicatione,ſed etiam huiuſmodi actus quamuis concedatur ex illo prouenturos, fore prorsùs nouũ miraculum, de quo hìc non loquimur.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

An poſſit vnus, idemque actus eſſe formaliter opinio,& ſcientia de eodem obiecto? Examinatur opinio P. Sfortiæ Pallauicini.

RAtio dubitandi eſt,quia cùm poſſint ſimul exiſtere præmiſſæ ſcientificæ, & opinatiuę, neque duos ſimul effectus producere poſſint vt duæ cauſæ totales; videntur ſaltem debere producere vnum communem effectum, vt duæ cauſæ partiales. Tunc enim ex vna parte ceſſaret ratio

mutuæ repugnantiæ, & ex alia ſaluaretur neceſſitas efficientiæ in vtriſque præmiſſis. Pro ſolutione huius dubitationis, ſit,

Vnica concluſio. *Non poteſt vnus, idemque actus indiuiſibiliter eſſe ſimul ſcientia, & opinio de eodem obiecto formaliter, ſaltem naturaliter loquendo.* Pater Sfortia Pallauicinus olim præceptor meus in aſſert. Theol. lib. 3., qui eſt de fide, ſpe, & Charitate c. 9. n. 159. & ſeqq. ſic probare conatur hanc concluſionem: Si daretur aliquis actus, qui ſimul eſſet ſcientia, & opinio de eodem formaliter obiecto, hic actus æquiualeret duobus, quorum vnus eſſet tantùm ſcientia, & alter tantùm opinio, adeòque ſinguli eorum diſtinguerentur ſpecie ab illo tertio merè negatiuè. Probat ſequelam, nam actus ſcientiæ diſtingueretur ab illo per hoc ſolùm, quòd non contineret in ſe formaliter etiam prædicata actus opinatiui, ſicut ille tertius. Sed non continere eſt mera negatio. Ergo diſtingueretur ab illo ſpecie per meram negationem, Hoc autem, ſaltèm naturaliter, eſt impoſſibile. Ergo non poteſt vnus, idemque actus eſſe indiuiſibiliter opinatiuus, & ſcientificus. Maiorem ſupponit ſufficienter probatam per ea, quæ hìc expoſuimus. Minorem probat primò, quià diſtinctio ſpecifica eſt perfectio addita generi. Omnis autem perfectio debet eſſe aliquod poſitiuum, quià debet eſſe ornamentum perficiens. Secundò, quià diuerſitas ſpecifica, vt colligitur apertè ex 10. met. c. 11. & 12., debet conſtitui formaliter per contrarietatem formarum

ſub

ſub eodem genere. Et hæc eſt ratio, quarè Ariſtoteles negat, mares differre ſpecie à fœminis, quia videlicet quamuis habeant contrarietatem in materia, illam tamen in forma non habent. Sed omnis forma ſonat perfectionem, & pulchritudinem, & contrarietas aliquod poſitiuum. Ergo non poteſt aliquid ab alio diſtingui ſpecie per aliquod merè negatiuum.

Quod inſuper poſſet vlteriùs confirmari, quia videlicèt animæ ſeparatæ virorum, & mulierum non diſtinguuntur ſpecie inter ſe, ſed ſolùm numero, quod multi quoque probabiliter aſſerunt de ipſis Angelis, eò quòd tam illæ, quàm iſti careant forma propter ſpiritualem indiuiſibilem entitatem, per cuius contrarietatem eorum habeatur ſpecifica diſtinctio. Cùm ergo forma non poſſit eſſe aliquod negatiuum (eſt enim impoſſibile, quòd ens conſtituatur formaliter per non ens) neque poteſt conſtitui diſtinctio ſpecifica per aliquod negatiuum.

Quòd ſi aliquis illi obijciat, creaturam diſtingui à Deo merè negatiuè. Reſpondet, creaturam non diſtingui ſpecie à Deo, adeòque mirum non eſſe, ſi ab eo diſtinguatur merè negatiuè. Quòd autem non diſtinguatur à Deo ſpecie, probat, quia ea diſtinguuntur ſpecie, quæ continentur ſub aliquo communi genere. Deus autem ſub nullo genere continetur, vt ait D. Tho. in 1. p. & probatur, quia contineri ſub genere, eſt non habere in ſe totam perfectionem generis, ſed ſolùm aliquam partem; Deus autem continet perfectionem cuiuſcumque

quæ generis, & infinitas alias maiores, & maiores in infinitum. Ergo Deus non eſt ſub genere.

Quam doctrinam poſſet etiam confirmare appoſita vlteriori explicatione, Cùm enim Deus ſit cumulus omnium perfectionum ſimpliciter ſimplicium, continet in ſe perfectiones omnes diſperſas in omnibus creaturis, adeòque non poteſt ab illis poſitiuè diſtingui, quià diſtinctio poſitiua conſiſtit in hoc, quòd vnum contineat aliquam perfectionem, quam non continet aliud, Quælibet autem aſſignetur perfectio, illa eadem numero eminentiali quadam ratione continetur in Deo. Ergo nō poteſt eſſe id, ratione cuius ab illo diſtinguatur creatura. Sed hoc non valet in creatis, quià nulla creatura continet omnes perfectiones, quas continet alia, ſed ſingulæ habent propriam aliquam perfectionem ſpecialem, ratione cuius conſtituantur in tali eſſe, & diſtinguantur ab omnibus alijs, quæ perfectiones dicuntur vltimæ differentiæ indiuiduales, ſeu ſpecificæ. Ergo &c.

Verùm hæc doctrina, quamuis probabilis, & ingenioſa, mihi non probatur. Primò, quià ſi hæc eius argumenta valerent ad probandam ſequelã, videlicèt quòd ex identitate ſcientiæ cum opinione, ſequeretur diſtinctio ſpecifica merè negatiua vtriuſque ex his actibus ab illo tertio, de facto deberet concedere, non ſolum eſſe poſſibilem, ſed dari huiuſmodi ſpecificam diſtinctionem per aliquod merè negatiuum, ſaltem ex vna parte. Hoc autem probo primò de poſſibili, quià ſunt phyſicè

poſſi-

poſſibiles (immò multi eas de facto concedunt Angelis) non ſolùm durationes, verùm etiam vbicationes realiter, & phyſicè indiuiſibiles, virtualiter tantùm diuiſibiles, vt probabimus in phyſicis. Inter has neceſſariò concedenda eſſet ſpecifica diſtinctio merè negatiua, vt ipſemet vltrò concedit ibidem num. 159. in fine. Nam e.g. duratio indiuiſibilis ſemihoraria diſtingueretur ſpecie à duratione indiuiſibili horaria per hoc præcisè, quòd illa non contineret totum illud perfectionis, quod continè alia. Cæterùm tota perfectio ipſius reperiretur adæquatè in duratione indiuiſibili horaria. Cùm ergo non poſſit conſtitui formale diſtinctiuum ſpecificum per commune aliquod prædicatum perfectiuum, alioquin homo poſſet per animal diſtingui ſpecie ab equo, deberet duratio ſemihoraria diſtingui ſpecie ab horaria per negationem vlterioris perfectionis, adeoque merè negatiuè.

Præterea probo etiam de facto, quia binarius, iuxta hanc explicationem, diſtingueretur ſpecie merè negatiuè à ternario. Nam tota perfectio binarij inueniretur in ternario, adeòque non poſſet ab illo diſtingui ſpecie, niſi per hoc, quòd non includeret vlteriorem perfectionem, quæ datur in ternario; nihil enim haberet poſitiuum, quod poſſet eſſe eius differentia ſpecifica reſpectu ternarij. Quod idem verificaretur etiam de multis alijs compoſitis phyſicis, vt mox patebit.

Diſplicet ſecundò hæc doctrina, quia quamuis veriſſimum ſit, non poſſe haberi diſtinctionem ſpecificam

per aliquod prædicatum merè negatiuum; non tamen puto, huiuſmodi ſequelam neceſſariò admittendam fore ab ijs, qui tuentur, poſſe vnum, eumdemque indiuiſibiliter actum eſſe ſimul ſcientiam, & opinionem. Ratiò eſt, quia, non obſtante identitate opinionis cum ſcientia in aliquo tertio actu, ſemper ſinguli hi actus ſeorſim ſumpti haberent aliquam perfectionem poſitiuam, quæ nullo modo in illo tertio actu reperiretur. Quod ſic primò probo.

Vel ſupponimus, quòd in tali hypotheſi hic tertius actus eſſet indiuiſibiliter ſcientia, & opinio, ita ut quidditas actus opiniatiui confunderetur in illo cum quidditate actus ſcientifici, vel non, ſed ita vt vtriuſque quidditas, retenta actuali diſtinctione, vniretur in illo, eo planè modo, quo natura humana in Chriſto Domino fuit vnita hypoſtaticè Verbo abſque vlla vtriuſque confuſione? Si primùm. Ergo ille tertius actus neque haberet veram, & propriam quidditatem ſcientiæ, neque veram, & propriam quidditatem opinionis, ſed ſolùm aliquod omninò diuerſum participans de vtroque, eo modo, quo lycifca neque haberet in ſe naturam lupinam, neque caninam, ſed naturam quamdam tertiæ cuiuſdam ſpeciei reſultantis ex illarum identitate. Ergo tam ſcientia, quàm opinio haberent veram, & propriam quidditatem integram, & perfectam, per quam ab illo tertio poſitiuè diſtinguerentur. Alioquin de facto canis, & lupus in ſententia admittente, dari lyciſcam, diſtinguerentur ſpeciè merè negatiuè à ly-

lyciſca, quæ ſimul indiuiſibiliter participat naturam vtriuſque. Nam poſſet formari de ſingulis illis ſimile argumentum. *Totum illud perfectionis, quod eſt in cane, eſt etiam in lyciſca. Ergo nihil eſt perfectionis in Cane, quod ſit proprium ipſius, & per quod poſſit à lyciſca diſtingui tamquam per propriam differentiam; Ergo non poteſt ab illa diſtingui, niſi per hoc, quòd non habeat ſimul perfectionem lupi, quam habet lyciſca, adeòque merè negatiuè.* Quod idem dico de nuce, & perſico reſpectu nuciperſici; de equo, & aſina reſpectu muli; deque multis alijs huiuſmodi ſpurijs ſpeciebus; Immo de omnibus elementis reſpectu mixtorum in ſententia illorum, qui dicunt, illa contineri formaliter in mixtis.

Sicut ergo ipſe Pallauicinus reſponderet, lyciſcam ità eſſe canem, vt per confuſionem naturæ caninæ cum lupina ſit canis diuerſæ cuiuſdam rationis ab animali latrabili, cùm quo ſolùm æquiuocè, vel ad ſummum analogicè conuenit; & per conſequens animal latrabile, quia habet veram, & propriam latrabilitatem, quam non habet lyciſca, differt ab illa ſpecie poſitiuè; Ità etiam diceret, perſicum dicere naturam perſici integram, & perfectam per propriam ſubſiſtentiam, ratione cuius non vnitur intrinſecè cum alio, à quo ità ſubſtantialiter perficiatur, vt eius natura confundatur cum natura alterius. At nuciperſicus continet quidem naturam perſici, ſed refractam, confuſam, & ſubſiſtentem per tertiam quamdam ſubſiſtentiam, quæ neque ſit nucis, neque perſici, ſed alterius tertij: Eſt

autem

per aliquod prædicatum merè negatiuum; non tamen puto, huiuſmodi ſequelam neceſſariò admittendam fore ab ijs, qui tuentur, poſſe vnum, eumdemque indiuiſibiliter actum eſſe ſimul ſcientiam, & opinionem. Ratio eſt, quià, non obſtante identitate opinionis cum ſcientia in aliquo tertio actu, ſemper ſinguli hi actus ſeorſim ſumpti haberent aliquam perfectionem poſitiuam, quæ nullo modo in illo tertio actu reperiretur. Quod ſic primò probo.

Vel ſupponimus, quòd in tali hypotheſi hic tertius actus eſſet indiuiſibiliter ſcientia, & opinio, ita ut quidditas actus opinatiui confunderetur in illo cùm quidditate actus ſcientifici, vel non, ſed ita vt vtriuſque quidditas, retenta actuali diſtinctione, vniretur in illo, eò planè modo, quo natura humana in Chriſto Domino fuit vnita hypoſtaticè Verbo abſque vlla vtriuſque confuſione? Si primùm. Ergo ille tertius actus neque haberet veram, & propriam quidditatem ſcientiæ, neque veram, & propriam quidditatem opinionis, ſed ſolùm aliquod omninò diuerſum participans de vtroque, eo modo, quo lyciſca neque haberet in ſe naturam lupinam, neque caninam, ſed naturam quamdam tertiæ cuiuſdam ſpeciei reſultantis ex illarum identitate. Ergo tàm ſcientia, quàm opinio haberent veram, & propriam quidditatem integram, & perfectam, per quam ab illo tertio poſitiuè diſtinguerentur. Alioquin de facto canis, & lupus in ſententia admittente dari lyciſcam, diſtinguerentur ſpecie merè negatiuè à ly-

lyciſca; quæ ſimul indiuiſibiliter participat naturam vtriuſque. Nam poſſet formari de ſingulis illis ſimile argumentum. *Totum illud perfectionis, quod eſt in cane, eſt etiam in lyciſca. Ergo nihil eſt perfectionis in Cane, quod ſit proprium ipſius, & per quod poſſit à lyciſca diſtingui tamquàm per propriam differentiam: Ergo non poteſt ab illa diſtingui, niſi per hoc, quòd non habeat ſimul perfectionem lupi, quam habet lyciſca, adeòque merè negatiuè.* Quod idem dico de nuce, & perſico reſpectu nuciperſici; de equo, & aſina reſpectu muli; deque multis alijs huiuſmodi ſpurijs ſpeciebus; Immo de omnibus elementis reſpectu mixtorum in ſententia illorum, qui dicunt, illa contineri formaliter in mixtis.

Sicut ergo ipſe Pallauicinus reſponderet, lyciſcam ità eſſe canem, vt per confuſionem naturæ caninæ cum lupina ſit canis diuerſæ cuiuſdam rationis ab animali latrabili, cùm quo ſolùm æquiuocè, vel ad ſummum analogicè conuenit; & per conſequens animal latrabile, quia habet veram, & propriam latrabilitatem, quam non habet lyciſca, differt ab illa ſpecie poſitiuè: Ità etiam diceret, perſicum dicere naturam perſici integram, & perfectam per propriam ſubſiſtentiam, ratione cuius non vnitur intrinſecè cum alio, à quo ità ſubſtantialiter perficiatur, vt eius natura confundatur cum natura alterius: At nuciperſicus continet quidem naturam perſici, ſed refractam, confuſam, & ſubſiſtentem per tertiam quamdam ſubſiſtentiam, quæ neque ſit nucis, neque perſici, ſed alterius tertij: Eſt

autem

autem impoſſibile, quòd ſit eadem ſpecie natura, cui conueniunt prædicata tàm diſſimilia. Ergo hæ naturę diſtinguuntur ſpecie, & non merè negatiuè. Sicut (inquam) hoc modo ipſe reſponderet; Ità, & nos de illo tertio actu philoſophamur. Nàm in iſto actu inuenirentur quidem perfectiones duorum, ſed identificatæ in vnum, quæ identitas non formaliter, ſed eminenter contineret perfectiones vtriuſque, ſicut Deus eminenter continet perfectiones omnium entium. Quarè perfectio opinionis, quæ eſt in actu A, non eadem immutata contineretur in hoc tertio actu, ſed vt identificata cum alià multò maiori perfectione, videlicèt cum illa actus ſcientifici, cum qua confunderetur formaliter hæc perfectio, vt pote quæ non retineret in illa actualem diſtinctionem ab alia, vt retinet in duobus actibus diſtinctis; atque adeò tota perfectio actus opinionis eſſet diuerſa à perfectione huius tertij actus, & per conſequens diſtingueretur ab illo poſitiuè.

Probatur ſecundò, quia perfectio actus deſumitur ex obiecto, & ex modo tendendi in illud, adeòque cœteris paribus, perfectior eſt actus cognoſcens duo, quàm actus cognoſcens vnum tantùm, & actus clarius cognoſcens eſt perfectior actu obſcuriùs cognoſcente idem obiectum. Hoc poſito, hic tertius actus per totam ſuam entitatem, & non per aliquam ſui partem, tenderet in motiuum opinatiuum, & ſcientificum. Ergo per totam ſuam entitatem opponeretur actui tantù opinatiuo, adeoque eius perfectio eſſet illi oppoſita poſitiuè,

quia

quia eſſet aliquid eſſentialiter diuerſum. Probo ſequelam, nam perfectio opinatiui eſſentialiter non reſpiceret motiuum ſcientificum ſed ſolùm probabile. Perfectiò illius tertij actus eſſentialiter illud reſpiceret. Ergo eſſent vtrobique perfectiones eſſentialiter diuerſæ.

Probatur tertiò à pari, quia actus volens homicidium Petri tantùm e. g. quà Petricidium eſt, differt ſpecie, & non merè negatiuè ab actu volente Petricidium in templo, non ſolùm quà Petricidium eſt, ſed etiam quà ſacrilegium. Ergò etiam actus intellectus tendens in obiectum A. propter motiuum opinatiuum tantùm, differt ſpecie, & non merè negatiuè ab actu tendente in obiectum A. propter motiuum opinatiuum, quatenùs coniunctum cum motiuo ſcientifico.

Probatur quartò, quià vt Ariſtoteles obſeruat *ſeptem* non ſunt *quatuor, & tria*, quià videlicet 7. præter has entitates continet illarum vnionem, quam non habent 4. & 3., adeòque 7. non diſtinguitur merè negatiuè à 4. ſeorſim, & à 3. ſeorſim, ſed poſitiuè, videlicet per illam vnionem, ſeu relationem, ratione cuius denominatur. 7. in quà relatione, ſeù vnione confunduntur. 4. cum 3., & ſic confuſa conſtituunt 7. Hæc autem vnio, ſeù relatio nullo modo inuenitur diſperſa in 4. & 3. Quarè ſicut 7. habet iſtam perfectionem vnionis, ſeù relationis, quam non habent 4., & 3. Ità 4. & 3. habent perfectionem diſtinctionis, ſeù relationis conſtitutiuæ numeri ternarij, & quaternarij in eſſe talem formaliter, quam non habet

7. adeo-

7.; adeoque diſtinguuntur ab illo poſitiuè, ſeu perfectionibus poſitiuis. Idem dicendum de illo tertio actu reſpectu ſcientiæ, & opinionis ſeorſim, & cum diſtinctione ſumptorum. Ergo &c.

Quòd ſi dicat ſecundum, videlicèt hunc tertium actū ità dicere vtriuſque actus naturas, & quidditates tamquam ſui partes componentes intrinſecè, vt poſito quòd daretur, illarum tamen non ſupponeret confuſionem. Primò contra eſt, quià actus intellectus, cùm ſint ſpirituales, ſunt aliquid indiuiſibile, atque adeò nullas habent partes. Quarè neque hic tertius actus poſſet ex duplici illo actu formaliter componi, tamquam ex partibus remanentibus, & componentibus.

Secundò, quià quamuis hoc concedatur, ſaltem metaphyſicè loquendo, illum componendo ex partibus virtualibus, nihil ad rem, eò quòd ex tali hypotheſi, neuter illorum diſtingueretur ſpecie ab illo tertio, ſicut homo non diſtinguitur ſpecie à Chriſto Domino, vt optimè probat 5. Tho. in 3. p. q. 2. ar. 5. Nam Chriſtus, poſito quòd eius natura humana non confundatur cum natura diuina, per communicationem idiomatum, ſicut verus eſt Deus propter incluſionem veræ diuinitatis, ità verus eſt homo propter veræ incluſionem humanitatis, componentis intrinſecè ex vi unionis hypoſtaticæ cum Verbo, Sacroſanctum, & uenerabile ipſius compoſitū, vndè cæpta, & perfecta eſt noſtra ſalus. Quare à primo ad vltimum hoc primum argumentum nihil probat contra poſſibilitatem huius tertij actus duobus æquiualentis.

Idem

Idem Auctor probat ſecundò eamdem cōcluſionem hoc argumento, quia ſcilicet cùm non experiamur in nobis libertatem ad faciendos huiuſmodi actus potiùs diſtinctos, quàm identificatos, debent naturaliter, vel ſemper, vel nunquàm identificari. Sed hoc ſecundum fuit congruentius ordini naturæ. Ergo nunquam debent identificari. Quòd autem hoc fuerit congruentiùs, probat primò, quia hoc modo natura magis conſuluit huiuſmodi actuum durabilitati. Si enim ſint duo, deficientibus requiſitis ad conſeruationem vnius, poſſet alter remanere, quòd non contingeret, ſi eſſet vnus tantùm virtualiter duplex. Secundò quià cum tàm actuum intellectus, quàm voluntatis veritas, ſeù bonitas conſiſtat in indiuiſibili, & hæc habeatur per dependentiam à talibus motiuis, ſiuè præmiſſis, ſatiùs fuit, vt quoties plura concurrunt motiua, toties multiplicatis actibus, eorum quoque dependentiæ multiplicarentur à talibus motiuis, nè videlicèt vnius prauitas corrumpat alterius bonitatem, præſertim cùm neque intellectus, neque voluntas poſſint tendere in plura vt plura modo quodam diſparato, ſed debent illa attingere per modum vnius. Hoc tamen non obſtante, admittit, poſſe eumdem actum indiuiſibilem pendere à duplici, vel pluribus motiuis per duplicem, ſeù plures dependentias adæquatas, quarum ſingulæ reſpiciant ſingula motiua.

Sed hæc quoquè doctrina diſplicet primò, quià cùm fundetur experientia, ipſa quoquè experientia conuincitur

citur falſitatis. Nam videmus naturam ſemper hoſtem inſenſiſſimam ſuperfluitatis, quoties poteſt aliquem effectum præſtare per vnicam entitatem, non vti pluralitate. Et ſic ſi poſſumus tendere in plura viſibilia, ſufficienter oculo, & debitè applicata, illa non videmus per plures viſiones ad maiorem uitandam earum corruptibilitatem, ſed per unicam tantùm. Quod idē accidit in omnibus alijs operationibus externis, quæ cùm magis pateant ad ſenſum, aptiùs quoquè probantur experientia. Quis enim dicat, quòd pluribus ſimul cantentibus, uel ſonantibus, ùt accidit in armonijs, & concentibus, ſinguli illi ſoni cæteroqui ſufficientes ad auditiones excitandas, de facto ſingulas excitent auditiones in aure, ad conſulendùm earùm durabilitati, nè uidelicèt una ex illis deficiente, deficiant aliæ? Quis dicat, quòd pluribus ſimul ſaporibus eadem fercula condientibus, totidèm reſpondeant in palato ſenſationes, ad illos diſtinctè percipiendos, & non potiùs una, eademque guſtatione omnium ſimùl percipiantur uarietates? Quis dicat, ex multiplici florum circumquaquè abundante fragrantia, nares quoquè in multiplicem erumpere eorum omnium ſenſationem? Et ſic de omnibus alijs ſenſibus, cùm externis, tùm internis.

Vndè elicio ſecundam rationem contrà prædictam doctrinam, quià intellectus manuducitur à ſenſibus; ex quo emanauit in uulgus ex Peripato effatum illud celeberrimum *nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit*

in

in ſenſibus. Ea igitur omnia, quæ illi proponuntur à ſenſibus per unicam ſenſationem, probabilius eſt, quod attingantur ab intellectu per unicam intellectionem.

Dices. Colores, ſapores, & alia, quæ ſimul vnico actu percipiuntur à ſenſibus, non ſunt inter ſeſe contrarij; ſicut ſcientia, & opinio de eodem obiecto: Ergo paritas non currit. Nego antecedens; quoad vtramque partem. Primò, quià maiorem habent oppoſitionem ad inuicem amarities; & dulcedo inter ſapores: album, & nigrum inter colores: molle, & aſperum inter tactilia: acutum, & graue inter ſonora, &c. quàm opinio, & ſciētia. Secundò, quià opinio, & ſcientia non ſunt actus contradictorij, neque contrarij, eò quòd vterque ſit affirmatiuus, quamuis dicantur oppoſiti. Tota ergo eorum contrarietas non eſt formalis, ſed virtualis, quatenus videlicèt determinant intellectum ad actus oppoſitos, nempè ad formidandum, & non formidandum de eodem obiecto: Sed etiam illæ qualitates contrariæ in obiectis ſenſibilibus determinant intellectum ad aſſenſus oppoſitos; nam nigredo determinat intellectum ad negationem diſgregationis viſus, ad cuius affirmationem albedo determinat. Præterea vna illum determinat ad hoc, vt tale obiectum affirmet vt bonum; vt iucundum, vt utile; & alia illum determinat, ad hoc ut obiectum affirmet, ut malum, ut iniucundum, & inſuaue, ſicut patet in dulcedine præ amaritie: in mollitudine, præ aſperitate &c. Ergo etiam illæ ſunt oppoſitæ uirtualiter.

Di-

Diſplicet tertiò illa doctrina, quia ſi natura uoluiſſet conſulere actuum intellectus, & uoluntatis durabilitati, non illos alligaſſet tempori eſſentialiter ſucceſſiuo. Quì enim fieri poteſt, ut permaneat actus eſſentialiter connexus cum hora A., illa ſemper, & continenter fluente?

Vndè elicitur argumenti confirmatio contra dictam doctrinam. Actus intellectus propter identitatem cum ſui duratione, eſt eſſentialiter fluens; Quod idem dico de actibus uoluntatis, & cuiuſcumque alterius potentiæ ſpiritualis. Nullam ergò poteſt habere durabilitatem. Atquè adeò fruſtra laboraret natura, ad hoc ut illam actibus impertiret, quam ut omninò impoſſibilem habere non poſſunt; niſi illorum durationes dicamus eſſe phyſicè indiuiſibiles, & uirtualiter tantùm diuiſibiles, adeòque conſtantes, & permanentes, quod uſquè adeò tamquam falſum, & abſurdum multiplici argumentorum phalange inſectatur Pallauicinus.

Nequè dicas, quòd poſſint hi actus moraliter permanere. Siquidem hæc moralis permanentia poſſet etiàm haberi per multiplicem, & ſucceſſiuam productionem eiuſdem ſemper ſpecie actus duobus æquiualentis, ſicut ipſe ait haberi per multiplicem, & ſucceſſiuam productionem duorum inter ſeſe phyſicè diſtinctorum. Ne tamen hoc uideat gratis dicere, ita euidenter probo.

Vel ſupponimus, quòd infecto uno motiuo, poſſet adhùc phyſicè dari uterquè actus, uidelicet ſcientia, &

opinio,

opinio, vel non? Si primùm. Ergo etiam infecto vnô motiuo, poſſet phyſicè dari ille tertius actus duobus æquiualens, & per conſequens quamuis primus actus idem numero non remaneret, adhuc poſſet illius loco alius poni illi ſimillimus, qui indiuiſibiliter correſponderet ſcientiæ, & opinioni. Si verò dicatur ſecundum, quòd magis congruit eius opinioni. Ergo etiamſi ille primus actus remanere non poſſet propter defectum dependentiæ ab vtroque motiuo, adhùc tamen integro remanente altero motiuo, nouus actus produceretur ab illo dependens primo ſimilis inadæquatè, & imperfectè, per cuius ſucceſſiuam durationem poſſet adhùc dici, primus ille moraliter durare, non quidèm adæquatè, ſed ſolùm *ſecundum quid*, videlicèt ſecundùm vnum ex illis duobus actibus, quibus æquiualeret. Ergo ſemper eodem modo admiſſo etiam huiuſmodi tertio actu, poſſemus de illo philoſophari, ſicut ille contra ipſum philoſophatur, retorquendo ſcilicèt argumentum prò huiuſmodi actu, quod ipſe contra illum tam validè iaculatur. Aliter ergo probandam puto illam concluſionem, cuius probationes afferam articulo ſequenti.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

Reſoluitur ſtatus quæſtionis, & multiplici argumento probatur, non poſſe vnum, eumdemque actum eſſe ſimul opinatiuum, & ſcientificum.

STatuimus in articulo præcedenti vnicam tantùm concluſionem, per quam aſſeruimus; non poſſe vnum, eumdemque actum indiuiſibiliter eſſe ſimul opinionem, & ſcientiam de eodem obiecto formaliter, ſaltèm naturaliter loquendo. Reiecimus probationes P. Pallauicini. Afferamus & noſtras.

Prima probatio. Si daretur aliquis actus, qui ſimul eſſet opinatiuus, & ſcientificus; daretur aliquid, cuius nulla extaret cauſa efficiens, ſaltèm particularis, & immediata. Nam hic actus vel produceretur à ſolis præmiſſis opinatiuis; vel à ſolis ſcientificis; vel ab vtriſque ſimul? Nõ poteſt dici primum, nõ ſolùm quia hic actus, vtpotè pendens à ſolis premiſſis opinatiuis, eſſet tantùm opinio, & nullo modo ſcientia; ſed etiam quia eſt impoſſibile, quòd concurrentibus ſimul cauſa neceſſaria cum

cùm contingenti, hæc operetur, & illa non operetur. Sed præmiſſæ ſcientificæ propter euidentiam, quam habent, ſunt cauſæ neceſſariæ, eò quòd cogant intellectum ad aſſenſum, & præmiſſæ opinatiuæ propter ſuam obſcuritatem ſunt ſolùm contingentes, quia ſufficiunt quidem ad determinandum intellectum, non tamen illum cogunt ad aſſenſum. Ergo eſt impoſſibile, quòd hæ ſuum gignant effectum, cum illæ ſunt otioſæ. Neque poteſt dici ſecundum quia alioquin hic actus eſſet ſolùm ſcientificus, & nullo modo opinatiuus propter negationem dependentiæ à præmiſſis opinatiuis. Neque poteſt dici tertium, videlicet quòd produceretur ſimul ab vtriſque præmiſſis; nam hoc eſt naturaliter impoſſibile. Probatur, quia omnis effectus debet aſſimilari ſuæ cauſæ. Sed hic actus neutris præmiſſis aſſimilaretur. Ergo à neutris produceretur. Maior eſt certa. Minor probatur, quia huiuſmodi actus neque eſſet formaliter opinio, neque ſcientia; non opinio, quia eſſet euidens; non ſcientia, quia eſſet ineuidens. Ergo neutris præmiſſis conformaretur, & per conſequens à neutris produceretur; Immo quatenus diceretur ſcientia, penderet à præmiſſis ſcientificis, & quatenus diceretur opinio, non penderet. Ergo ab illis penderet, & non penderet, quod eſt formaliter contradictio, adeòque neutrarum verus eſſet effectus.

Vndè elicio ſecundum argumentum ad eamdem probandam concluſionem. Si daretur huiuſmodi actus, ille includeret prædicata contradictoria. Ergo

non eſt poſſibilis. Probo ſequelam. Eſſet ſcientia, & non eſſet. Nam eſt impoſſibile, quòd aliquis actus ſit ſcientificus, & includat in ſuo conceptu formali connexionem eſſentialem, ſiuè identitatem cum dependentia à præmiſſis opinatiuis; alioquin poſſet aliquid eſse homo, & includere in ſuo conceptu formali connexionem eſſentialem cum eſſe hinnibili. Sicut ergo hoc eſt formaliter impoſſibile, ità & illud.

Confirmatur, & explicatur, quià tota ratio, quarè cenſeatur impoſſibilis *homo equus*, vel *equus rationalis* eſt, quià ſi ſupponamus alterutrum exiſtere, ex incluſione eſsentiali naturæ humanæ cum equina, eſset homo, & non eſset homo: eſset equus, & non eſset equus. Sed etiam hic tertius actus includeret connexionem eſsentialem claritatis cum tenebris, hoc eſt euidentiæ ſcientificæ cum obſcuritate opinatiua. Ergo perindè eſset impoſſibilis, cùm non minus pugnet connexio tenebrarum cum luce, quàm hominis cum equo.

Probatur tertiò, quià omnia argumenta, quæ ſuprà attulimus contra coniunctionem duorum actuum phyſicè inter ſe diſtinctorum, quorum unus ſit ſcientia, & alter opinio, militant etiam, & multò fortiùs contra hunc tertium actum. Sicut enim natura ſi habeat ſciētiam, contemnet actum opinionis diſtinctum ab illa; Ità in caſu, in quo poſset habere integram, & perfectam euidentiam per actum ſcientificum, nollet illam inficere per coniunctionem cum obſcuritate actus opinatiui. Siquidem hoc nullum haberet finem peculiarem in na-

tura,

tura, ratione cuius expeteretur. Supernaturaliter autem hæc ratio non valet, quia Deus vt Deus poteſt multos habere fines particulares ſibi ſoli cognitos, qui promoueant ſuam gloriam, qualis eſset e. g. ad oſtentationem omnipotentiæ, ratione quorum prudentiſſimè ſemper operaretur, quamuis aliquid faceret, quod nullum videretur habere finem congruum in natura. Quarè ex hoc capite non videretur impoſſibilis aliquis actus, qui vnus æquiualeret ſcientiæ, & opinioni de eodem obiecto formaliter.

Probatur quartò, quia cùm omnis actus neceſſarius intelligatur eſſe, ſaltem prò priori ſigno ad omnem actum non neceſſarium, vtique præmiſſæ ſcientificæ vt neceſſariæ; ſi concurrant cum opinatiuis, ſemper intelliguntur eſſe prò aliquo ſigno priori, ad præmiſſas opinatiuas, quæ non ſunt neceſſariæ. Sed poſita cauſa neceſſaria adæquata, neceſſariò reſultat effectus. Ergo prò illo priori, antequàm intelligantur facere vnum cum præmiſſis opinatiuis, & ante omnem earum cauſalitatem ſuum gignunt effectum, videlicet concluſionem ſcientificam. Sed hæc propter dependentiam adæquatam à præmiſſis ſcientificis, erit adæquatè, & purè ſcientia. Ergo vel in tali caſu nullum præſtabunt effectum præmiſſæ opinatiuæ, vel erit concedenda opinionis cum ſcientia compoſſibilitas. Cùm ergo hoc ſecundum non concedatur, debet concedi primum, videlicèt quòd in ſimilibus caſibus ſolæ operentur præmiſſæ ſcientificæ, otioſis remanentibus opinatiuis.

Dices. Hæ ſunt cauſæ neceſſariæ. Ergo non poſſunt, non producere ſuum effectum. Diſtinguo conſequens. Niſi impediantur, concedo: ſi impediantur, nego conſequentiam. Sicut enim diximus in art. antecedenti de impulſibus in contraria tendentibus, ab illo tantùm ſecuturum effectum, qui eſt omnium validiſſimus; Ità ex contranitentia huiuſmodi præmiſſarum, ſcientificæ vincent vt fortiores.

Obijcies primò. Quotiès concurrunt duæ cauſæ totales neceſſariæ, debent neceſſariò ſequi, vel duo effectus diſtincti, vel vnus duobus æquiualens. Huiuſmodi ſunt præmiſſæ ſcientificæ, & opinatiuæ, Ergo cum non poſſint efficere duos actus diſtinctos, efficient unũ duobus æquiualentem.

Secundò. Ex nuce, & perſico ſimul inſitis naſcitur nuciperſicus, ſicut ex cane, & lupo naſcitur lyciſca. Ergo ex coniunctione præmiſſarum ſcientificarum, & opinatiuarum naſcitur unus tertius actus indiuiſibiliter correſpondens utrique.

Tertiò. Duo equi ſimul concurrunt ad eamdem tractionem eiuſdem currus, quamuis ſinguli de ſe ſint ſufficientes ad illam. Ergo etiam hæ præmiſſæ concurrent ſimul ad unum tertium actum, quamuis ſingulæ ad ſuum peculiarem ſint ſufficientes.

Quartò. Poteſt dari actus diuinæ uoluntatis, quo uult omnes homines ſaluos fieri cum actu reprobationis Iudæ. Sed ille eſt ſcientificus, quià non habet pro fine praxim; hic autem eſt opinatiuus, quià caret certitu-

titudine, & omnis actus non ſcientificus eſt opinatiuus. Ergo poſſunt dari ſimul actus opinatiuus, & ſcientificus.

Quintò. Poſſum ego credere, dari Cælum, & quià hoc euidenter patet, & quià hoc dixit Ariſtoteles. Ergo per actum ſimul ſcientificum, & opinatiuum.

Ad primum reſpondeo, præmiſſas opinatiuas eſſe quidem cauſam ſufficientem, & adæquatam ad opinionem, non tamen eſſe cauſam neceſſariam, ut ſuprà diximus. Quod etiamſi concederetur, non tamen illæ deberent producere opinionem in tali caſu, in quo earum actiuitas impeditur à præmiſſis ſcientificis.

Ad ſecundum nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quià ex inſitione utriuſque arboris ità refranguntur qualitates ſingularum, ut non ampliùs ſingulæ remaneant ſufficientes ad ſuos effectus producendos ſeorſim; & idem dico, de coniunctione canis, & lupi. Illæ autem præmiſſę ſemper remanent ſufficientes, quià cùm non ſint inter ſeſe contrariæ, ſed potiùs diſparatæ, ex coniunctione refranguntur.

Ad tertium nego conſequentiam. Primò, quià illi equi ſunt cauſæ uniuocæ, adeoque benè poſſunt coaleſcere in unam ualidiorem, & potentiorem. Præmiſſæ autem, de quibus loquimur, cùm ſint diuerſæ ſpeciei, ad ſummum concurrerent æquiuocè, & ſic non poſſunt coaleſcere in unam cauſam totalem. Secundò, quià falſum eſt, illos equos eſse de ſe ſufficientes ad

tractionem currus, ſaltem taliter faciendam. Ergo ſi ad illam concurrerent, concurrerent ſolum ut cauſæ partiales; illæ autem præmiſsæ ſunt ſingulæ cauſæ ſufficientes in ſua ſpecie.

Ad quartum reſpondeo primò, concluſionem procedere ſolum in cauſis ſecundis, & in ordine naturali; non autem in diuinis, & in ordine ſupernaturali. Secundò. Hi actus diuinæ uoluntatis, cùm diſtinguantur uirtualiter intrinſecè, poſsunt eſse capaces multarum denominationum, quarum una conueniat illis prò uno ſigno, & non conueniat prò alijs. Quarè cùm actus reprobationis unde ſit in poſteriori ſigno ad alium actū, quo uult, omnes homines ſaluos fieri, non eſt mirum, ſi phyſicè copulentur prò eodem inſtanti reali, & per realem identitatem. In creatis uerò hæc diſtinctio uirtualis intrinieca non admittitur à nobis, ut patebit in loco. Ergo non currit paritas.

Tertiò, quia cùm actus diuinæ mentis ſint omninò clariſſimi, & certiſsimi, non poſsunt quidquam haberè commune cum obſcuritate, & fallibilitate actus opinatiui. Præterea cùm ferantur in obiectum ſimplici quodam intuitu, eò quòd illud perfectiſsimè comprehendant, non indigent ullo diſcurſu, per quem gradum faciant ex notis ad incognita. Ergo non poſsunt eſse ſcientia, cuius eſt proprium eſse diſcurſiuam, immò concluſionem; Et per conſequens eorum paritas non cadit ad rem præſentem.

Ad quintum reſpondeo, hoc fieri non poſse, ſi ambo

ſint

ſint motiua adæquata, & ſufficientia. Poſita enim euidentia, contemnitur omne aliud motiuum obſcurum. Quis enim credat nunc, ſe exiſtere, quia dicit Petrus?

ARTICVLVS XIII.

An ſaltem poſſint dari ſimul habitus opinatiuus, & ſcientificus?

Ratio dubitandi eſt, quia cùm ex vna parte habitus ſequantur naturam actuum, à quibus generantur, ſi ij ſunt inter ſe repugnantes, etiam habitus videntur inter ſeſe pugnare; & ex alia cùm habitus ſe teneant ex parte potentiæ, potentiæ autem ad oppoſita, non pugnent inter ſe, eò quòd ſimul, & ſemel ego habeam potentiā ad motum, & potentiàm ad quietem, ideò videntur eſse vnà ſociabiles.

Prima concluſio. *Habitus intenſus opinatiuus non poteſt phyſicè loquendo eſſe ſimul cum habitu intenſo ſcientifico*. Probatur primò, quia, vt diximus in diſp. 2. ar. 15. & colligitur ex. 1. eth. c. 1. & 2. ſicut actus opponitur formaliter actui; ità, & habitus intenſus habitui intenſo. Sed actus non poſsunt ſimul eſse, ſaltèm phyſicè loquē do, vt probauimus vſquè adhùc. Ergo neque habitus intenſi.

Secun-

Secundo, quia habitus non poteſt introduci phyſicè loquendo, niſi per frequentationem multorum actuum. Sed actus ſufficientes ad generationem, ſeu intentionem vnius habitus, ſunt etiam ſufficientes ad remiſſionem, & deſtructionem alterius contrarij. Ergo eſt impoſſibile, quòd ſimul, & ſemel habeantur duo habitus contrarij intenſi, quia generatio, & intentio vnius eſt remiſſio, & deſtructio alterius. Supernaturaliter poſſunt ſimul copulari, quia Deus poteſt impedire mutuam eorum ad inuicem actiuitatem. Tertio quia habitus eſt qualitas. Sicut ergo frigus, & calor intenſi non poſſunt naturaliter ſociari, ita neque habitus.

Secunda concluſio. *Habitus remiſſus opinatiuus poteſt etiàm phyſicè loquendo coniungi ſimul cum habitu remiſſo ſcientifico.* Eſt D. Tho. 1 par. q. 58. ar. 7. & 3. par. q. 9. ar. 3. ad 2. Caiet. ibid., Alen. 3. par. q. 29. ar. 3., Bonau. in 3. d. 24. q. 2. Probatur primò, quia alioquin habitus intenſus nunquàm remitteretur. Ad hoc enim vt remittatur, debent frequentari actus contrarij. Sed ſingulis actibus, vt probatum eſt, generantur habitus. Ergo illi actus, qui remittunt habitum intenſum, generant habitum illi oppoſitum; atque adeò cum illo primo habitu aliquantulùm remiſſo, datur alius habitus item remiſſus illi oppoſitus.

Secundò, quia in tatum non poſſent ſimul exiſtere, in quantum inclinant ad actus oppoſitos. Sed hoc non obſtat, quia eadem voluntas, & intellectus inclinant ad actus oppoſitos. Ergo poterunt etiàm ſimul eſſe

duo

duo habitus, qui ſunt quædam potentiæ particulares, quamuis inclinent ad oppoſitum.

Tertiò, quia nos experimur, multùm etiàm conducere ad confirmandam concluſionem ſcientificam vti medijs probabilibus, & per hoc reddimur faciliores ad illi aſſentiendum. Ergo etiàm aliquid relinquitur ex actibus opinatiuis, quod aliud non poteſt eſse, quàm ipſe habitus opinatiuus ſimul cum ipſo habitu ſcientifico.

Quartò, quia hi habitus ſe habent vt duo media alterum ſcientificum, & alterum opinatiuum. Sed media ad oppoſita poſſunt eſſe ſimul, vt communiter conceditur. Ergo etiam hi habitus.

Obijcies primò cum Caiet. 1. poſt. c. 22. & cum Sot. ibid. Eſt impoſſibile, quòd idem intellectus ſit ſimul determinatus ad duos actus oppoſitos. Sed ſi poſſent coniungi ſimùl habitus contrarij, etiam in gradu remiſſo, idem intellectus eſſet ſimul determinatus ad duos actus oppoſitos. Ergo non poſſunt ſimul coniungi habitus contrarij etiam remiſſi.

Secundò. Medium ſcientificum deſtruit obiectum opinionis. Sed ſublato obiecto, non poteſt habitus remanere, quia habitus, & potentia non minus pendent ab obiecto, quàm à ſubiecto. Perindè enim eſt impoſſibile, non dari potentiam viſiuam ſine colorato, quàm ſine animali. Ergo poſito habitu ſcientiæ, qui eſt medium ſcientificum, non poteſt remanere habitus opinatiuus, Probatur maior, quia certitudo conſequens ad habitum

ſcien-

ſcientificum deſtruit incertitudinem, quæ conſequitur ad medium opinatiuum tanquam formam illi oppoſitam.

Ad primum diſtinguo maiorem. Si loquamur de determinatione in actu primo, nego: ſi de determinatione in actu ſecundo, concedo maiorem. Et diſtinguo eodem modo minorem, nam habitus non determinat intellectum ad operandum in actu ſecundo, alioquin deberemus ſemper elicere omnes actus, ad quos facilè eliciendos acquiſiuimus habitus. Sicut ergo poteſt idem homo habere ſimul potentiam ſeſe mouendi, & potentiam quieſcendi, abſque vlla repugnantia; Ita etiam idem intellectus poteſt ſimul habere habitum opinatiuum, & ſcientificum remiſſos.

Dices. Habitus Iuſtitiæ non poteſt eſſe ſimul cum habitu iniuſtitiæ, alioquin idem ſimul eſſet habituatus, & inclinatus ad iuſtitiam, & iniuſtitiam, & idem dico de habitibus temperantiæ, & intemperantiæ. Ergo &c. Diſtinguo antecedens. Non poſſunt hi habitus eſſe ſimul in gradu intenſo, concedo: in gradu remiſſo, nego antecedens. Poteſt enim aliquis e. g. poſtquam acquiſiuit habitum iuſtitiæ vt 6. per tres actus iniuſtitiæ expellere tres gradus habitus iuſtitiæ, & introducere tres gradus iniuſtitiæ. In tali caſu hic homo eſſet inclinatus debiliter, & remiſsè ad vtrumque, vel ad neutrum, propter refractionem actiuitatis talium habituum ob tam ex mutua contrarietate. Sicut enim poteſt idem calidum vt 6. amittere tres gradus caloris, & acquirere

tres

tres gradus frigoris, itavt remaneat ſimul calidum vt 4., & frigidum, vt tria. Ita, & in caſu noſtro.

Ad ſecundum diſtinguo primò maiorem. Medium ſcientificum deſtruit omne obiectum verum opinionis, concedo. Deſtruit omne obiectum opinionis etiam apparens, nego maiorem. Et diſtinguo minorem. Sublato omni obiecto, non poteſt habitus remanere, concedo: ſublato tantùm aliquo, nego minorem. Nàm opinio poteſt dari etiàm de obiecto ſolùm apparente. Dico ergo, verum eſse, cum euidentia medij ſcientifici, non poſse dari veram incertitudinem, ſeù obſcuritatem, quæ eſt obiectum opinionis; Impoſſibile enim eſt (vt probatum eſt) euidentiam dari de falſo, adeòque de obſcuro, & incerto, quod ſubiacet falſificari. Poteſt tamen dari euidentia cum incertitudine, ſeù probabilitate apparente, ideſt quæ licèt verè non detur, tamen perindè ſe habeat, ac ſi verè daretur.

Secundò nego ſimpliciter maiorem. Nàm quælibet potentia eſt medium ad ſuos actus, & tamen vna potentia non deſtruit obiectum alterius potentiæ ſibi oppoſitæ, quia datur ſimul cum illo, immo cum ipſamet potentia ſibi oppoſita, vt patet in potentia aſsentiendi, & diſsentiendi: volendi, & nolendi: motus, & quietis, &c. alioquin poſito aſsenſu circa obiectum A. redderetur impoſſibilis diſsenſus circa A., & vice verſa; quod idem dico de nolitione, poſita volitione, & ſic de alijs.

Tertia concluſiò. *Habitus opinionis poteſt eſſe cum actu ſcientiæ, & viceuerſa*. Probatur primò, quia actus non

oppo-

opponitur immediate actui, ſed habitui. Ergo ſi habitus poteſt eſſe cum habitu oppoſito, ſaltem remiſſo, à fortiori poterit etiam eſſe cum actu habitus contrarij.

Secundò, quia habens vtrumque habitum poteſt elicere alterutrius habitus actum. Quicumque autem actus eliciatur, ille erit non ſolùm cum habitu, à quo elicitur, verùm etiam cum alio habitu. Ergo &c.

ARTICVLVS XIV.

Quid ſit cognitio; ſeù ſcientia practica? & an illa ſit?

Scientia practica dicitur à *praxi*, eo quòd ſit eſſentialiter ordinata ad illam. Nomen autem praxis non ſumitur adeò rigoroſè, ſicut accipitur *6*. met. t. *1*. & *6*. Eth. c. 4.; vbi accipitur ſolùm pro actionibus moralibus, ſed accipitur in latiori ſignificatione, adeò vt ſignificet omnes cuiuſcumque generis operationes factibiles ex præuia aliqua cognitione, à quâ voluntas dirigatur ad talem operationem imperandam; atque adeò ſignificat omnes operationes omnium artiũ tàm actiuarum, quàm factiuarum. Sed quia magna eſt diſceptatio inter Auctores in aſſignanda eſſentia, & quidditate ipſius ſcientiæ practicæ; ideò breuiter, celebrio-

ribus

ribus relatis opinionibus; noſtras demum ſtatuemus concluſiones.

Diuus Tho. 1. par. q. 1. ar. 4. cum Caiet. ibid. Capr. in Prolog. q. 2. & alijs nonnullis Thomiſtarum ait, nullam dari intrinſecè cognitionem practicam, ſed ſolum accidentaliter, & extrinſecè. Putant enim, omnem cognitionem eſſe intrinſecè ſpeculatiuam, & fieri practicam per ordinationem liberam voluntatis ad praxim, vel per intellectus reflexionem. Eorum fundamentum eſt hoc, quia cùm diſtinguant in actibus rationem repræſentatiui à ratione diſcurſiui, ſeu concludentis, dicunt, illam haberi à rationibus practici, & ſpeculatiui, adeòque eſſe actibus accidentalem, hanc autem eſſe actibus eſſentialem, & intrinſecam. Quo ſuppoſito, ſic argumentantur. Ratio concludentis, ſeu diſcurſiui non variatur in actibus, niſi per medij variationem; quia ſolum medium eſt ratio formalis diſtinguens tertiam operationem à ſecunda, & prima. Sed poteſt actus ſpeculatiuus habere idem medium, atque practicus, vt patet in ſubalternantibus, & ſubalternatis. Ergo non differt ab illo eſſentialiter. Sicut enim fides diuina, quamuis inclinet tam ad actus ſpeculatiuos, quàm ad practicos; quia tamen ſemper procedit per idem medium, videlicet per auctoritatem Dei atteſtantis, ideò quatenùs inclinans ad vtroſque actus, ſemper eſt idem ſpecie habitus. Ita etiam quamuis actus practicus repræſentet aliud, adeòque inclinet ad aliquid diuerſum, atque ſpeculatiuus, quia tamen vterque actus

pro-

procedit per idem medium, ſunt vnus, idemque ſpecie actus.

Contrà Scotus cum pleriſque ſuæ claſſis in prolog. q. 4. & 5. ait, dari multas cognitiones eſſentialiter practicas, adeòque differre à ſpeculatiuis intrinſecè, & eſſentialiter, nempè propter diuerſam eſſentialiter tendentiam ad obiectum, in qua cognitiones practicæ referuntur ad opus, ſpeculatiuæ autem minimè. Hæc autem doctrina deſumitur ex 1. eth. c. 7. , & 2. met. t. 3. , vbi dicitur à Philoſopho, ſcientiam practicam diſtingui à ſpeculatiua ex obiecto, & fine intrinſeco, atque adeò eſſentialiter.

Quam doctrinam paulò aliter explicatam confirmat & ſequuntur Conimbricenſes in 1. poſt. c. 23. q. vnica ar. 3. hoc argumento. Quæcumque variatio præmiſſarum, variat eſſentiam concluſionis ab intrinſeco. Sed quæcumque variatio medij, vel extremiorum variat præmiſſas. Ergo variat ipſam concluſionem. Sed omnis ſcientia ſiuè ſpeculatiua, ſeù practica eſt actus concluſionis, quià debet eſſe cognitio rei per cauſam. Ergo per quamlibet variationem medij, vel extremorum variatur eſſentialiter. Atquì vel medium, vel extrema ſpeculatiuæ ſemper ſunt diuerſa à medio, vel extremis ſcientiæ practicæ, quià vna ordinatur ad opus, & alia non. Ergo ipſæ ſcientiæ ſunt eſſentialiter inter ſeſe diuerſæ.

Prima concluſio. *Datur de facto ſcientia practica actualis*. Probatur primò experientia, quià omnes arti-

artifices dum operantur, habent cognitiones præuias directrices. Et deindè ratione, quia cùm voluntas ſit potentia cæca, non poteſt alijs imperare vllam operationem, quæ illi non repræſentetur ab intellectu vt poſſibilis, & vt bona. Nemo enim poteſt velle efficaciter id, quod ſibi non apparet poſſibile, & bonum. Ergo poteſt, immo debet aliquid imperare ex præuia aliqua cognitione directrice, illud repræſentante vt poſſibile, & bonum, & vt etiam neceſſarium hîc, & nunc. Sed hæc cognitio eſt intrinſecè, & eſſentialiter practica, vt mox patebit. Ergo datur de facto cognitio practica.

Secunda concluſio. *Scientia practica non fit formaliter practica ex ordinatione libera voluntatis ad opus, vel intellectus reflexione.* Probatur quia antecedenter ad omnem tàm ordinationem liberam voluntatis, quàm reflexionem intellectus datur cognitio practica, & diſtinguitur à ſpeculatiua. Quamuis enim de facto non ordinetur ad praxim, adhuc tamen eſt practica per hoc, quòd ex natura ſua intrinſeca ſit apta dirigere voluntatem ad imperandam praxim, & reſpiciat hoc tamquam finem intrinſecum, qualis eſſet e. g. hæc cognitio *hæc via eſt eundum Patauium.* Ergo &c.

Tertia concluſio. *Eſſentia cognitionis practicæ conſiſtit formaliter in hoc, quòd ſit intrinſecè, & ex natura ſua regulatiua operationis, ſeù praxis, quam repræſentat, vt neceſſariam, & bonam ipſi operanti.* Probatur primò, quià hoc conuenit omni, ſemper, & ſoli cognitioni practicæ. Probatur ſecundò, quià prudentia e. g. ideò eſt practi-

ca, quia in omni ſuo actu repræſentat voluntati operationem faciendam vt bonam, & neceſſariam. Ergo omnis alia cognitio repræſentans operationem faciendam, vt bonam, & neceſſariam, erit cognitio practica.

Probatur tertiò, quia in tantùm cognitio practica eſt regulatiua operationis faciendæ, in quantùm eſt apta mouere voluntatem ad illam operationem imperandā. Sed non eſſet apta mouere voluntatem ad imperandam operationem A. e. g. niſi illam repræſentaret vt bonam, & neceſſariam, quia ſola bonitas mouet voluntatem, & ſola neceſſitas illam determinat ad hanc operationem vt hanc. Ergo ad hoc, vt aliqua cognitio ſit practica, debet repræſentare operationem faciendam, quam regulat, vt bonam, & neceſſariam.

Quarta concluſio: *Scientia practica differt formaliter à ſpeculatiua per hoc, quòd hæc ſit gratia ſui; neque ordinetur intrinſecè ad aliud extra ſe, illa verò eſſentialiter ordinetur ad aliud extra ſe.* Probatur, quia cùm ſcientia ſpeculatiua ſit rigorosè ſcientia, debet eſſe de obiecto neceſſario. Obiectum autem neceſſarium effici non poteſt. Ergo non poteſt circa illud verſari ſcientia ſpeculatiua, vt illud efficiat, ſed vt illud contempletur. Atque adeò non poteſt habere pro fine, niſi eius contemplationem, videlicet ſuum actum. Practica verò, quia verſatur circa obiectum contingens, & factibile, poteſt habere prò fine factionem illius. Et ideò Auerroes 2. met. comm. 3. ait, *per cognitionem ſpeculatiuam*

nos

nos ſcimus, vt ſciamus; per practicam verò ſcimus, vt operemur. Hoc autem non eſt quid accidentale his actibus; alioquin etiam per ſpeculatiuam poſſemus ſcire, vt operemur, & per practicam, vt contemplemur; quòd eſt ridiculum. Ergo differunt inter ſeſe eſſentialiter.

ARTICVLVS XV.

Soluuntur argumenta contraria.

Obijcies primò. Ariſtoteles 7. eth. c. 7. ait, eumdem angulum, qui à Geometra ſpeculatiuè cognoſcitur, poſſe à fabro practicè cognoſci. Ergo ſpeculatiua non benè diſtinguitur à practica per hoc, quòd illa verſetur circa obiectum neceſſarium, hæc verò circa contingens, cùm etiam ſpeculatiua poſſit verſari circa angulum, qui eſt aliquid factibile, & contingens.

Secundò. Ariſt. ait, 3. de an. t. 46. & 49. habitum ſpeculatiuum extenſione fieri practicum. Ergo non eſt eſſentialiter ſpeculatiuus, ſed contingenter, & per conſequens non differt intrinſecè à cognitione practica.

Tertiò. Cognitio ſpeculatiua Geometræ de natura anguli recti diſponit fabrum ad cognitionem practicam de illo faciendo; & cognitio ſpeculatiua Phyſici de

virtute herbarum, & lapidum diſponit medicum, ſeù pharmacopolam ad cognitionem practicam de illis colligendis, & permiſcendis. Sed ſi diſponant ad cognitiones practicas, diſponunt etiam ad praxim. Ergo etiam cognitiones ſpeculatiuæ diſponunt ad praxim, & per conſequens poſſunt fieri practicæ.

Quartò. Scientia practica non eſt de obiecto neceſſario. Ergo non poteſt eſſe cognitio certa, & euidens, quæ ſolum eſt de obiecto neceſſario, vt vidimus. Ergo non eſt ſcientia.

Quintò. Nulla cognitio practica poteſt reddere rationem de ſuo obiecto. Ergo non illud cognoſcit per ſuam cauſam; & per conſequens nulla cognitio practica eſt ſcientia.

Sextò. Hæc cognitio *Deus eſt ſummum bonum*, eſt cognitio practica, quià poteſt mouere voluntatem ad amorem Dei. Sed hæc cognitio non repræſentat obiectum vt neceſſarium. Ergo non eſt de eſſentia cognitionis practicæ repræſentare obiectum vt neceſſarium.

Septimò. Hæc cognitio *via A. ducit Romam*, eſt cognitio practica, quià poteſt mouere voluntatem ad capeſſendam talem viam. Sed hæc cognitio non repræſentat bonitatem, vel neceſſitatem eundi Romam. Ergo &c.

Ad primum nego conſequentiam. Ratio eſt, quià quamuis obiectum ſpeculatiuæ ſit factibile, non tamen eſt factibile ex vi, & directione illius, ſicut eſt obiectum practicæ, quæ directè diſponit ad illud efficiendum.

Præ-

Præterquàm quòd quamuis verè angulus ſit aliquid factibile, tamen vt conſideratur à Geometra ſpeculatiuè, eſt aliquid neceſſarium, quià conſideratur in ordine ad ſuas proprietates, quibuscum neceſſariò connectitur. Quando ergo dicitur, obiectum ſpeculatiuæ eſſe neceſſarium, accipitur in hoc ſenſu, quòd videlicèt non ſit aliquid factibile per ipſam ſcientiam ſpeculatiuam. Et ideò 1. topic. c. 9. dicitur, per actum ſpeculatiuum nihil fieri, ſeù moueri in obiecto. Ex quo colligit Ariſt. 2. eth. c. 2., ſcientiam ſpeculatiuam eſſe inutilem, quià videlicèt nullam aliam affert vtilitatem preter ſe ipſam. Et ex hac ipſa inutilitate deducit Ariſt. 1. met. c. 2. excellentiam, & præſtantiam ſpeculatiuæ ſupra practicam. Cùm enim hæc ſit propter aliud, magis accedit ad vilitatem humanæ naturæ, quæ cùm in plerìſque ſit ſerua, non eſt omninò propter ſe, immo eſt adæquatè propter Deum. Atque adeò omnes illæ artes, quæ ſunt magis neceſſariæ, ſunt etiàm viliores, ut coquinaria, ſutoria, fabrilis, &c. & illæ quæ non ſunt adeò neceſſariæ, ſunt perfectiores, & excellentiores, ut pictura, ſtatutaria, poeſis &c. Quò enim magis accedunt ad neceſſitatem, eò magis ſunt ſeruiles, & propter aliud, ſicut econuerſo quò ab illa recedunt magis, eò minus extrà ſe diffunduntur, magiſque accedunt ad dignitatem Dei.

Ad ſecundum nego conſequentiam. Dictum enim Ariſtotelis ùerificatur in hoc ſenſu, quòd uidelicèt omnis cognitio practica incipiat ab aliqua cognitione

ſpeculatiua, & ad illam tandem reducatur per uarias conſequentias mediatas, ad hoc ut perfectè diſponat ad operandum. In quo aduerte, non eſſe hìc ſermonē de cognitione *reductiuè* tantùm practica, qualis eſt reflexio, ſeù correctio de obiecto iam facto, ſed de cognitione rigorosè, & formaliter practica, ideſt de obiecto per illam faciendo.

Ad tertium diſtinguo minorem. Diſponunt ad praxim indirectè, remotè, & per accidens, concedo: directè, per ſe, & proximè, nego minorem. Nam per accidens eſt cognitioni ſpeculatiuæ, quòd ex ui illius aliquis diſponatur ad aliquid faciendum, cùm hoc non ſequatur ex natura illius intrinſeca.

Ad quartum reſpondeo primò diſtinguendo antecedens. Scientia practica non eſt de obiecto neceſſario abſolutè, concedo: ex ſuppoſitione, quòd exiſtat, nego antecedens, & cum illo conſequentiam. Nam poſito quòd exiſtat obiectum artium, neceſſariò eſt tale, & debet hoc modo exiſtere. Et ideò dicitur, ars eſſe circa obiecta neceſſaria ex ſuppoſitione. Secundò nego conſequentiam. Nam cùm hoc, quòd obiectum artium, ſeù cognitionis practicæ ſit contingens, poteſt eſse, quòd conſideretur ab illis ſub ratione aliqua uniuerſali, ſub qua ſunt aliquid neceſsarium. Et ideò Ariſt. 1. met. c. 1. diſtinguit artem ab experientia per hoc, quòd experientia ſemper ſit circà ſingularia, ars uerò etiàm circà uniuerſalia; & proinde huic ait conuenire cognitiones certas, & euidentes, quaſ. 6. met. t. 1. appellat

pellat demonſtrationes debiliores de obiecto uniuerſali, & negat, conuenire experientiæ. Præterquam quòd obiectum ſcientiæ non debet ſemper eſse neceſsarium, quoad exiſtentiam, cùm aliquando ſufficiat, ſi ſit neceſsarium, quoad connexionem eſsentialem ſubiecti cum ſuis proprietatibus, ut ſuprà dictum eſt.

Ad quintum nego maiorem. Nàm, vt colligitur ex 1. met. c. 1. & lib. 1. de part. animal. c. 1. & 1. Rhet. c. 2. Nulla cognitio practica, ſeù ars poteſt eſſe perfecta, quæ ſaltèm mediatè non poſſit reddere rationem de ſuo obiecto. *Dixi mediatè*, quià ſatis eſt, quòd ità vna deducatur ab alia, vt poſt multas vnius ab alia deductiones, tandem deueniatur ad aliquas cognitiones ſpeculatiuas alicuius ſcientiæ ſuperioris, ſeù ſubalternantis, quibus illæ fundentur. Ex quo colligit D. Tho. opuſc. 70. q. 5. ar. 1. perfectam artem includere præter partem practicam, etiam theoricam, ſeù partem ſpeculatiuam; nō quià pars theorica ſit formaliter ars, ſeù illius formale conſtitutiuum, ſed quià pars practica, quæ eſt formaliter ars, perficitur ab illa; per cuius coniunctionem fit vnum principium perfectùm operis artificiati, non quidèm adæquatè, ſed inadæquatè practicum.

Ad ſextum nego maiorem. Quamuis enim hæc cognitio poſſit mediatè mouere ad amorem Dei, non tamen poteſt ad illum immediatè mouere, ſaltèm per ſe, quod eſt de eſſentia cognitionis practicæ, quià non re-

præſentat amorem Dei, vt factibilem, & neceſſarium: Ex eo enim quòd Deus ſit ſummum bonum, non ſequitur, illud eſſe mihi bonum, & neceſſarium. Voluntas autem mouetur ab eo, quod ſibi repræſentatur vt bonum ſuum, & factibile ſibi, non autem ab eo, quod ſibi repræſentatur vt bonum ſimpliciter. Ex quo infertur; ad cognitionem practicam requiri; vt ſit de obiecto; quod repræſentetur factibile ab ipſo cognoſcēte. Quarè hæc cognitio *ad hoc, vt vnus Angelus loquatur alteri, debet ad illum dirigere conſenſum liberum voluntatis*, reſpectu noſtri non eſt practica, quia hæc directio voluntatis; quamuis repræſentetur per talem cognitionem vt factibilis, non tamen repræſentatur vt factibilis ab ipſo homine cognoſcente, ſed ab Angelo. Sicut neque eſt practica reſpectu noſtri cognitio docens modum mouendi Cęlos, quia nos non poſſumus illos mouere.

In quo aduertite, non eſſe neceſſarium ad cognitionem practicam, quòd eius obiectum ſit ſemper in libertate cognoſcentis, cùm poſſit dari etiam cognitio practica circà obiectum cognoſcenti neceſſarium. Nam amor Dei in Beatis eſt neceſſarius, quia prouenit à viſione beatifica neceſſitante; & tamen procedit à dictamine practico rationis dictante, Deum eſſe ſuper omnia diligendum. Quarè ſatis eſt, quòd tale obiectum ſit in poteſtate cognoſcentis; quamuis non ſit in eius libertate. Immo neque ſemper requiritur, vt ſit in eius poteſtate directè, ſed ſufficit aliquandò, quòd ſit in eius poteſtate indirectè. Probatur, quià omnes con-

cedunt, conſilium; quod præſtat Conſiliarius Principi; eſse cognitionem practicam, eò quòd ſit eſsentialiter ordinatum ad mouendam Principis voluntatem ad aliquid faciendum, vel omittendum; adeòque habeat pro fine praxim. Illud autem, circa quod verſatur tale conſilium, ſicut & ipſa motio voluntatis Principis directè, & per ſe non ſunt in poteſtate Conſiliarij, ſed ſolum indirectè, quatenùs videlicet eſt in eius poteſtate vrgere alijs rationibus voluntatem Principis, vt illud uel omittat, uel exequatur. Quamuis autem non ſit neceſse; quòd obiectum cognitionis practicæ ſit directè in poteſtate cognoſcentis; non tamen proindè ſequitur, non eſse neceſsarium ad cognitionem practicam, quòd repræſentet directè obiecti bonitatem, & neceſſitatem. Siquidem cognitio reflexè tantùm repræſentans bonitatem operationis iam factæ, propriè, & rigorosè non eſt practica; quia uel illam præſupponit iam factam, adeòque non poteſt eſse principium agendi reſpectu illius, uel ex ſuo modo tendendi non habet pro fine factionem illius, eò quòd talis cognitio non eſt ex natura ſua intrinſeca ordinata ad illam efficiendam; atquè adeò non uerſatur circa praxim.

Ad ſeptimum nego maiorem propter eamdem rationem; quæ affertur in minori. Quamuis enim poſſit aliquis ex illa cognitione moueri ad capeſsendam talem uiam; hoc tamen eſt per accidens reſpectu illius cognitionis, quæ nullo modo ad hoc eſt ordinata, & poteſt conuenire omni cognitioni ſpeculatiuæ.

Di-

Dices. Vnde poteſt cognoſci, an aliqua cognitio exprimat neceſſitatem, & bonitatem obiecti? Reſpondeo, cognoſci ex hoc, quòd explicetur, per uerbum *debeo* explicitè, uel implicitè per *participium*. Quare illa cognitio exprimeret utrumque hoc prædicatũ, ſi talis eſset *hac via debemus ire*, uel *nobis eumdũ eſt Romam*. Hæc enim propoſitio exprimit neceſſitatem talis uiæ, poſito quòd uelimus ire Romam. Illud autem, quod eſt neceſsarium ad id, quod uolumus, eſt bonum, quia conducit, & eſt medium ad bonum. Ergo exprimit utrumque.

Ex his omnibus conſtat, tres eſse proprietates eſſentiales, & neceſsarias ſcientiæ practicæ. Prima eſt, ut ſit de obiecto contingenti. Si enim obiectum non ſit contingens, non poteſt repræſentari ut factibile. Secunda, ut non ſit gratia ſui, ſed gratia alterius, quià cognitio practica debet eſse ordinata ad aliquid faciẽdum. Quarè cognitio uerſans circà aliquid non regulabile, & factibile per illam, ut eſt cognitio nutritionis, augmentationis &c. non eſt practica. Tertia ut ſit principium agendi, ideſt, quòd concurrat in genere cauſæ efficientis, ſeù mouentis intentionaliter ad opus. Ratio eſt, quia cùm debeat dirigere voluntatem ad aliquid, quod ſit in poteſtate operantis, debet ad illud ordinari tamquàm ad finem, atquè adeò debet eſſe aliquid neceſſariò prerequiſitum ex parte intellectus in operante ad ponendam praxim, ſiuè opus.

Quòd ſi quæras quotuplex ſit cognitio, ſeù ſcientia pra-

practica? Reſpondeo, eſſe triplicem, videlicet Synd:-reſim, Prudentiam, & Artem. Syndereſis eſt illud iudicium vltimum, quod immediatè præcedit praxim, & dictat, illam eſſe honeſtam, vel inhoneſtam in genere moris, ſeù moraliter, ut eſſet e. g. concluſio huius ſyllogiſmi. *Omnis comeſtio carnis facta tempore quadrageſimæ eſt inhoneſta. Sed hoc eſt tempus quadrageſimæ. Ergo comeſtio carnis facta hoc tempore eſt inhoneſta.* Nam hæc conſequētia dictat immediatè, & proximè, eſſe inhoneſtam hìc, & nunc carnis comeſtionem. Prudentia dictat, quid ſit honeſtum, vel inhoneſtum ciuiliter: adeoquè quomodo hìc, & nunc ſit operandum cuilibet agēti rationali ad ſeruandas leges Principum, & Magiſtratuum, vt ſartum, tectumquè ſeruetur ciuile commerciū. Ars dictat quomodò ſit operandum hìc & nunc ad faciendum opus artificiatum, videlicèt quomodò ſit operandum fabro lignario, ad arcam egregiè efficiendam; pictori ad picturam, &c. Cùm ergo omnis cognitio practica ordinetur, vel ad opus morale, vel ad ciuile, vel ad artificiatum, omnis cognitio practica reducitur ad aliquam ex his tribus. Nam ſi ordinatur ad primum, eſt Syndereſis; ſi ad ſecundum, eſt Prudentia; & demùm ſi ad tertium, eſt Ars.

DISPVTATIO QVARTA

De Natura Logicæ.

Poſtquam vidimus, logicam eſſe ſcientiam, illamque verſari circa operationes intellectus, videndum ſupereſt, qualis ſcientia illa ſit?

ARTICVLVS PRIMVS.

An logica ſit ſcientia practica, vel ſpeculatiua?

QVinque pre ceteris in hac re ſunt omnium celeberrimæ opiniones. Prima eſt Auerſæ.q.1.log ſect.5.Hurtad. diſp. 2. log. ſect. 2.& cum ijs quamplurium Recentiorum, qui omnes dixere, logicam eſſe partim practicam, & partim ſpeculatiuam. Eorum fundamentum eſt hoc, quia putant, plures eſſe in logica cognitiones practicas, cuiuſmodi ſunt de faciendo ſyllogiſmo, definitione &c., & plures alias cognitiones ſpeculatiuas, cuiuſmodi ſunt omnes illæ, quæ totæ ſunt circa naturam ſyllogiſmi, definitionis, generis &c. Ergo ſecundum partem cognitionum ſpeculatiuarum aiunt, eſſe ſpecula-

tiuam,

tiuam, & ſecundùm aliam eſſe practicam.

Secunda eſt Toleti q. 4. proœm. appellantis logicam ſcientiam ſpeculatiuam deficientem. Quid autem intelligat hoc nomine, non ſatis ſe explicat. Re tamen ipſa videtur inclinare in eam opinionem, quæ aſſerit, logicam eſſe omninò practicam.

Tertia eſt Scoti 1. queſt. prędicam. cum ſuis, Alberti tract. 1. præd., Soncin. 6. met. q. 2., & multorum aliorum dicentium, logicam eſſe adæquatè ſpeculatiuam, quià videlicèt putant, nomine praxis aliud non intelligi, quàm operationem faciendam extrà intellectū. Cùm ergo logica verſetur circà operationes ipſius intellectus, hinc eliciunt, illam circà praxim non verſari, & per conſequens non eſſe ſcientiam practicam.

Quarta eſt Ruuij q. 5. proœm. vbi ait, logicam, cùm ſit ſerua omnium ſcientiarum, de ſe neque eſſe ſpeculatiuam, neque practicam, ſed eſſe indifferentem ad vtrumque. Atque adeò dum ſeruit ſpeculatiuis, illam, ait, eſſe ſpeculatiuam, & dùm ſeruit practicis practicā. Eius fundamentum eſt, quià cenſet, habitum adiuuari non poſſe, niſi ab alio ſibi ſubdito in ſuo genere, ſicut eſt ſpeculatiuus reſpectu ſpeculatiui, & practicus reſpectu practici.

Quinta eſt Alex. & Philop. init. prior. Ammon. init. prædicabil. cum nonnullis tàm veteribus, quàm Recentioribus, qui non ſolū negant, logicam eſſe ſcientiam ſpeculatiuam, ſed etiam negant, illam eſſe practicam. Atque adeò dicunt, illam nullo modo inter Philoſophię

par-

partes enumerandam. Eorum fundamentum eſt hoc; quià cùm logica inſeruiat non tantùm Philoſophiæ; verùm etiam ipſis artibus ſeruilibus, illam aiunt, eſſe omnium ignobiliſſimam tàm ſcientiarum, quàm artium; Ex quo inferunt, neque eſſe ſcientiam.

Vnica concluſio. *Logica ſecundùm omnes, & ſingulas eius partes eſt ſcientia practica*. Probatur primò ex Ariſt. 1. top. c. 9., vbi logicam ait, non expeti propter ſe: Ergo cùm ſcientia ſpeculatiua ſit propter ſe expetibilis, eò quòd ſit gratia ſui; vt ſuprà diximus, logica non poteſt eſſe ſpeculatiua. Et libro 1. prior. c. 27., & 30. ait; ad logicam pertinere non ſolùm conſiderare naturam ſyllogiſmi, ſed etiam illum facere. Ergo eſt principium illius. Sed principium praxis eſt practicum. Ergo ſequitur, logicam eſſe practicam; E hæc eſt ratio; quarè logica vocetur paſſim à Philoſopho *Organum*; & *modus ſciendi*, quià videlicèt illa tota eſt ordinata ad factionem ſcientiarum, ideſt actuum ſcientificorum, qui fiunt à ſcientijs cum directione logicæ.

Probatur ſecundò, quià de omni cognitione, ſeù actu logicæ verificantur omnia requiſita, quæ ſuprà attulimus ad ſcientiam practicam. Nam omnia præcepta logicæ verſantur, vel circà definitionem, vel circà diuiſionem, uel circà Syllogiſmos faciendos, atque adeò circà obiectum contingens; & factibile. Et ideò conſiderāt ſolùm operationes intellectus ut dirigibiles, uidelicèt ut factibiles per ſui directionem. Deindè non ſurg-

gra-

gratia ſui, quia ordinantur ad faciendas huiuſmodi operationes. Et demùm ſunt earum principia, quia dirigunt intellectum; ut illę fiant. Ergo de omni cognitione, ſeu actu logicæ uerificatur, quòd ſit practicus.

Confirmatur, quia Logica tota quanta quanta eſt, eſſentialiter ordinatur ad praxim; videlicèt ad operationes intellectus, quas dirigit. Ergo tota eſt practica: Reſponſio ad fundamenta contraria ſupra relata patebit articulo proximè ſequenti ſolutione obiectionum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Soluuntur argumenta contraria.

OBijcies primò cum Hurtado: Cognitiones illæ, quæ verſantur circa naturam ſyllogiſmi, generis, definitionis, &c. ſunt ſpeculatiuæ, eò quòd non habeant pro fine factionem illorum: Sed hæ ſunt cognitiones logicæ. Ergò logica ſecundùm aliquam ſui partem eſt ſpeculatiua.

Secundò cum Ruuio. Quiſquè habitus debet ab alio ſibi ſeruo iuuari in ſuo genere: Habitus enim practicus non benè iuuatur ab habitu ſcientifico, & viceuerſa: Et præterea Inſtrumentum debet reduci ad ſuam cauſam principalem: Sed logica eſt inſtrumentum omnium

ſcien-

cientiarum. Ergo cum ſeruit ſpeculatiuæ, debet reduci ad ſpeculatiuam; & cum practicæ, ad practicam.

Tertiò cũ Alexãdro, Logica ſeruit toti Philoſophiæ. Ergo non eſt recenſenda inter partes illius, quià non poteſt idem eſſe ſimul inſtrumentum, & habitus principalis illius, cuius eſt inſtrumentum.

Quartò. Logica non habet idem obiectum, atque aliæ ſcientiæ. Ergo non poteſt eſſe earum inſtrumentum, & per conſequens eſt ſcientia ſpeculatiua, quià eſt gratia ſui.

Quintò. Logica præcipit omnibus alijs ſcientijs. Ergo non poteſt eſſe earum inſtrumentum, ſed eſt habitus principalis, adeoque eſt ſpeculatiuus.

Sextò. Prudentia, quàmuis dirigat voluntatem in ordine ad virtutes morales, non tamen proindè eſt illarum inſtrumentum. Ergo neque logica reſpectu ſcientiarum, ſed eſt gratia ſui.

Septimò. Logica habet pro fine veritatem formalem. Ergo eſt ſpeculatiua, quià habet pro fine ſpeculationem, & contemplationem obiecti.

Octauò. Nomine praxis non poteſt intelligi aliquid, quod fiat intra intellectum, alioquin omnes ſcientiæ ſpeculatiuæ eſſent practicæ. Cum enim hæ habeãt pro fine ſuos actus, ſi hi ſunt praxis, habent pro fine praxim.

Nonò. Hæ cognitiones *præmiſſæ benè diſpoſitæ neceſſitant intellectum ad inferendam concluſionem: Syllogiſ-*

mus

mus in materia neceſſaria, parit ſcientiam, & aliæ ſimiles ſunt actus logicæ. Sed hæ ſunt cognitiones ſpeculatiuæ. Ergo aliqui actus logicæ ſunt ſpeculatiui.

Decimò. Mathematica repræſentat operationem faciendam vt bonam. Siquidem docet, quomodò vnus angulus fiat alteri æqualis; quomodo ſint conſtruendę figuræ &c. Ergo vel mathematica non eſt ſpeculatiua contrà ſuppoſitum; vel ad ſcientiam ſpeculatiuam non obſtat, quòd repræſentet operationem vt faciendam.

Ad primum nego minorem. Dico enim ſiquæ admiſceantur in logica cognitiones, & demonſtrationes ſpeculatiuæ, eas non eſſe actus logicæ, ſaltèm elicitos, ſed ſpectare, vel ad phyſicam, vel ad metaphyſicam, vel ad aliam ſcientiam ſuperiorem, vt infrà patebit. Quòd autem cum actibus logicæ admiſceantur actus alterius ſcientię, hoc habet illa commune cum ferè omnibus alijs. Nam etiam ipſa mathematica, phyſica, medicina, muſica &c. mutuantur principia à metaphyſica, ſeù ab alijs ſcientijs ſuperioribus, quibus probent ſuas concluſiones. Non poteſt autem vna ſcientia vti principijs alterius, quin ſimul cum illis admittat plures actus talis ſcientiæ. Ergo ex hoc nihil arguitur contrà noſtram concluſionem.

Ad ſecundum nego maiorem quoad vtramque partem. Primò quia ſenſus iuuat intellectum, & tamen ſenſus non poteſt cognoſcere per ſpecies abſtractas, ſicut facit ipſe intellectus. Deindè quià in probabili-

ſententia, accidentia ſunt inſtrumenta ſubſtantiæ, illamque iuuant ad efficiendum; & omnes aliæ artes ſubalternatæ iuuant ſuas principales, & ſubalternantes; non tamen proindè vel accidentia fiunt ſubſtantiæ, vel artes inferiores fiunt habitus principales. Quando ergò dicitur; habitum debere ab alio iuuari in ſuo genere, & inſtrumentum debere reduci ad ſuam cauſam principalem, ſenſus eſt, tàm illum, quàm hanc debere iuuamentum accipere ad ſuum finem. Hoc autem poteſt fieri per alios plures fines particulares illi ſubordinatos.

Ad tertium reſpondeo, nomen Philoſophiæ multipliciter accipi à Philoſopho. Nam 4. metaph. t. 5. & ſeqq. accipitur prò ſola metaphyſica: & 2. met. t. 3. accipitur prò ſola ſcientia ſpeculatiua, & 6. met. t. 1. & 11. met. ſumm. 3. c. 1. accipitur non ſolùm prò omni ſciẽtia ſpeculatiua, ſed etiam prò omni ſcientia practica, qualis eſt ethica &c. Si ergo nomen philoſophiæ accipiatur in alterutro ex primis duobus modis, vtiquè ſub illo non comprehenditur logica. Secùs autem dicendum, ſi in hoc tertio ſenſu accipiatur, vt communiter ſolet accipi. Neque obſtat, quòd toti ſeruiat Philoſophiæ. Nam (vt ait Boetius in præfat. ad Iſagog.) ſicut eadem manus, quæ appellatur ab Ariſt. 3. de an. t. 38. *inſtrumentum inſtrumentorum*, ſicut, inquam, eadem manus poteſt eſſe, & pars hominis, & inſtrumentum hominis; ità, & logica poteſt eſſe, & pars philoſophię, & inſtrumentum philoſophiæ. Præterea ſicut ars fa-

brilis

brilis ferraria eſt inſtrumentum multarum artium, quæ vtuntur malleis; & tamen etiam ipſa vtitur malleis, immo ipſos malleos facit; poteſt etiam logica eſſe inſtrumentum ſcientiarum, & ſimul eſſe inſtrumentum ſui ipſius, & per conſequens eſſe pars illius, cuius eſt inſtrumentum.

Dices. Logica ſeruit toti philoſophiæ. Ergo ſi ipſa ſit pars huius totius,ſeruit ſibi ipſi. Concedo conſequentiam. Sicut enim eadem manus ſeruiendo homini,cuius eſt pars,ſeruit etiam ſibi ipſi, ita & logica ſeruiendo Philoſophiæ,cuius eſt pars,ſibi ipſi ſeruit.

Vrgebis. Ergo logica eſt omnium viliſſima, quia ſeruit omnibus, & ſibi ipſi. Nego conſequentiam. Sicut enim prudentia in moralibus ſeruit omnibus, nec tamen eſt viliſſima, ita & logica, quæ eſt veluti Ianitor, qui quamuis ſeruando domum omnibus ſeruiat, qui ſunt in domo, non proindè eſt omnium ignobiliſſimus. Quod idem dicito de Atrienſi,vt obſeruat Ariſt.1. magnorum moral.c.vltimo. Præterea logica obedit præcipiendo,vt mox videbimus. Quarè eius ſeruitus eſt nobilis.

Ad quartum diſtinguo conſequens. Non poteſt eſſe inſtrumentum ſcientiarum ad faciendum earum obiectum, concedo: ad illud cognoſcendum, nego conſequentiã. In tantùm enim logica dicitur inſeruire ſcientijs, inquantùm verſatur circa cognitiones obiectorum, aliarum omnium ſcientiarum. Non enim dirigit obiecta,ſed cognitiones circa obiecta,videlicèt definitiones,

ſyllogiſmos, &c. Et ideò non ſeruit ſcientijs, vt inſtrumentum vile, & per conſequens non eſt omnium viliſſima.

Ad quintum diſtinguo antecedens. Logica præcipit ſeruiendo, concedo; præcipit præcipiendo, nego antecedens. Sicut enim magiſter cæremoniarum ſeruit Pontifici ad aras operanti ritus, & cæremonias præcipiendo, ità & logica, quæ ſolùm præcipit in bonum ſcientiarum, & non ſui.

Ad ſextum diſtinguo conſequens. Si nomine inſtrumenti intelligatur id, quod iuuat per modum regulæ, & ducis ad aliquid, ſicut facit logica, negò: Si intelligatur aliquid, quod motum tantùm moueat, & iuuet aliud merè ſeruiliter, vt eſt Serra reſpectu fabrilis, concedo conſequentiam. Logica enim non eſt inſtrumentum ſcientiarum in hoc ſecundo ſenſu, ſed in illo primo, in quo etiam prudentia eſt inſtrumentum virtutum moralium, ſeù moralis philoſophiæ.

Ad ſeptimum diſtinguo antecedens. Habet prò fine veritatem formalem actuum à ſe elicitorum, nego: imperatorum, concedo antecedens. Veritas autem actuũ imperatorum eſt praxis, quià eſt aliquid faciendum per ipſam logicam.

Ad octauum nego maiorem. Ad cuius probationem dico, operationes intellectus non eſſe praxim, niſi quatenùs ſunt aliquid factibile ex aliqua cognitione directrice, adeòque eſſe praxim ſolùm vt dirigibiles, ideſt vt procedentes ab imperante libero ad illas ponendas, vel

vel non ponendas, & ad illas malè, vel benè ponendas; quia vt tales ſunt aliquid factibile, & contingens. Sub iſta autem formalitate conſiderantur quidem à logica, non tamen ab aliijs ſcientijs, à quibus conſiderantur ſolùm vt tali modo tendentes in ſuum obiectum, vt ſunt actus vitales, vt habent has, vel illas proprietates, & prędicata eſſentialia, & alia huiuſmodi, ſub quibus formalitatibus ſunt aliquid neceſſarium, & non factibile. Nam neceſſariò operationes intellectus ſunt tales; neceſſariò tendunt tali tendentia in ſuum obiectum; habent has, vel illas proprietates, &c., nec poſſunt vllatenùs uariari.

Dices. Hæ operationes eſſentialiter ſunt praxis, quià eſſentialitèr ſunt aliquid factibile, & contingens. Sed ſcientiæ ſpeculatiuæ uerſantur circà has operationes ut has. Ergo uerſantur circà praxim, adeòque ſunt practicæ. Diſtinguo maiorem. Hæ operationes ſunt praxis materialiter, concedo: formaliter nego maiorem. Ad hoc enim ut ſint praxis formalitèr, debent conſiderari ut aliquid factibile ex ui cognitionis practicæ; adeòque ut dirigibiles. Sub hac autem formalitate à ſola logica conſiderantur. Ergo non habent rationem praxis formaliter, niſi reſpectu logicæ.

Ad nonum reſpondeo; ut ſuprà innuimus, negando maiorem. Quamuis enim logica habeat prò obiecto operationes intellectus ſub una formalitate dirigibilitatis, non ſequitur, ad logicam ſpectare omnes illarum proprietates, & naturam conſiderare. Sicut ex eo quòd ædificatoria habeat, pro obiecto etiam turrim,

non ſequitur, ad illam ſpectare, utrum turris meridie tacta Sole, emittat umbras oblongas, uel ſphæricas. Spectant ergo uel ad animaſticam, cuius munus eſt indagare naturam, & proprietates operationum intellectus; uel ad metaphyſicam, ad quam ſpectat conſiderare ens ut ens; uel ad aliam ſcientiam. Dicuntur tamen aliquo modo operationes logicæ, quia illis utitur logica ad demonſtrandam ueritatem ſuorum præceptorum.

Ad hoc autèm ut meliùs hoc percipiatur, iterùm reuocandum eſt in memoriam, quod toties inculcaui, uidelicèt logicam non uerſari circà operationes, niſi ſub unica formalitate dirigibilitatis, extrà quam nulla operatio ingreditur rationem obiecti logicæ. Sub alijs igitur formalitatibus debent neceſſariò reduci ad obiecta aliarum ſcientiarum ſpeculatiuarum, quæ cùm totę ſint in contemplatione ſui obiecti, nihil curant de hoc, quòd operationes ſint dirigibiles, nec nè, ſed ſolùm curant, ut illæ operationes, in quibus tamquàm in fine conquieſcunt, taliter tendant in obiectum, talesque de illo conſideret proprietates; quæ omnia ſi poſſent habere abſquè ulla logicæ directione, perindè illis eſſet. Et ſic Phyſica tota eſt in hoc, ut omnes, & ſinguli ſui actus aliquid per ſuam cauſam contemplentur corporis naturalis; metaphyſica ut omnes, & ſinguli ſui actus contemplentur ens; mathematica quantitatem; & ſic de alijs. Operatio autem ut cognoſcens rem per ſuam cauſam, & per ordinem ad obiectum neceſſarium, circà quod uerſatur, non eſt contingens, quià neceſſariò eſt uera, & neceſ-

ceſſariò eſt talis. Ergo operatio ut eſt finis ſcientiæ ſpeculatiuæ, non eſt praxis, niſi materialiter, quatenùs uidelicèt phyſicè eſt illa eadem, quæ per ordinem ad præcepta logicæ, à quibus regulatur, eſt praxis. Et perconſequens eadem intellectus operatio ſub conſideratione logicæ, & reſpectu illius eſt praxis; ſub conſideratione uerò, & reſpectu aliarum ſcientiarum eſt ſcientia. Si ergo illæ cognitiones *præmiſſę bene diſpoſitæ &c.* eſſent dirigibiles, ideſt contingentes, utiquè poſſent ſub iſta formalitate à logica conſiderari; ſed quià ſunt omninò neceſſariæ, ideò ſunt extrà omnem logicæ conſiderationem.

Ad decimum dico, mathematicam non eſſe ſpeculatiuam ſecundùm omnes, & ſingulas eius partes. Nàm problemata e. g. ſunt propoſitiones practicæ, quæ inferuntur tamquam corollaria è ſpeculatiuis, quæ propoſitiones ſpeculatiuæ dicuntur theoremata. Dicitur autem mathematica ſpeculatiua, quià pleræque illius cognitiones ſunt ſpeculatiuæ, & denominatio ſumitur à potiori. Ità etiam Theologia eſt ſpeculatiua, & tamen ad illam ſpectant cognitiones de vitijs, & virtutibus, quæ ſunt omninò practicæ.

Dices. Mathematica eſt ſpeculatiua, & tamen habet aliquas cognitiones practicas. Ergo, quamuis logica ſit practica, poteſt habere aliquas cognitiones ſpeculatiuas. Sicut enim illa non eſt adæquatè ſpeculatiua, ità neque logica adæquatè practica. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quià illæ cognitiones aſſi-

gnatæ in mathematica, cùm verſentur circà materiam ipſius, videlicèt circà quantitatem vt menſurabilem, vel figurabilem, non poſſunt ad aliam ſcientiam pertinere, eò quòd habeant idem obiectum formale cum mathematica. At verò illæ cognitiones ſpeculatiuæ, & omnes aliæ aſſignabiles, quæ agitantur in logica, cùm habeant obiecta formalia diſtincta ab obiecto formali logicæ, non poſſunt eſſe actus eliciti ab habitu logicæ. Debent ergò ſpectare ad aliam ſcientiam ab illa diſtinctam.

ARTICVLVS TERTIVS.

Soluitur aliud argumentum petitum ex dirigibilitate operationis intellectiuæ. Vbi multa inſeruntur de imperio voluntatis in ipſos actus intellectiuos.

Obijcies undecimò. Nulla operatio intellectus eſt imperabilis à voluntate. Cùm enim voluntas non poſſit ferri, niſi in id, quod ſibi repræſentatur ab intellectu, non poteſt operari, niſi poſt operationem intellectus. Ergo operatio intellectus eſt prior operatione voluntatis, atque adeò non eſt praxis, quia non eſt aliquid factibile, & imperabile à voluntate. Sed logica non verſatur, niſi circà ope-

Digitized by Google

operationes intellectus. Ergo non verſatur circa praxim.

Nego antecedens: Ad cuius probationem dicò; verùm quidem eſſe, quòd omnis actus voluntatis ſit poſterior ad aliquam intellectus operationem, iuxtà illud *nihil volitum, quin præcognitum*; non tamen eſt verum, quòd omnis operatio intellectus præcedat omnem actum voluntatis. Aliqua ergo operatio intellectus præcedit voluntatem, & alia ſubſequitur. Sicut enim fuit bonum intellectui, cum cognitiones ſunt euidentes, quòd neceſſariò in illas exiret, & nullius alterius potentiæ ſubderetur imperio; eò quòd, cùm euidentia de falsò dari non poſſit, vt ſuprà probauimus; per illas certò quam vnicè quærit, aſſequitur veritatem; Ità fuit illi bonum, cum cognitiones ſunt obſcuræ, & poſſunt æquè benè coniungi cum falſitate, uel cum ueritate; quòd neceſſitatem non haberet ad illas infallibiliter eliciendas; alioquin eſſet neceſſitatus ad amplexandum falſum ſub illis latitans, quod eſt unicum & ſummum illius malum.

Debuerunt ergo huiuſmodi cognitiones alterius potentiæ imperio gubernari. Sed quia nulla eſt alia potentia uniuerſalis in creatura rationali, præter intellectũ, quàm uoluntas; debuerunt ſubdi imperio ipſius; ad hoc ut illa ſeligat ueras ut amplexandas, & falſas ut reijciendas. Quare omnis cognitio obſcura ſubditur imperio uoluntatis. Alioquin fides diuina, quæ eſt merus aſſenſus intellectus, non eſſet meritoria, quià non eſſet

eſſet libera, neque potuiſſet cadere ſub præceptum, ſi non eſſet ſubdita imperio uoluntatis, quod utrumque eſt falſum. Neque obſtat, quòd uoluntas non iudicet, niſi de bono; Nam ipſum uerum eſt bonum intellectus, & ut tale cognoſcitur prius à uoluntate, & deindè imperatur eliciendum ipſi intellectui. Cùm ergò omnis huiuſmodi operatio pendeat ab imperio uoluntatis, & hæc poſſit per logicam dirigi ad imperandum, ſaltem mediatè, omnis huiuſmodi operatio ut imperabilis, & factibilis eſt praxis.

Dices. Ad hoc ut uoluntas imperet cognitionem, ſeù apprehenſionem ſimplicem de obiecto A. e. g., debet illi repræſentari ab intellectu ut bona hæc cognitio. Ergo debuit illa priùs ab intellectu cognoſci. Sed ſi fuit priùs cognita, fuit elicita, quià elici cognitionem ſimplicem de obiecto A. nihil eſt aliud, quàm cognoſci ipſum obiectum A. Hæc igitur operatio non poteſt imperari à uoluntate, quià fruſtrà imperatur ut fiat, quod antecedenter eſt factum.

Reſpondeo cum diſtinctione primi conſequentis. Debuit priùs confusè cognoſci, concedo; clarè, & diſtinctè, nego conſequentiam. Prò quo nota, quòd priuſquã intellectus eliciat aliquam cognitionem obſcuram, illã præcognoſcit ſub aliquo conceptu confuſo, & obſcuro, ſub qua confuſione illam deindè repræſentat uoluntati, ut uidelicèt, cognità eius bonitate, uel malitia, illam imperet eliciendam, uel reſpuendam, ſicut faciunt egregius pictor, uel architectus, qui Principi petenti pictu-

ram,

ram, vel domum, multos illi ſtatim proponunt rudit er informatos colore, uel carbone modulos, & archetyp os ut ex illa prima operis faciundi informatione, illius cõcinnitatem, excellentiamque conijciat, ex cuius coniectura determinetur ad aliquã ex illis domibus, uel picturis taliter eligendam, & imperandam. Sicut ergo ruditer, & confuſè informare imaginem Cæſaris e. g. non eſt pingere, & coloribus exprimere ipſum Cęſarem; ità ruditer, & confuſè attingere, & quodammodo informare cognitionem de obiecto A, uoluntati proponendam, non eſt talem cognitionem formaliter elicere, ſed illam potius primoribus, ut ità dicam, labris delibare.

Vrgebis. Ergò prius datur in intellectu cognitio reflexa, quàm directa. Conſequens eſt abſurdum, quià reflexa ſupponit directam. Ergo falſa ſunt, quæ diximus de reflexione cognitionum eliciendarum. Diſtinguo primum conſequens. Prius datur cognitio reflexa euidens, quàm cognitio directa euidens, nego: prius datur cognitio reflexa euidens, quàm cognitio directa obſcura, tranſeat conſequentia. Cùm enim omnis cognitio obſcura ſubdatur imperio uoluntatis, priuſquàm formaliter eliciatur, debet obiectiuè attingi ab intellectu, ad hoc ut eius bonitas, uel malitia proponatur uoluntati imperanti. Et ſic uidemus, in multis ſyllogiſmis, in quibus non apparet euidenter bonitas illationis, intellectum (ut ait Zabarella) ad illam eliciendam negotiari, ſeù laborare. Hæc autem negotiatio, ſeù laboratio cõ-

ſiſtit

ſiſtit in hoc, quòd multis quodammodò delibatis concluſionibus, quæ poſſent ex illis præmiſſis vtcumque deduci, ſingulas illas proponit uoluntati, ut uidelicèt eligat ex illis, quamnam placeat ex illis elici.

Dices demùm. Ergò poteſt dari cognitio euidens reflexa circa cognitionem directam obſcuram. Concedo conſequentiam. Cùm enim euidentia cognitionis reflexæ conſiſtat formaliter in hoc, quòd clarè attingat entitatem, & quidditatem cognitionis directæ, circà quam tendit, ſi hæc ſit obſcura, euidenter, & clarè attinget eius obſcuritatem, ſicut ſi hęc ſit clara, euidenter attinget eius claritatem. Neque eſt nouum, quòd claritas habeat pro obiecto obſcuritatem. Nàm certè uiſio clara terminatur etiam ad umbras, & cognitio abſtractiua, quamuis ſit in ſe formaliter obſcura, cognoſcitur tamen clarè ut talis, & ut faciens vniuerſale per cognitionem reflexam uerſantem circà ipſum uniuerſale, ut tale formaliter, & reduplicatiuè. Quod idem dico de fide diuina, quę quamuis in ſe formaliter obſcura, poteſt tamen clarè cognoſci, & diſtingui ab omni alia cognitione.

ARTICVLVS QVARTVS.

Soluitur vltimum argumentum petitum ex reflexione logicæ ſupra operationes intellectus. Vbi probatur, omnes actus tàm volitiuos, quàm intellectiuos reflectere ſupra ſe.

Obijcies duodecimò. Logica non conſiderat operationes intellectus vt factibiles à cognoſcente per ipſammet logicæ cognitionem, quam habet. Ergo non eſt practica, ſed ſpeculatiua. Sicut enim phyſica, quamuis conſideret motum progreſſiuum, qui eſt aliquid factibile, tamen eſt ſcientia ſpeculatiua, quià illum non conſiderat vt factibilem per ſuam cognitionem, ſed præſcindit à tali factibilitate, ità & logica.

Primò nego maiorem. Cùm enim omnis actus tàm intellectus, quàm voluntatis, ſaltèm virtualiter, reflectant ſuprà ſe, nullum eſt abſurdum, quòd etiam logica conſideret operationes intellectus vt factibiles à cognoſcente per ipſaſmet operationes; atque adeò ex hinc probari non poteſt, quòd non ſit practica. Quòd

autèm

autèm tàm actus intellectus, quàm voluntatis reflectāt ſupra ſe, ſaltèm virtualiter, probatur nunc ſufficienter duplici medio.

Primum eſt, quià vel actus intellectus ſunt clari, vel obſcuri? Si primùm, cùm hi debeant tendere in ſuum obiectum cum maxima firmitudine; & abſque vllá formidine, debent cognoſcere, ſaltèm virtualiter, ſe tendere in illud, iuxtà exigentiam illius, & prout illud hìc & nunc attingibile eſt; adeòque ſe non falli. Sed hoc non poteſt fieri abſque uirtuali ſaltem reflexione ſupra ſe. Quomodò enim poſſent actus cognoſcere debitam tendentiam, quam habent in obiectum, niſi comparent ſe cum obiecto? Ergo cognoſcunt ſe cum obiecto, atque adeò ſunt ſui reflexiui. Si verò ſint obſcuri, cùm hi fiant ſolùm ad imperium voluntatis, & hæc non feratur ad obiectum incognitum, priùſquàm fiant, debent præcognoſci. Sed præcognitio non ſufficit, nam uoluntas non imperat, niſi etiam actu cognoſcat ſui bonitatem imperij. Ergo debet ſimul cognoſcere eorum actuum bonitatem, ut obiectum talis imperij, dum illos imperat. Hanc autèm cognoſcere non poteſt per alios actus ab illis diſtinctos, quià de illis rediret argumentum, adeòque daretur proceſſus in infinitum. Ergo debent ipſi actus, qui eliciuntur, ſui exprimere bonitatem, quòd facere non poſſunt, niſi ſimul illam cognoſcant, atque adeò reflectant ſuprà ſe.

Probatur ſecundò, quià ſinguli huiuſmodi actus relinquunt in potentijs memoriam ſui. Poſtquàm enim

illos

illos fecimus, nos illos elicuiſſe recordamur. Sed eſt impoſſibile, quòd recordemur eius, quòd ante à nobis non fuit cognitum. Ergo dum talium actuum recordamur, hæc memoria ſupponit aliam cognitionem antecedentem, quà priùs illos cognouerimus. Non aliam diſtinctam phyſicè ab ipſis actibus. Ergo cognitionem cum illis phyſicè identificatam; per quam uidelicèt actus ſe cognouerint. Sed actus identificatus cum cognitione ſe cognoſcente reflectit ſupra ſe: Ergo cùm hoc de omni actu intellectus uerificetur, omnis actus intellectus erit, ſaltèm uirtualiter, reflexiuus ſui: Dixi, *ſaltèm virtualiter*, quià reflexio propriè, & formaliter datur ſolùm inter actus phyſicè diſtinctos, quorum unus cognoſcat, & alter cognoſcatur.

Dices. Poſſumus recordari actuum intellectus, quos elicuimus; etiamſi nulla præceſſerit alia cognitio ad ipſam cognitionem memoratiuam; per quam tales actus antecedenter cognouerimus. Ex memoria ergò actuum intellectus non arguitur, quòd illi reflectant ſupra ſe.

Nego antecedens. Ratio à priori eſt; quià *recordari eſt iterùm*, ſeù *bis cognoſcere*. Si enim aliquid primò cognoſcamus, non dicimur illius recordari. Et ideò memoria aſſimilatur penuario, quià ſicut in penu aſſeruantur cibi, ità & in memoria actus intellectiui. Sed quià eſt impoſſibile, quòd ſeruentur ijdem actus, qui ſunt eſſentialiter fluentes, & ſucceſſiui, ideò conſeruantur ſolùm in ſui ſpecie vel impreſſa, vel expreſſa.

Sed hæc ſpecies expreſſa eſt memoratiua, & non purè cognoſcitiua. Ergo debet tendere in aliquid anteà cognitum. Et hæc eſt ratio, quarè nemo recordatur, ſe dormiſſe ex memoria actus ipſius dormitionis, quià nemo dormiens cognoſcit, ſe dormire, ſed ſolùm id colligit deindè ex conjecturis deductis ex temporibus antecedenti, & ſequenti ad ipſum actum dormitionis, & ab alijs circumſtantijs illum concomitantibus. Et ſic Petrus cognoſcit quaſi negatiuè, ſeu arguitiuè, ſe dormiſſe, quia videlicèt hoc tempore nihil aliud fecerit, fuerit diſpoſitus ad dormiendum, ſentiat cibum victum in ſtomacho, naturam expletam &c. ex quibus elicit. *Ergò dormiui.*

Id quod dixi de actibus intellectus, dico etiam proportionaliter de actibus voluntatis. Nam ego recordor, me aliquid voluiſſe. Ergo reflexè cognoſco meã volitionem antecedentem, vt antea cognitam; non per aliam volitionem, ſeù cognitionem. Ergo per ſe ipſam formaliter. Et ideo omnis volitio eſt etiam cognitio, quia eſt identificata cum aliqua cognitione, ad minimùm cum cognitione ſui. Ex quo obiter infer, omne volitiuum eſſe quoque cognoſcitiuum, & viceuerſa. Præterea volitio eſt id, quo volito, aliud volumus. Ergo etiam ipſa eſt volita, non per aliam volitionem, alioquin daretur proceſſus in infinitum. Ergo per ſe ipſam.

Dices. Etiam recordor, me vidiſſe parietem, & tamen non recordor viſionis anteà cognitæ, alioquin

etiam

etiam viſio reflecteret ſupra ſe, quod idem dico de auditione, tactu, cæteriſque ſenſationibus. Conſequens vt falſum exploditur ab omnibus. Ergo falſum eſt antecedens, undè deducitur.

Nego antecedens. Nàm ſi nunquàm cognouiſſem meam uiſionem per actum aliquem intellectiuum phyſicè ab illa diſtinctum, illius utique recordari non poſſem, ſicut faciunt bruta, quæ ideò ſuorum actuum non recordantur, quia illos primùm numquam cognouere. Et hæc eſt ratio, quarè bruta nullam ex cantu percipiant uoluptatem, quia tota uoluptas cantus, uel ſoni habetur ex comparatione vocum exiſtentium prò diuerſis eiuſdem temporis partibus, quarum ſingulæ, cognoſcantur, vel per ſingulas cognitiones, uel per vnã pluribus æquiualentem, quibus grauitas vnius cogatur in vnum cum acumine alterius, & cum medio aliarum tenore, vt ex pluribus tandem vniformiter difformibus inter ſeſe vnus fiat omnium concentus, ſeù harmonia. Quarum cognitionum cùm ſint expertia bruta, neque poſſunt ex illo ſono materiali vllam percipere voluptatem, eò quòd vnius antecedentis recordari non poſſint, dum percipiunt conſequentem, ex defectu vtriuſque cognitionis.

Quòd autèm omnis illa viſio, cuius datur memoria, fuerit antecedenter præcognita, ſic probo, quia cùm ſenſus manuducant intellectum, fieri non poteſt, ut eorum aliquis aliqualem eliciat ſenſationem, quin hęc primò per ſenſum communem, deindè per phantaſiam

determinet tandèm intellectum agentem ad ſpeciem impreſſam; & poſſibilem ad expreſſam illius. Quarè non ſolùm ſi ego recorder viſionis anteactæ, illius recordor vt cognitæ, ſed neceſſariò omnis viſio debet cognoſci. Quòd idem dico de alijs ſenſationibus, dummodò hæ non fiant abſque vlla aduertentia, ſicut faciunt ebrij, ſtulti, vel ſemidormientes, quorum ſenſationum, quià nullam habuerunt cognitionem; nec poſſunt deindè recordari.

Vndè elicio aliam rationem ad confirmandum meũ argumentum, prò reflexione huiuſmodi actuum. Nam ſi ego videam abſquè aduertentia rationis; huiuſmodi viſionis recordari non poſſum. Nonniſi quià antecedenter non fuit cognita. Ergo omnis illa viſio, cuius recordamur, fuit antecedenter cognita; & per conſequens per ipſam memoriam, ſeù recordationem illam eadem reflexè, ideſt bis cognoſcitur, quòd idem dico de actibus intellectus, & voluntatis. Atque hæc in præſentia dicta ſufficiant prò hac doctrina totiès ſuppoſita, & alibi etiàm fuſiùs confirmanda. Cœterùm quià præſcindendo ab hac doctrina, adhùc puto poſſe ſolui difficultatem propoſitam. Ideò ad argumentum ſuprà factum de reflexione logicæ ſupra operationes intellectus.

Reſpondeo ſecundò negando conſequentiam. Dico enim ad cognitionem practicam non requiri, quòd cognoſcat reflexè ſuum obiectum vt factibile per ſe, alioquin cognitio practica eſſet inexplicabilis. Deberet enim

nim hoc modo explicari e. g. *Calceus eſt factibilis à me, per cognitionem, qua cognoſco, calceum eſſe factibilem à me, per cognitionem, qua cognoſco*, & ſic in infinitum, quidquid in contrarium conetur afferre P. Sfortia Pallauicinus, vt occurrat huic circulo vitioſo. Ait enim per hoc, quòd cognitio practica reflectat ſupra ſuum obiectum, vt à ſe factibile; non proindè ſequi, illam eſſe inexplicabilem. Nam hoc putat, eſſe commune omnibus relatiuis, *Pater enim eſt Pater filii patris, &c.* Sicut ergò hæc relatio explicatur hoc modo. *Pater eſt pater filii ſui*, ità vt per *ly ſui* non cognoſcatur iterùm filius quatenùs refertur ad patrem, ſed quatenùs eſt aliquid abſolutum; ità cognitio practica taliter explicatur. *Calceus eſt factibilis à me per hanc cognitionem, quam habeo de calceo*; cognoſcendo calceum vt aliquid abſolutum, & non iterùm ut factibile, ſeu relatiuum.

Sed contrà eſt, quià hæc cognitio, quàm vltimo loco habeo de calceo, eſt practica. Ergo ſemper debet attingere calceum ut factibilem, adeòque ut relatum ad ipſam cognitionem, per quam eſt factibilis, & non ut aliquod abſolutum. Ergo quandò dico *per hanc cognitionem, quam habeo de calceo*, per ly *calceo* non poteſt venire aliquod abſolutum, ſed relatiuum ad ipſam cognitionem practicam, per quam eſt factibilis.

Hac ergò relicta reſponſione, dico, ſatis eſſe ad eſſentiam cognitionis practicæ, quòd illa directè cognoſcat obiectum factibile. Quod obiectum ſit quidem factibile à cognoſcente per ipſam cognitionem, non ta-

men eſt neceſſe, quòd cognoſcatur ab illa vt factibile à ſe, vel per ſe; formaliter, & reflexè in abſtracto, ſed ſatis eſt, ſi cognoſcatur ab illa vt factibile à cognoſcente, præſcindendo ab hoc, quòd fiat ab illo per ſe, vel per aliam cognitionem.

Dices. Ad hoc vt cognitio practica repræſentet calceum vt factibilem, debet cognoſcere omnia neceſſaria ad factionem calcei. Sed inter hæc eſt ipſa cognitio. Ergo debet cognoſcere ſe ipſam, quià debet cognoſcere, ſe eſſe talem cognitionem, per quam ille formaliter eſt factibilis. Nam ſi non intelligatur hæc reflexio huius cognitionis ſuprà ſe, non intelligitur, illam eſſe practicam, quià non intelligitur, obiectum eſſe factibile per illam.

Diſtinguo maiorem. Debet cognoſcere omnia hæc neceſſaria directè, & in confusò, concedo: debet illa cognoſcere etiàm reflexè, & clarè, nego maiorem; alioquin deberet clarè cognoſcere, ſe eſſe practicam, & per conſequens ſe ipſam comprehendere, quod eſt falſiſſimum. Illud ergò, quod clarè cognoſcitur ab huiuſmodi cognitione, eſt opus per illam factibile, cum relatione ad cognoſcentem, & cum formali præciſione ad ſe ipſam explicitè cognitam, vt mox patebit.

Neque obſtat, quòd cognoſcens vt tale illam inuoluat formaliter. Nam etiam ſutor ut ſutor inuoluit formaliter ſubulam, & malleum, & tamen hæc non cognoſcuntur clarè per huiuſmodi cognitionem practicam de faciendo calceo. Ratio à priori eſt (& erit ſolutio

pro-

probationis conſequentiæ) quià cognitio practica diſtinguitur formaliter per hoc à ſpeculatiua, quòd hæc non ordinetur ad aliud extrà ſe, ſicut illa, vt dictum eſt ſupra in art. 15. diſputationis quartæ. Solùm ergo (ut nuper dixi) clarè debet cognoſci à cognitione practica illud opus extrinſecū, quod per illam eſt factibile, & dicitur praxis, per cuius terminationem eſſentialiter conſtituitur in eſſe practicam, quod extrinſecum in caſu noſtro eſt calceus. Hoc autem extrinſecum benè cognoſcitur vt praxis à Petro e. g., ſi cognoſcatur vt aliquid à ſe factibile, etiam ſi non cognoſcatur vt factibile per cognitionem A., de qua loquimur. Siuè enim fieret per cognitionem A., ſiue per B., ſemper à Petro fieret. Quarè cùm cognitio practica ſit principium agēdi in genere cauſæ efficiētis, eò quòd determinet volūtatem, quę eſt cauſa efficiēs operis artificiati, requiritur quidem, non tamen debet clarè in ſe ipſa formaliter inuolui ut in cognitione practica ipſius operis, ſed ſufficit, ſi obſcurè tantùm, & in cōfuſo cognoſcatur à ſe, per modum tendendi directum, & non reflexum. Quod ſi concedatur, ex vna parte non eſt neceſſe confugere ad reflexionē clarā cognitionis practicæ ut practicæ ſuprà ſe, & ex alia vitatur, ſeù ſoluitur circulus ille cæteroquì inexplicabilis nuper relatus. Nā poſſet ita explicari cognitio ſupradicta. *Calceus eſt factibilis à me per cognitionē A; qua cognoſco, calceū eſſe à me factibilē,* ſiſtendo in ly *à me* ſecūdo loco poſito, quatenùs denotat cognoſcētem, abſq; eo quòd iterū redeat ad ipſam cognitionē practi-

cam ſolùm in confuſo, & implicitè importatam. Quæ doctrina poteſt etiam applicari omnibus alijs relatiuis. Nam ad explicandum Petrum v. g. patrem Pauli, non eſt neceſſe dicere *Petrus eſt pater Pauli filij Petri patris*, &c. Sed ſatis eſt dicere *Petrus eſt pater Pauli ſui filij*, ſiſtendo in ly *filij*, non tanquam in aliquo abſoluto, vt aſſerit Pallauicinus, ſed tanquam in vltimo termino talis relationis, ſeu generationis, per quam Petrus conſtituitur formaliter in eſſe *patrem Pauli*, & Paulus *in eſſe filium Petri*, cætera ſolùm in confuſo, & implicitè cognoſcendo.

Æquiuocatio autem conſiſtit in hoc, quòd cùm omnis relatio prædicamentalis ſit mutua, vt infrà probabimus ſuo loco, Paulus filius Petri duplicem dicit reſpectum ad Petrum patrem, alterum, quo illum reſpicit vt terminum generationis, & alterum, quo illum reſpicit vt fundamentum. Si enim generatio conſideretur vt actio quædam emanans è Petro in Paulum, Petrus venit in recto, & habet rationẽ fundamenti, & Paulus in obliquo, & habet rationẽ termini. Si verò conſideretur vt paſſio recepta in Paulo à Petro, tunc Paulus venit in recto, & habet rationem fundamenti, & Petrus in obliquo, & habet rationem termini. Sicut enim prima explicatur *actio, per quam Petrus producit Paulum* & ex actione actiua dicitur generatio; ita & ſecunda explicatur *actio, per quam Paulus fit à Petro*, & ex factione paſſiua dicitur *paſſio*. Quando ergo concipitur clarè Petrus vt fundamentum primæ relationis, verùm

qui-

quidem eſt, quòd clarè concipiatur Paulus vt illius terminus,qui ſimul eſt fundamentum ſecundę, non tamen Paulus conſideratur explicitè, & clarè etiam ſub iſta ſecunda formalitate, ideſt ut fundamentum ſecundæ r[illegible]onis, ſeù paſſionis, ſed ſolùm implicitè, & in c[illegible]nfuſo, quatenus uidelicèt omnis actio, uel ſit formaliter paſſio, uel connectatur cum illa eſſentialiter, atque adeò non poſſit aliquid eſſe terminus actionis, quin etiàm fundet paſſionem ab illo. Quarè optimè poteſt explicari tota prima relatio, concipiendo clarè Paulum ſub ſola illa prima formalitate termini generationis à Petro, præſcindendo à ſecunda formalitate,per quam iterùm cognoſcatur ut relatiuus ad Petrum, per modum fundamenti alterius relationis.

Digitized by Google

DISPVTATIO QVINTA.

De Virtutibus intellectus, ſeù philoſophicis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid ſit Virtus Intellectualis, ſeù Philoſophica, & quotuplex?

VIrtus in genere prout comprehendit morales, & intellectuales communiter definitur cum Ariſt. 7. phyſ. t. 17. *diſpoſitio perfecti ad optimum*, eò quòd omnis virtus diſponat potentiam operatiuam ad operationem perfectam, quæ eſt optimum illius. D. Tho. ex D. Aug. 1. 2. q. 55. ar. 4. aliter uirtutem definit, uidelicèt, *Virtus eſt bona qualitas mentis, quæ bonum facit habentem, & opus eius reddit bonum*: Hæc autem definitio coincidit cum alia uulgata ex 2. ethic. c. 6. *Virtus eſt, quæ bonum facit habentem ſe, & opus eius bonum reddit*. Sed quia hoc bonum non ſemper eſt idem, ideò non eſt una ſola uirtus. Nam ſi bonum ſit intentionale, facit uirtutem intellectus; ſi morale, & phyſicum, facit uirtu-

tem

Digitized by Google

tem uoluntatis. Inter uirtutes autem morales, & intellectuales datur hoc diſcrimen, quòd illæ faciunt hominem ſimpliciter bonum, hæ uerò ſolum ſecundùm quid.

Virtutes voluntatis aliæ ſunt Theologicæ, vt Fides, Spes, & Charitas: & aliæ morales, & ſunt illæ, quæ conſiſtunt in medio interer exceſſum, & defectum, ut Fortitudo, quæ eſt media inter timorem & audaciam; Liberalitas, quæ eſt media inter auaritiam, & prodigentiam; Temperantia inter inediam, & crapulam, ſeù ebrietatem &c. de quibus agemus fuſè, & prò dignitate in ethicis. Hoc poſito, quià nunc agimus de Scientia, quæ eſt opus intellectiuum, & non volitiuum, ideò omiſſis omnibus virtutibus volitiuis, agemus tantùm de intellectiuis, ſeù intentionalibus.

Prima concluſio. *Virtus intellectiua bene definitur eſſe id, quo anima certò dicit verum, affirmando, ſeù negando.* Eſt Ariſt. 6. eth. c. 3. Probatur, quia cùm virtus debeat diſponere ad optimum, & optimum intellectus ſit veritas, omnis virtus intellectiua debet ad illam diſponere. Id autem, quo anima non certò, ſed fortuitò dicit uerũ, non diſponit ad uerum, quià aliquandò diſponit ad falſum. Ergo non eſt uirtus. Sed quia ſola ueritas formalis eſt optimum intellectus, ad hoc ut uirtus benè definiatur ut eſt formalitèr intellectiua; debet ueritas reſtringi ad ſolam formalem; & ideò adduntur illæ particulæ *affirmando, vel negando.*

Secunda concluſio. *Omnis virtus intentionalis, vel eſt*

Sapien-

Sapientia, vel Scientia, vel Intellectus, vel Prudentia, vel Ars; adeòque virtutes intentionales neque ſunt plures, neque pauciores, quàm hę quinque. Eſt Ariſtotelis in loco citato. Probatur primò, quia virtus intentionalis uel eſt cognitio ſpeculatiua, & reducitur ad unam ex primis tribus; uel eſt practica, & reducitur ad unam ex poſtremis duabus. Ergo hæc membra diuidentia adæquant totum diuiſum, adeòque eſt bona diuiſio. Sed hæc membra ſunt ſolum quinquè. Ergo totidem ſunt uirtutes.

Probatur prima pars antecedentis. Nàm uel obiectum ſpeculatiuæ erit aliquod excellentiſſimum, & pręſtantiſſimum, & erit Sapientia; uel erit quodlibet aliud obiectum neceſſarium, & erit Scientia; uel erit habitus inclinans intellectum ad aſſenſum præſtandum principijs per ſe notiſſimis, & erit Intellectus. Probatur ſecunda pars, quià cognitio practica uel eſt circa ea, quæ ſunt bona, ſeu mala homini moraliter, ideſt honeſtè, uel inhoneſtè, & erit Prudentia; uel circà ea, quæ ſunt bona phyſicè, & erit Ars. Vt autèm hoc meliùs intelligatur, ſingularum ſeorſim definitiones afferam deſumptas ex Ariſtotele in loco citato.

Sapientia igitur eſt *cognitio plena, & perfecta rerum præſtantiſſimarum per ſummas, & altiſſimas cauſas*, út eſt cognitio Dei, & Angelorum. Scientia eſt *cognitio certa, & euidens rei neceſſariæ per ſuam cauſam*, de qua fusè egimus hucuſquè. Intellectus (cuius nomine non intelligitur ipſa potentia intellectiua, ſed habitus principio-

rum

tum) eſt *habitus inclinans intellectum ad aſſenſum præſtandum principiis per ſe notiſſimis, & ipſius naturæ lumine euidentiſſimis*, qualia ſunt *omne totum eſt maius ſua parte*; & alia huiuſmodi. Prudentia eſt *habitus cum recta ratione actiuus, circa ea, quæ bona, vel mala ſunt homini*, ideſt habitus regulatiuus operationum, quæ eliciuntur, vel imperantur à voluntate in ordine ad bonum aliquod honeſtum obtinendum, vel malum inhoneſtum fugiendum. Ars eſt *habitus cum recta ratione factiuus*, ideſt habitus regulatiuus operationum, quæ fiunt, vel imperantur à voluntate in ordine ad obtinendum aliquod bonum phyſicum, ideſt aliquam perfectionem, vel naturalem, vt eſt ſanitas, pulchritudo, &c. vel artificialem, vt eſt philoſophia, poeſis, muſica &c.

Probatur ſecundò concluſio, quià omnes hi habitus diſponunt ad veritatem formalem, quæ eſt optimum intellectus, vt patet ex eorum actibus. Ergo ſunt virtutes intentionales.

Dices primò. Prudentia eſt virtus moralis, quià eſt regina omnium virtutum. Ergo non eſt virtus intellectiua, cùm ſpectet ad voluntatem. Diſtinguo antecedens. Eſt virtus moralis demonatiuè, & efficienter, concedo: formaliter, nego antecedens; & cum illo conſequentiam. Nàm vel loquimur de Prudentia, quatenùs eſt actus virtutis, vel quatenùs eſt ipſe habitus, ſeù principium habituale, vndè ille actus emanat? Si primum, hic actus nihil eſt aliud, quàm dictamen, ſeù iudicium practicum vltimò determinans voluntatem

ad

ad proſecutionem, ſeu fugam talis obiecti, quod iudicium reflectat ſuprà omnes cognitiones exiſtentes in eodem intellectu prò illo inſtanti; ita ut, omnibus penſatis, hoc iudicet præponendum, ſeu poſtponendum tamquam optimum, vel deterrimum in his circumſtantijs. Si uerò ſermo ſit de uirtute habituali, hic certè habitus ab alio effici non poterit, quàm à pluribus iudicijs practicis frequentatis, adeòque erit eiuſdem rationis, & in eodem genere cum illis. Sed illa iudicia ſunt actus intellectiui. Ergo etiam habitus erit intellectiuus. Dicitur autem moralis, quia eſt principium operationum, & uirtutum moralium. Hoc uerò non tollit, quòd ſit intellectiuus, immo cùm uoluntas non determinetur, quàm ab actibus intellectus, per hoc quòd prudentia ultimò determinet uoluntatem ad operandum, potiùs arguitur uirtus intellectiua, quàm uolitiua.

Dices ſecundò. Scientia ſupponit Intellectum, & Sapientia ſupponit Scientiam, & Intellectum, eò quòd Sapientia definatur à Philoſopho 6. eth. c. 7. *Intellectus, Scientiarumque omnium perfecta complexio*. Ergo non ſunt quinque uirtutes intellectuales, ſed ſolùm tres, uel ad ſummum quattuor. Nego conſequentiam. Per hoc enim quòd vnus habitus ſupponat alium, uel illum includat, non ſolùm non tollitur, quò minùs diſtinguatur ab alijs, ſed ex hoc ipſo ab alijs diſtinguitur, cùm nemo ſupponat, uel includat ſe ipſum, ſed aliud à ſe diſtinctum.

Vrge-

Vrgebis. Præter hos habitus dantur etiam plures alij, qui appellantur ab Ariſtotele ibi facultates, uidelicèt opinio, quæ eſt *cognitio incerta, & incuidens per medium probabile*: ſuſpicio, quę eſt *cognitio incertior, & obſcurior opinione*: fides, quæ eſt *cognitio obſcura habita per medium extrinſecum teſtimonii loquentis*: & alij ſimiles. Ergo Virtutes intellectus ſunt plures, quàm quinquè. Nego conſequentiam. Dico enim cunctos hos habitus ſub nomine facultatum inibi ab Ariſtotele reduci ad artem, adeòque non eſſe habitus prę-ter quinque aſſignatos.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Logica ſit virtus intellectualis, & quæ?

PRima concluſio. *Logicą eſt virtus intellectus*. Probatur, quià eſt diſpoſitio perfecti ad optimum. Cùm enim inſeruiat ſcientijs, & hæ habeant prò fine ueritatem, diſponendo ad ſcientias, diſponit ad ueritatem, quæ eſt optimum intellectus. Ergo eſt uirtus.

Secunda concluſio. *Logica eſt ars*. Probatur, quià cùm ſit practica, non poteſt eſſe ullus ex primis tribus habitibus, uidelicèt Sapientia, Scientia, & Intellectus, qui ſunt ſpeculatiui. Ergo debet eſſe, vel Prudentia, vel

Ars.

determinet tandèm intellectum agentem ad ſpeciem impreſſam; & poſſibilem ad expreſſam illius. Quarè non ſolùm ſi ego recorder viſionis anteactæ, illius recordor vt cognitæ, ſed neceſſariò omnis viſio debet cognoſci. Quòd idem dico de alijs ſenſationibus, dummodò hæ non fiant abſque vlla aduertentia, ſicut faciunt ebrij, ſtulti, vel ſemidormientes, quorum ſenſationum, quia nullam habuerunt cognitionem, nec poſſunt deindè recordari.

Vndè elicio aliam rationem ad confirmandum meũ argumentum, prò reflexione huiuſmodi actuum. Nam ſi ego videam abſquè aduertentia rationis, huiuſmodi viſionis recordari non poſſum: Nonniſi quià antecedenter non fuit cognita: Ergo omnis illa viſio, cuius recordamur, fuit antecedenter cognita; & per conſequens per ipſam memoriam, ſeù recordationem illam eadem reflexè, ideſt bis cognoſcitur, quòd idem dico de actibus intellectus, & voluntatis: Atque hæc in præſentia dicta ſufficiant prò hac doctrina totiès ſuppoſita, & alibi etiàm fuſius confirmanda. Cœterùm quià præſcindendo ab hac doctrina, adhùc puto poſſe ſolui difficultatem propoſitam: Ideò ad argumentum ſuprà factum de reflexione logicæ ſupra operationes intellectus.

Reſpondeo ſecundò negando conſequentiam: Dico enim ad cognitionem practicam non requiri, quòd cognoſcat reflexè ſuum obiectum vt factibile per ſe, alioquin cognitio practica eſſet inexplicabilis. Deberet enim

nim hoc modo explicari e. g. *Calceus eſt factibilis à me per cognitionem, qua cognoſco, calceum eſſe factibilem à me, per cognitionem, qua cognoſco*, & ſic in infinitum, quidquid in contrarium conetur afferre P. Sfortia Pallauicinus, vt occurrat huic circulo vitioſo. Ait enim per hoc, quòd cognitio practica reflectat ſupra ſuum obiectum, vt à ſe factibile; non proindè ſequi, illam eſſe inexplicabilem. Nam hoc putat, eſſe commune omnibus relatiuis, *Pater enim eſt Pater filii patris, &c.* Sicut ergò hæc relatio explicatur hoc modo. *Pater eſt pater filii ſui*, ità vt per *ly ſui* non cognoſcatur iterùm filius quatenùs refertur ad patrem, ſed quatenùs eſt aliquid abſolutum; ità cognitio practica taliter explicatur. *Calceus eſt factibilis à me per hanc cognitionem, quam habeo de calceo*, cognoſcendo calceum vt aliquid abſolutum, & non iterùm ut factibile, ſeu relatiuum.

Sed contrà eſt, quià hæc cognitio, quam vltimo loco habeo de calceo, eſt practica. Ergo ſemper debet attingere calceum ut factibilem, adeòque ut relatum ad ipſam cognitionem, per quam eſt factibilis, & non ut aliquod abſolutum. Ergo quandò dico *per hanc cognitionem, quam habeo de calceo*, per ly *calceo* non poteſt venire aliquod abſolutum, ſed relatiuum ad ipſam cognitionem practicam, per quam eſt factibilis.

Hac ergò relicta reſponſione, dico, ſatis eſſe ad eſſentiam cognitionis practicæ, quòd illa directè cognoſcat obiectum factibile. Quod obiectum ſit quidem factibile à cognoſcente per ipſam cognitionem, non ta-

R 2 men

men eſt neceſſe, quòd cognoſcatur ab illa vt factibile à ſe, vel per ſe; formaliter, & reflexè in abſtracto, ſed ſatis eſt, ſi cognoſcatur ab illa vt factibile à cognoſcente, præſcindendo ab hoc, quòd fiat ab illo per ſe, vel per aliam cognitionem.

Dices. Ad hoc vt cognitio practica repræſentet calceum vt factibilem, debet cognoſcere omnia neceſſaria ad factionem calcei. Sed inter hæc eſt ipſa cognitio. Ergo debet cognoſcere ſe ipſam, quia debet cognoſcere, ſe eſſe talem cognitionem, per quam ille formaliter eſt factibilis. Nam ſi non intelligatur hæc reflexio huius cognitionis ſuprà ſe, non intelligitur, illam eſſe practicam, quia non intelligitur, obiectum eſſe factibile per illam.

Diſtinguo maiorem. Debet cognoſcere omnia hæc neceſſaria directè, & in confusò, concedo: debet illa cognoſcere etiàm reflexè, & clarè, nego maiorem; alioquin deberet clarè cognoſcere, ſe eſſe practicam, & per conſequens ſe ipſam comprehendere, quod eſt falſiſſimum. Illud ergò, quod clarè cognoſcitur ab huiuſmodi cognitione, eſt opus per illam factibile, cum relatione ad cognoſcentem, & cum formali præciſione ad ſe ipſam explicitè cognitam, vt mox patebit.

Neque obſtat, quòd cognoſcens vt tale illam inuoluat formaliter. Nam etiam ſutor ut ſutor inuoluit formaliter ſubulam, & malleum, & tamen hæc non cognoſcuntur clarè per huiuſmodi cognitionem practicam de faciendo calceo. Ratio à priori eſt (& erit ſolutio

pro-

probationis conſequentiæ) quià cognitio practica diſtinguitur formaliter per hoc à ſpeculatiua, quòd hæc non ordinetur ad aliud extrà ſe, ſicut illa, vt dictum eſt ſupra in art. 15. diſputationis quartæ. Solùm ergo (ut nuper dixi) clarè debet cognoſci à cognitione practica illud opus extrinſecū, quod per illam eſt factibile, & dicitur praxis, per cuius terminationem eſſentialiter conſtituitur in eſſe practicam, quod extrinſecum in caſu noſtro eſt calceus. Hoc autem extrinſecum benè cognoſcitur vt praxis à Petro e. g., ſi cognoſcatur vt aliquid à ſe factibile, etiam ſi non cognoſcatur vt factibile per cognitionem A., de qua loquimur. Siuè enim fieret per cognitionem A., ſiue per B., ſemper à Petro fieret. Quarè cùm cognitio practica ſit principium agēdi in genere cauſæ efficiētis, eò quòd determinet volūtatem, quę eſt cauſa efficiēs operis artificiati, requiritur quidem, non tamen debet clarè in ſe ipſa formaliter inuolui ut in cognitione practica ipſius operis, ſed ſufficit, ſi obſcurè tantùm, & in cōfuſo cognoſcatur à ſe, per modum tendendi directum, & non reflexum. Quod ſi concedatur, ex vna parte non eſt neceſſe confugere ad reflexionē clarā cognitionis practicæ ut practicæ ſuprà ſe, & ex alia vitatur, ſeù ſoluitur circulus ille cæteroquì inexplicabilis nuper relatus. Nā poſſet ita explicari cognitio ſupradicta. *Calceus eſt factibilis à me per cognitionē A; qua cognoſco, calceū eſſe à me factibilē*, ſiſtendo in ly *à me* ſecūdo loco poſito, quatenùs denotat cognoſcētem, abſq; eo quòd iterū redeat ad ipſam cognitionē practi-

cam ſolùm inconfuſo, & implicitè importatam. Quæ doctrina poteſt etiam applicari omnibus alijs relatiuis. Nàm ad explicandum Petrum e. g. patrem Pauli, non eſt neceſſe dicere *Petrus eſt pater Pauli filii Petri patris*, &c. Sed ſatis eſt dicere *Petrus eſt pater Pauli ſui filii*, ſiſtendo in ly *filii ſui*, non tamquam in aliquo abſoluto, vt aſſerit Pallauicinus, ſed tamquam in vltimo termino talis relationis, ſeù generationis, per quam Petrus conſtituitur formaliter in eſſe *patrem Pauli*, & Paulus *in eſſe filium Petri*, cætera ſolùm in confusò, & implicitè cognoſcendo.

Æquiuocatio autem conſiſtit in hoc, quòd cùm omnis relatio prædicamentalis ſit mutua, vt infrà probabimus ſuo loco, Paulus filius Petri duplicem dicit reſpectum ad Petrum patrem, alterum, quo illum reſpicit vt terminum generationis, & alterum, quo ipſum reſpicit vt fundamentum. Si enim generatio conſideretur vt actio quædam emanans è Petro in Paulum, Petrus venit in recto, & habet ratione fundamenti, & Paulus in obliquo, & habet ratione termini. Si verò conſideretur vt paſſio recepta in Paulo à Petro, tunc Paulus venit in recto, & habet rationem fundamenti, & Petrus in obliquo, & habet rationem termini. Sicut enim prima explicatur *actio, per quam Petrus producit Paulum* & ex factione actiua dicitur generatio; ità & ſecunda explicatur *actio, per quam Paulus fit à Petro*, & ex factione paſſiua dicitur *paſſio*. Quandò ergò concipitur clarè Petrus vt fundamentum primæ relationis, verùm qui-

quidem eſt, quòd clarè concipiatur Paulus vt illius terminus, qui ſimul eſt fundamentum ſecundę, non tamen Paulus conſideratus explicitè, & clarè etiam ſub iſta ſecunda formalitate, ideſt ut fundamentum ſecundæ r[illegible]onis, ſeù paſſionis, ſed ſolùm implicitè, & in c[illegible]uſo, quatenus uidelicèt omnis actio, uel ſit formaliter paſſio, uel connectatur cum illa eſſentialiter, atque adeò non poſſit aliquid eſſe terminus actionis, quin etiàm fundet paſſionem ab illo. Quarè optimè poteſt explicari tota prima relatio, concipiendo clarè Paulum ſub ſola illa prima formalitate termini generationis à Petro, præſcindendo à ſecunda formalitate, per quam iterùm cognoſcatur ut relatiuus ad Petrum, per modum fundamenti alterius relationis.

DISPVTATIO QVINTA.

De Virtutibus intellectus, ſeù philoſophicis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid ſit Virtus Intellectualis, ſeù Philoſophica, & quotuplex?

VIrtus in genere prout comprehendit morales, & intellectuales communiter definitur cum Ariſt 7. phyſ. t. 17. *diſpoſitio perfecti ad optimum*, eò quòd omnis virtus diſponat potentiam operatiuam ad operationem perfectam, quæ eſt optimum illius. D. Tho. ex D. Aug. 1. 2. q. 55. ar. 4. aliter uirtutem definit, uidelicèt, *Virtus eſt bona qualitas mentis, quæ bonum facit habentem, & opus eius reddit bonum*. Hæc autem definitio coincidit cum alia uulgata ex 2. ethic. c. 6. *Virtus eſt, quæ bonum facit habentem ſe, & opus eius bonum reddit*. Sed quia hoc bonum non ſemper eſt idem, ideò non eſt una ſola uirtus. Nam ſi bonum ſit intentionale, facit uirtutem intellectus; ſi morale, & phyſicum, facit uirtu-

tem

tem uoluntatis. Inter uirtutes autem morales, & intellectuales datur hoc diſcrimen, quòd illæ faciunt hominem ſimpliciter bonum, hæ uerò ſolum ſecundùm quid.

Virtutes voluntatis aliæ ſunt Theologicæ, vt Fides, Spes, & Charitas: & aliæ morales, & ſunt illæ, quæ conſiſtunt in medio interer exceſſum, & defectum, ut Fortitudo, quæ eſt media inter timorem & audaciam; Liberalitas, quæ eſt media inter auaritiam, & prodigentiam; Temperantia inter inediam, & crapulam, ſeù ebrietatem &c. de quibus agemus fusè, & prò dignitate in ethicis. Hoc poſito, quià nunc agimus de Scientia, quæ eſt opus intellectiuum, & non volitiuum, ideò omiſſis omnibus virtutibus volitiuis, agemus tantùm de intellectiuis, ſeù intentionalibus.

Prima concluſio. *Virtus intellectiua bene definitur eſſe id, quo anima certò dicit verum, affirmando, ſeù negando.* Eſt Ariſt. 6. eth. c. 3. Probatur, quià cùm virtus debeat diſponere ad optimum, & optimum intellectus ſit veritas, omnis virtus intellectiua debet ad illam diſponere. Id autem, quo anima non certò, ſed fortuitò dicit uerũ, non diſponit ad uerum, quià aliquandò diſponit ad falſum. Ergo non eſt uirtus. Sed quià ſola ueritas formalis eſt optimum intellectus, ad hoc ut uirtus benè definiatur ut eſt formalitèr intellectiua, debet ueritas reſtringi ad ſolam formalem; & ideò adduntur illæ particulæ *affirmando, vel negando.*

Secunda concluſio. *Omnis virtus intentionalis, vel eſt*

Sapien-

Sapientia, vel Scientia, vel Intellectus, vel Prudentia, vel Ars; adeòque virtutes intentionales neque ſunt plures, neque pauciores, quàm hę quinque. Eſt Ariſtotelis in loco citato. Probatur primò, quià virtus intentionalis uel eſt cognitio ſpeculatiua, & reducitur ad unam ex primis tribus; uel eſt practica, & reducitur ad unam ex poſtremis duabus. Ergo hæc membra diuidentia adæquant totum diuiſum, adeòque eſt bona diuiſio. Sed hæc membra ſunt ſolum quinquè. Ergo totidem ſunt uirtutes.

Probatur prima pars antecedentis. Nàm uel obiectum ſpeculatiuæ erit aliquod excellentiſſimum, & pręſtantiſſimum, & erit Sapientia; uel erit quodlibet aliud obiectum neceſſarium, & erit Scientia; uel erit habitus inclinans intellectum ad aſſenſum præſtandum principijs per ſe notiſſimis, & erit Intellectus. Probatur ſecunda pars, quià cognitio practica uel eſt circa ea, quæ ſunt bona, ſeu mala homini moraliter, ideſt honeſtè, uel inhoneſtè, & erit Prudentia; uel circà ea, quæ ſunt bona phyſicè, & erit Ars. Vt autèm hoc meliùs intelligatur, ſingularum ſeorſim definitiones afferam deſumptas ex Ariſtotele in loco citato.

Sapientia igitur eſt *cognitio plena, & perfecta rerum præſtantiſſimarum per ſummas, & altiſſimas cauſas*, ùt eſt cognitio Dei, & Angelorum. Scientia eſt *cognitio certa, & euidens rei neceſſariæ per ſuam cauſam*, de qua fusè egimus hucuſquè. Intellectus (cuius nomine non intelligitur ipſa potentia intellectiua, ſed habitus principio-

rum

rum) eſt *habitus inclinans intellectum ad aſſenſum præſtandum principiis per ſe notiſſimis, & ipſius naturæ lumine euidentiſſimis*, qualia ſunt *omne totum eſt maius ſua parte*; & alia huiuſmodi. Prudentia eſt *habitus cum recta ratione actiuus, circa ea, quæ bona, vel mala ſunt homini*, ideſt habitus regulatiuus operationum, quæ eliciuntur, vel imperantur à voluntate in ordine ad bonum aliquod honeſtum obtinendum, vel malum inhoneſtum fugiendum. Ars eſt *habitus cum recta ratione factiuus*, ideſt habitus regulatiuus operationum, quæ fiunt, vel imperantur à voluntate in ordine ad obtinendum aliquod bonum phyſicum, ideſt aliquam perfectionem, vel naturalem, vt eſt ſanitas, pulchritudo, &c. vel artificialem, vt eſt philoſophia, poeſis, muſica &c.

Probatur ſecundò concluſio, quià omnes hi habitus diſponunt ad veritatem formalem, quæ eſt optimum intellectus, vt patet ex eorum actibus. Ergo ſunt virtutes intentionales.

Dices primò. Prudentia eſt virtus moralis, quià eſt regina omnium virtutum. Ergo non eſt virtus intellectiua, cùm ſpectet ad voluntatem. Diſtinguo antecedens. Eſt virtus moralis demonatiuè, & efficienter, concedo: formaliter, nego antecedens; & cum illo conſequentiam. Nàm vel loquimur de Prudentia, quatenùs eſt actus virtutis, vel quatenùs eſt ipſe habitus, ſeù principium habituale, vndè ille actus emanat? Si primum, hic actus nihil eſt aliud, quàm dictamen, ſeù iudicium practicum vltimò determinans voluntatem

ad

ad proſecutionem, ſeu fugam talis obiecti, quod iudicium reflectat ſuprà omnes cognitiones exiſtentes in eodem intellectu prò illo inſtanti; ita ut, omnibus penſatis, hoc iudicet præponendùm, ſeu poſtponendum tamquam optimum, vel deterrimum in his circumſtantijs. Si uerò ſermo ſit de uirtute habituali, hic certè habitus ab alio effici non poterit, quàm à pluribus iudicijs practicis frequentatis, adeòque erit eiuſdem rationis, & in eodem genere cum illis. Sed illa iudicia ſunt actus intellectiui. Ergo etiam habitus erit intellectiuus. Dicitur autem moralis, quià eſt principium operationum, & uirtutum moralium. Hoc uerò non tollit, quòd ſit intellectiuus, immo cùm uoluntas non determinetur, quàm ab actibus intellectus, per hoc quòd prudentia ultimò determinet uoluntatem ad operandum, potiùs arguitur uirtus intellectiua, quàm uolitiua.

Dices ſecundò. Scientia ſupponit Intellectum, & Sapientia ſupponit Scientiam, & Intellectum, eò quòd Sapientia definiatur à Philoſopho 6.eth. c.7. *Intellectus, Scientiarumque omnium perfecta complexio*. Ergo non ſunt quinque uirtutes intellectuales, ſed ſolùm tres, uel ad ſummum quattuor. Nego conſequentiam. Per hoc enim quòd vnus habitus ſupponat alium, uel illum includat, non ſolùm non tollitur, quò minùs diſtinguatur ab alijs, ſed ex hoc ipſo ab alijs diſtinguitur, cùm nemo ſupponat, uel includat ſe ipſum, ſed aliud à ſe diſtinctum.

Vrge-

Vrgebis. Præter hos habitus dantur etiam plures alij, qui appellantur ab Ariſtotele ibi facultates, uidelicèt opinio, quæ eſt *cognitio incerta, & ineuidens per medium probabile*: ſuſpicio, quę eſt *cognitio incertior, & obſcurior opinione*: fides, quæ eſt *cognitio obſcura habita per medium extrinſecum teſtimonij loquentis*: & alij ſimiles. Ergo Virtutes intellectus ſunt plures, quàm quinquè. Nego conſequentiam. Dico enim cunctos hos habitus ſub nomine facultatum inibi ab Ariſtotele reduci ad artem, adeòque non eſſe habitus pręter quinque aſſignatos.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Logica ſit virtus intellectualis, & quæ?

PRima concluſio. *Logica eſt virtus intellectus*. Probatur, quià eſt diſpoſitio perfecti ad optimum. Cùm enim inſeruiat ſcientijs, & hæ habeant prò fine ueritatem, diſponendo ad ſcientias, diſponit ad ueritatem, quæ eſt optimum intellectus. Ergo eſt uirtus.

Secunda concluſio. *Logica eſt ars*. Probatur, quià cùm ſit practica, non poteſt eſſe ullus ex primis tribus habitibus, uidelicèt Sapientia, Scientia, & Intellectus, qui ſunt ſpeculatiui. Ergo debet eſſe, vel Prudentia, vel

Ars.

Ars. Sed Prudentia non poteſt eſſe, quia non dirigit actiones humanas in ordine ad mores, ſicut facit Prudentia, ſed dirigit ſcientias in ordine ad cognitiones. Ergo debet eſſe Ars,ut appellatur à Philoſopho 2.elench. c. ult. Et ideò 1.topic. c. 9. dicitur,logica non expeti propter ſe, quia ſcilicet non eſt ulla ex illis uirtutibus intellectus,quæ cùm ſint habitus ſpeculatiui, propter ſe expetuntur.

Obijcies primò. Logica non eſt habitus factiuus,eò quòd non uerſetur circà externam materiam, in qua relinquat opus poſt ſe, ſed *eius vltimum opus eſt operatio*, ut definitur habitus actiuus. lib. 1. magnorum moral. c. ultimo,& 11. met. ſumm. 3. c. 1. Ergo eſt habitus actiuus, & per conſequens non poteſt eſſe ars.

Secundò. Topica,quia uerſatur circà materiã probabilem poteſt eſſe falſa, cùm aliquandò falſa ſint probabiliora ueris. Ergo logica, ſaltèm ſecundùm partem topicam, non eſt uirtus, quia non diſponit ad optimũ, cum aliquandò diſponat ad falſum, quod eſt peſſimum intellectus.

Tertiò. Sophiſtica docet modum decipiendi. Ergo non eſt uirtus. Sed illa eſt pars logicæ. Ergo aliqua pars logicæ non eſt uirtus.

Quartò. Sophiſtica docet modum, faciend. falſum ſyllogiſmum,ſicut demonſtratiua docet modum, faciẽdi bonum. Ergo eſt pars illi oppoſita, adeòque mala, quia oppoſita bonæ & per conſequens non eſt uirtus.

Quintò. Ariſtoteles diſtinguit artem à natura per hoc,

hoc, quòd ars ſit principium operationis tranſeuntis, natura uerò immanentis. Ergo per Ariſtotele ars eſt tantùm factiua, & per conſequens cùm logica non ſit factiua, neque eſt ars.

Sextò. Logica lib. 1. prior. in it., & 2. poſt. c. 10. uocatur ſcientia demonſtratiua. Sed hæc eſt ſpeculatiua. Ergo & logica.

Septimò cum Scoto q. 1. prædic., Alber. tract. 1. præd., Soncin. 6. met. q. 2. Logica probat ſuas concluſiones per certiſſimas cauſas, & methodo ſcientifica, Ergo eſt ſcientia ſpeculatiua, adeòque non poteſt inter artes recenſeri.

Ad primum nego conſequentiam. Quandò enim Ariſtoteles definiuit hoc modo artem, locutus eſt de eo, quod in pleriſque artibus uerificatur, non autem de eo, quod ſit eſſentiale, & neceſſarium omnibus. Siquidem per hanc definitionem nihil aliud intendebat Ariſtoteles; quàm aſſignare definitionem genericam diſtinctiuam genus artium ab omnium aliorum habituum generibus, quod benè quadrat allatæ definitioni. Nullus enim alius habitus poteſt eſſe factiuus præter artem. Quarè nihil curauit ulteriùs, utrùm hæc definitio eſſet ſpecifica, & eſſentialis, an uerò accidentalis, ſeù deſcriptiua? Sicut enim benè diſtingueret hominem ab omni non homine; ſiquis diceret *homo eſt muſicus*, quamuis omnes homines non ſint muſici, quià *eſſe muſicum* conuenit ſoli homini; Ità benè diſtinguitur ars ab alijs habitibus per hoc, quòd ſit factiua, quià

hoc

hoc conuenit ſoli arti.

Dices. Hoc gratis aſſeritur. Ergo falſum. Nego antecedens. Nam niſi intelligatur hoc modò Ariſtoteles, debemus dicere, illum toties ſibi contradixiſſe, quoties habitus actiuos appellauit artes, ut contingit 8. politic. c. 5. ubi Muſicam appellat artem: & 1. magn. moral. c. ultimo, ubi appellat artem Cythariſticam: & 2. elen. c. ultimo, ubi ipſam Logicam artem appellat, & tot alijs in locis paſſim inter artes enumerat Nauticam, Gymnaſticam, Grammaticam, aliaſque omnes liberales, quæ ſi non omnes, ſaltem pleræque ſunt actiuæ.

Vrgebis. Ariſt. 6. eth. c. 4. & 12. met. t. 13. docet, omnes artes eſse habitus factiuos, & 6. eth. c. 5., ut diſtinguat Prudentiam ab Arte, uocat Prudentiam actiuam circa ea, quæ homini bona, uel mala ſunt. Sed ſi aliquæ artes eſſent actiuæ, non benè per hoc ab illis Prudentia diſtingueretur. Ergo per Ariſtotelem nulla ars eſt actiua.

Reſpondeo, in his locis Ariſtotelem ſemper fuiſſe locutum non quidem de habitibus ſpecificè, ſed ſolùm genericè ſumptis, nè alioquin illum damnemus uitio manifeſtę contradictionis, & inconſtantię, ut nuper probauimus. Quo poſito, Prudentia genericè ſumpta benè diſtinguitur ab omni Arte, quià nulla pars Prudentiæ eſt factiua.

Ad ſecundum reſpondeo, ut ſuprà uidimus, præcepta topica ſemper eſſe uera, quià ſemper datur in ſyllo-

giſmo

giſmo topico facto iuxta præcepta logicæ, ratione illationis,ſeù ratione formæ, quam ſolam logica habet pro fine, quamuis aliquandò non detur in illo veritas aſſenſus,ſeù ratione materiæ; atque adeò logicam, quantùm eſt ex ſe, ſemper diſponere ad veritatem, & per conſequens ad optimum. Præterquàmquod falſitas ſe habet per accidens ad topicam,& indeterminatè, vt ſuprà dictum eſt, quandò probauimus, logicam eſſe ſimpliciter ſcientiam. Sicut enim Pictura, & Optica practica, quamuis doceant modum poſitiuè decipiendi oculum, illoque mediante,etiàm intellectum,adhuc ſunt virtutes intellectus, quià hòc illis contingit ſolùm interdùm, & rarò, cùm plerumque oppoſitum contingat. Ad hanc autem obiectionem fuſius ſuprà reſpondimus in loco nuper citato.

Ad tertium nego conſequentiam. Nam etiam Sophiſtica diſponit immediatè ad præceptum verum, & infallibiliter conducens ad ſuum finem, vt videlicèt operans ſciat conficere, & ſoluere paralogyſmos. Ad hoc autem,vt habitus practicus ſit virtus, ſatis eſt, quòd ſit habitus cum vera ratione,operatiuus, vt ipſe ait. Operari autem cum vera ratione nihil eſt aliud, quàm operari per præcepta vera, & infallibiliter conducentia ad finem intentum. Ergo etiam ſophiſtica eſt virtus.

Dices.Ergo artes furandi, ludendi, & decipiendi ſunt virtutes. Conſequens eſt abſurdum, quià alioquin immeritò prohiberentur. Ergo & antecedens. Diſtinguo conſequens, Sunt virtutes morales, ſeù in genere

moris, ideſt quæ ornent, ſeu perficiant animam in ordine ad vitam æternam, nego: Sunt habitus intellectuales, qui quamuis afferant intellectui cognitionem; non tamen afferunt animæ ornamentum, ſaltèm in ordine ad veram felicitatem; tranſeat conſequentia. Hoc tamen non obſtante, aio has artes meritò prohiberi quoad actus exercitos, & vſum, non autem quoad habitum. Et ſi aliquandò prohibentur etiam quoad habitum, hoc ideò fit, nè per illius occaſionem facilè homines tranſeant ex habitu ad actum. Quarè in odium actuum prohibentur & habitus.

Ad quartum reſpondeo, Sophiſticam docere modum faciendi ſyllogiſmum falſum, non vt ille fiat, ſed vt factus ſoluatur, eiuſque errores, & vitia deprehendantur. Hoc autem non eſt malum, ſed bonum, vt habetur 1. Rhet. c. 1. Præterquàmquòd quamuis tantùm doceret modum, faciendi ſyllogiſmos falſos, adhuc tamen falſa eſſet conſequentia. Per hoc enim non opponeretur demonſtratiuæ, cùm ad eumdem habitum ſpectet benè; & malè operari, ſicut & ad eamdem potentiam, nam *contrariorum eſt eadem diſciplina*, ideſt ſcientia; ſeù potentia, ſeù habitus, vt explicat Ariſtot.

Ad quintũ reſpondeo, ut ſuprà; Ariſtotelem attuliſſe hic diſtinctionem genericam artis à natura; non autem ſpecificam. Quarè ſolùm dixit, arti, vt ars eſt, non repugnare; quòd ſit principium operationis tranſeuntis, ſicut repugnat naturæ. Ratio eſt, quia cùm natura ſit principium intrinſecum motus, & quietis, debet eſſe

pars

pars intrinſeca illius totius, in quo cauſat motum, vel quietem, & per conſequens debet intrinſecè, ideſt immanenter operari. Ars verò, quia eſt aliquid accidentale, & extrinſecum, poteſt extrà operari. Cęterùm ex hoc non ſequitur, de ratione artis eſſe, vt ſemper extrà, ſeu tranſeunter operetur.

Ad ſextum reſpondeo cum Alex. & Auerr. ſuper hæc loca; inibi ab Ariſtotele intelligi Logicam vtentem, ſeù ipſas ſcientias, quatenus vtuntur præceptis logicæ; niſi velimus dicere; ideò Logicam appellari demonſtratiuam; quia dirigit ipſam demonſtrationem, docetque modum, illam faciendi, adeòque eſſe demonſtratiuam directiuè, ſeù efficienter, non autem formaliter.

Ad ſeptimum nego conſequentiam. Hæc enim omnia ſunt communia etiam ſcientiæ practicæ; quam non dicimus diſtingui à ſpeculatiua per hoc, quòd hæc probet ſuas concluſiones per certiſſimas cauſas; &c., illa verò minimè, ſed per hoc, quòd practica conſideret obiectum vt factibile, quod non facit ſpeculatiua & propter alia prædicata, quæ ſupra diſp. 3. ar. 14. diximus neceſſaria ad conſtituendam formaliter cognitionem practicam.

Finis Libri Primi.

LIBER SECVNDVS LOGICAE

De Vniuerſalibus tàm in genere, quàm in ſpecie.

A*BSOLVTIS diſputationibus de ſcientia tàm actuali, quàm habituali, vt meliùs vtriuſque natura methodicè cognoſcatur, agendum ſupereſt de obiecto proximo ſcientiæ in genere, quod cùm ſit (vt vidimus) aliquid neceſſarium, debet eſſe ſemper vel aliquid vniuerſale, vel ſaltèm aliquid, quod conſideretur ſub aliqua ratione vniuerſali. Totus ergò hic liber erit de Vniuerſalibus. Sed quià non omnia Vniuerſalia ſunt eadem, ſed aliqua de pluribus, & alia de paucioribus; hæc per modum accidentis, & adiectiui; illa per modum per ſe ſtantis, & ſubſtantiui; hæc vt tota; illa vt pars eſſentiæ de inferioribus prædicantur; Ideò poſtquàm egerimus de Vniuerſalibus vt ſic, eorum quoquè*

genera

genera percurremus, ſingula in ſuas claſſes appoſitè diuidendo. Quamobrem duas hîc diſputationes inſtituemus, alteram de Vniuerſalibus in genere, & alteram de Vniuerſalibus in ſpecie, ſeù de Prædicabilibus, quorum occaſione ſubnectemus & tertiam de præciſionibus obiectiuis.

DISPVTATIO PRIMA.

De Vniuerſalibus in genere.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid, & quotuplex ſit Vniuerſale?

NOmine Vniuerſalis intelligimus aliquid, quod cùm ſit vnum aliquo modo, tamen dilatatur in plura, vt eſt ignis e. g. qui cùm ſit vnus in ſe, tamen plura calefacit, ſeù comburit. Quarè 1. met. t. 27. & 7. met. t. 45. Vniuerſale appellatur *vnum in multis*. Ex quo ſequitur, omne id, quod eſt ita multiplex, vt nullo modo ſit vnum, non eſſe Vniuerſale. Vniuerſale igitur aliud eſt complexum, & aliud incomplexum. Complexum eſt integra aliqua propoſitio multa complectens, vt colligitur ex 1. poſt. t. 5. & 1. met. c. 1. vt eſſet e. g. hæc propoſitio, ***quodlibet vel eſt, vel non eſt***. Hæc enim propo-

 ſitio,

ſitio, quamuis ſit vna in ſe, tamen de omnibus, & ſingulis verificatur; nihil enim excogitari poteſt, de quo verè non affirmetur, quòd vel ſit, vel non ſit.

Vniuerſale incomplexum eſt ſimplex aliquis terminus communis, qui ſignificet aliquod vnum, & multiplex. *Hoc* autem eſt quadruplex. Aliud enim eſt Vniuerſale *in cauſando*, quod videlicet, cum ſit in ſe vnum, eſt cauſa plurium, vt Sol, qui ſolus omnia illuminat, & Deus, qui ſolus ad omnes effectus concurrit. Aliud eſt Vniuerſale in *ſignificando*, quod videlicèt cùm ſit vnum, plura ſignificat, cuiuſmodi eſt hic terminus *animal* qui vnus ſignificat omnia animalia. Aliud Vniuerſale in *repræſentando*, & eſt illud, quod cùm ſit vnum, plura repræſentat, vt eſt idea formalis in mente artificis, quæ quamuis vna, multa tamen opera artificiata repræſentat; & ſpecies impreſſa, ſeù imago hominis, quæ repræſentat plures homines. Aliud demùm eſt Vniuerſale *in eſſendo*, & eſt illud, quod cùm ſit unum, ineſt multis, ut eſt e. g. natura humana, quæ eadem eſt in omnibus hominibus. Quia uerò eſt impoſſibile, quòd aliquid ſit in pluribus, & non poſſit de illis pluribus prædicari; Ideò Vniuerſale *in eſſendo* dicitur etiam ex proprietate hac logica Vniuerſale *in prædicando*, atque adeò dicitur prædicabile, de cuius ſpeciebus agemus infrà.

Omiſſis ergò Vniuerſalibus omnibus complexis, & primis tribus ſpeciebus Vniuerſalis incomplexi, quæ dicuntur Vniuerſalia metaphyſica, agemus in præſentia

tantùm

tantùm de hoc poſtremo, quod dicitur Vniuerſale *in eſſendo*, ſeù *prædicando*, & eſt Vniuerſale logicum. Hoc autem 7. met. t.45. ità definitur, *id, quod pluribus natura aptum eſt ineſſe*. Et 1. poſt. t.25. in fine, *quod vnum, & idem eſt in pluribus non æquiuoce*. Et 1. Periher. c.5 *id, quod in pluribus prædicari natum eſt*. Ex quibus locis elicitur uulgaris hæc definitio *Vniuerſale eſt vnum aptum eſſe in multis, & de multis prædicari*. In qua ly *vnum* habet rationem generis, & cætera rationem differentiæ. Et ideo eſt bona definitio, eò quòd benè explicet eſſentiam, & naturam Vniuerſalis. Quare ad Vniuerſale logicum, præter alia multa, requiruntur duo, quæ uidentur prima fronte inter ſe maximè oppoſita, uidelicet unitas, & multiplicitas eiuſdem, ex quibus deindè, & cœtera ſubſequuntur, uel tamquàm effectus, uel tamquàm proprietates illarum. Cuiuſmodi ſunt aptitudo ad eſſendum in multis, & prædicabilitas de iiſdem, de quibus infrà ſeorſim agemus. Hæc tamen omnia adhuc Vniuerſale logicū, ut logicū nō conſtituerent, quatenus formaliter opponitur metaphyſico, niſi hoc unum, quod dicitur Vniuerſale, ità ſit in pluribus, ut ſit in illis, non quomodocumque, ſed per phyſicam, & realem identitatem, quæ extendatur ad ipſum totum, & non ad partem ipſius, & quæ non tollat, ſed formaliter conſtituat eiuſdem fæcunditatem, ſeù multiplicabilitatem in pluribus, in quibus aptum eſt eſſe, & de quibus natum eſt prædicari.

Vnde cœptum eſt agitari in ſcholis, an huiuſmodi ob-

iectum ſit aliquid phyſicum, cui verè ſecundùm ſuam naturam, & entitatem conueniant quæ modò diximus prædicata, independenter ab omni figmento rationis hùc atque illùc prò libitò diſcurrentis; an verò ſit opus quoddam prorsùs intentionale, quod vnicam recognoſcat parentem intelligentiam, eiuſque tantùm obſtetricante Lucina, in lucem prodeat? Nos prò more, celebrioribus vtrinque relatis opinionibus, ſingularumque earum rationum librato pondere, noſtram tandèm afferemus in medium altercantium Auctorum litem dirempturi. Priùs tamen triplici concluſione probabimus quæ poſtremò aſſeruimus prædicata Vniuerſalis, multiplicabilem ſcilicèt, illius identitatem cum pluribus, ſecundùm totum.

Prima concluſio. *Vniuerſale logicum debet eſſe idem phyſicè cum pluribus, in quibus ineſt.* Probatur, quià Vniuerſale logicum debet eſſe prædicabile de ſuis inferioribus *in quid*, id eſt prædicatione eſſentiali. Id autem quod non eſt idem phyſicè cum alio, non poteſt prædicari *in quid* de illo. Ergo Vniuerſale logicum debet eſſe phyſicè idem cum omnibus inferioribus, in quibus ineſt. Maior patet ex definitione Vniuerſalis logici. Minor probatur, quià ſi Deus miraculosè replicaret animam A. in pluribus corporibus, non proindè hæc anima eſſet uniuerſalis, quià non poſſet de illis pluribus prædicari *in quid* ex defectu unius cum illis phyſicæ identitatis.

Secunda concluſio. *Vniuerſale logicum debet eſſe in plu-*

pluribus cum ſui multiplicatione, ità vt non idem numerò ſit in pluribus, ſed idem ſpecie, vel genere. Probatur, quia tota ratio, quarè natura diuina non dicatur logicè uniuerſalis; eſt quia licèt ſit in pluribus perſonis per identitatem, non tamen in illis multiplicatur; ſed eadem numerò eſt in omnibus, & ſingulis. Ergo multiplicabilitas eſt de eſſentia Vniuerſalis logici in eſſe logici. Probo conſequentiam, quia ſi præſcindamus ab hoc uno, omnia alia ſunt communia etiàm Vniuerſali metaphyſico. Si ergo hoc non ſit de eſſentia Vniuerſalis logici, non diſtinguerentur ab inuicèm hæc duo Vniuerſalia.

Tertia concluſio. *Vniuerſale debet eſſe aliquod ità vnum, vt non ſecundùm ſui partem, ſed ſecundùm totum participetur ab omnibus, in quibus ineſt.* Probatur quia alioquin non idem eſſet unum, & multiplex, ſed unitas conueniret toti, & multiplicitas partibus, quod eſt manifeſtè contra rationem Vniuerſalis, de cuius eſſentia eſt, ut idem inuariatum debeat ſimul eſſe unum, & multiplex. Ergo debet ſecundùm totum ab inferioribus participari: Maior probatur, quia ſi ipſum Vniuerſale ſecundùm totum poſſet in pluribus non eſſe, maximè quià poſſet in illis eſſe per ſuas partes. Probatur minor, quia alioquin omne totum phyſicum eſſet Vniuerſale reſpectu ſuarum partium; nam ſimul, & ſemel haberet unitatem totius, & partium multiplicitatem. Quis autem dicat, quòd triangulum ſit Vniuerſale reſpectu ſuorum laterum, per hoc quòd ità ſit unum in

ratione

ratione trianguli, ut ſit in illis per tres ſui partes diſtinctas, uidelicet per tres lineas, ex quibus conſtat, ità ut ſecundùm baſim ſit in baſi, & ſecundùm lineas laterales ſit in lateribus? Ergo ad rationem Vniuerſalis requiritur, quòd ſecundùm totum ab inferioribus participetur, per cuius defectum uniuerſalitas excluditur à triangulo.

Confirmatur, quià *animal* e. g. ideò dicitur Vniuerſale reſpectu *leonis*, & *hominis*, quià totum participatur à ſingulis; nam ſecundum totum id, quod dicit *animal*, eſt prædicabile de *leone*, *homine* &c., itàut nihil poſſit prædicari de uno, quod non poſſit ſub eodem conceptu eodem modo prædicari de alio. Probatur aſſumptum, nàm quandò *animal* prædicatur de *homine*, nihil prædicatur aliud, niſi quòd ſit principium ſenſationis ab intrinſeco, & motus progreſſiui; & quando prædicatur de leone, prædicatur hoc idem, in quo formaliter conſiſtit eſſentia animalis, & per quod formaliter habetur definitio eſſentialis illius. Et ideò utraque prædicatiò explicatur per deſcenſum diſiunctiuum, uel *hoc*, *vel illud*, *vel illud animal*, quod fieri non poſſet, ſi diuerſum animal prædicaretur de homine, ab illo, quod prædicatur de leone; quod idem dico de omnibus alijs Vniuerſalibus. Ergo totum Vniuerſale prædicatur de inferioribus, totumque ab illis, non autèm ſecundùm aliquid ſui participatur.

Ad quæſtionem *quid ſit*, debet ſubſequi, iuxtà Ariſtotelis dictum, quæſtio *an ſit*. Ideò ſtatuta eſſentia, &

quidi-

quiditate Vniuerſalis, debemus quærere, an illud ſit? Sed quia in hoc potiſſima difficultas eſt, an ipſius exiſtentia habeatur per intellectum nec nè? quærendum proindè ſupereſt duobus articulis ſequentibus, an hoc ſit opus meræ rationis, an uerò aliquid iure ſuo tale?

ARTICVLVS SECVNDVS.

An detur Vniuerſale à parte rei? Examinantur, & reijciuntur opiniones Nominalium, Platonis, Caietani, & Scoti.

DAri Vniuerſalia logica, uidelicèt in *eſſendo*, & *prædicando* certum eſt primò, non ſolùm ex communi Philoſophorum ſenſu, & præcipuè ex Ariſt. 1. met. t. 5., & ſeqq. & 3. met. t. 12. & 1. Perìher. c. 5., in quibus, alijsque locis quamplurimis diſtinguit res in ſingulares, & uniuerſales; ſed etiam ſecundò ex ijs, quæ diximus ſuprà in diſp. de ſcientia. Nàm cùm hæc ſit cognitio infallibilis, debet uerſari circa aliquid immutabile, & neceſſarium, ut ſunt Vniuerſalia, ſicut dicitur 1. poſt. t. 29. nàm ſingularia corrumpuntur, adeoque de illis non poteſt dari ſcientia, ut habetur ex 1. poſt. c. 2. & 6. eth. c. 3. Ergo cùm de facto dentur ſcientiæ, de facto dantur plura

plura Vniuerſalia, circa quæ illæ verſantur. Immò Tolet. init. phyſ. cum pleriſque Thomiſtis non ſolùm dicit, dari Vniuerſalia, ſed prætereà dicit, noſtrum intellectum non cognoſcere, niſi Vniuerſalia, ſicut ſenſus non cognoſcunt, niſi ſingularia. Quam doctrinam deducit ex 1. phyſ. t. 49., & nos alibi examinabimus. Quæſtio ergo ſolùm eſſe poterit, an hæc Vniuerſalia ſint aliquid extrà intellectum, an uerò aliquid, quod fiat ab ipſo, & in ipſo intellectu?

Nominales non ſolùm ueteres apud Simplic. in prædicam. c. ultimo, & S. Thomam opuſc. 55., ſed etiam Recentiores cum Gulielmo Ocham eorum propugnatore, & reſtitutore in prima parte ſuæ logicæ c. 14. & 15., & quodlib. 5. q. 12. & 13. & in 1. ſent. diſt. 2. q. 4., Nominales, inquam, cùm omnia ad uoces referrent, dixere, Vniuerſalia nihil eſſe aliud, quàm meras uoces; quarũ nomine alij intellexerunt uoces externas materiales, & alij uoces internas, ideſt ſpecies impreſſas, uel expreſſas rerum. Ex quo inferebant primi, cùm uoces externæ dentur extrà intellectum, etiàm Vniuerſalia dari extrà intellectum: & ſecundi, cùm uoces internæ non dentur, niſi intrà intellectum, Vniuerſalia quoquè non dari independenter ab intellectu.

Verùm utraque hæc ſententia eſt falſa. Primò, quia alioquin omnis propoſitio uniuerſalis eſſet falſa. Hæc enim propoſitio *omnis homo eſt animal* e. g. ſiuè per ly *homo* intelligatur prolatio materialis externa uocum, adeòque ſupponat materialiter, ſiuè conceptus menta-

lis

lis illi correſpondens, adeòque ſupponat formalitèr prò conceptu, ſemper eſſèt falſa, eò quòd ly *animal* de neutro verificetur. Sicut enim vox *homo* non eſt animal, ità conceptus hominis non eſt animal. Secundò quià Vniuerſalia ſunt æterna, & nullo planè ſpatio circumſcriptibilia propter ſuam illimitatam entitatem. Sed hæ ſiuè uoces externæ, ſiuè ſpecies internæ, cùm ſint de facto, ſunt in aliquo loco, & tempore determinatæ. Ergo non poſſunt eſſe formaliter Vniuerſalia. Quare dicendum eſt, Nominales ità locutos, vt confutarent idæas Platonicas, de quibus infrà, ad quas confutandas etiàm Ariſt. 1. de anim. t. 8. ait, Vniuerſalia, vel nihil eſſe, vel eſſe aliquid poſterius ſingulari, quià intellectus ſolet abſtrahere rationes vniuerſales, poſtquàm in ſenſu fuit ſingularè.

Plato, vt refert Ariſt. 1. met. t. 5. & 15. & 7. met. & 13 c. 4., uel ſumm. 2. c. 1. ait, dari quaſdam naturas uniuerſales, & eſſentias rerum æternas immutabiles, incorruptibiles, & immortales, per quarum participationem fierent indiuidua, & conſtitúerentur ſub tali genere, & ſpecie entis. Quamobrem in ſententia Platonis *Petrus* e. g. dicit eſſentiam hominis, quæ eſt aliquid vniuerſale conueniens etiam Paulo, & indiuiduationem propriam ipſius Petri, quæ eſt aliquid ſingulare. Vndè ſequitur, Petrum ſecundùm eſſentiam eſſe aliquid neceſſarium, æternum, & immutabile; ſecundùm verò indiuiduationem, ſeù exiſtentiam eſſe aliquid corruptibile, temporaneum, & mutabile. Quam doctrinam de rerum corru-

ruptibilium eſſentijs incorruptibilibus, multi quoquè cum pleriſquè Thomiſtarum non ignobiles tàm Theologi, quàm Philoſophi cùm veteres, tùm recentes amplexati ſunt, de qua agemus in 1. Phyſ. Has igitùr eſſentias, ſeù naturas rerum uniuerſales Plato appellauit ideas duplici de cauſa. Primò quia per illas indiuidua recipiunt formas, & ſpecies nomine ideæ ſignificatas; Secundò quia ad illas tamquàm ad exemplaria Deus reſpiciat in productione ſingularium?

Hæc autem opinio, ſeu uerè fuerit Platonis, ſeu fuerit illi per inuidiam adſcripta ab Ariſtotele, ut multi aſſerunt; inter quos eſt S. Auguſtinus lib. 83. de Ciuit. Dei. q. 46. Hæc; inquam; opinio ſubſiſtere nullatenùs poteſt. Primò quià nihil eſt magis intrinſecum; & coniunctum cum re, quàm illius eſſentia, ut colligitur ex 7. met. t. 57. Ergo eſt impoſſibile, quòd hæc ſit aliquid potens exiſtere abſque illo, cuius eſt eſſentia; & per conſequens eſt impoſſibile, fuiſſe ab æterno earum rerum eſſentias; quæ ab æterno non fuerunt. Deindè quià quidquid eſt extrà Deum eſt creatura. Sed omnis creatura eſt producta in tempore, & antè initium mundi nihil erat præter Deum, ut eſt de fide; & patet ex Geneſeos 1. Ergo nihil extrà Deum fuit ab æterno; adeoque omne, quod eſt; incæpit cum mundo. Sed nihil temporaneum eſt Vniuerſale, ut habetur ex 1. met. c. 1. Ergo nulla creatura exiſtens à parte rei eſt Vniuerſale logicum.

Aliqui, inter quos sũt ide Auguſtinus loco citato, & Sene-

Seneca lib. 8. epiſt. 66. conantur tueri Platonis opinionem; dicendo; illum nomine ideæ intellexiſſe idæas diuinas formales increatas, quas Deus habuit ab æterno. Sed contrà eſt, nam quamuis admittantur hæ ideę diuinæ, non tamen allata opinio uindicatur à falſitate. Primo quià hæ diuinæ ideæ non participantur formaliter à ſingularibus creatis, ſicut dicebat Plato eſſentias participari; nam Deus non eſt pars creaturæ. Secundò quià non ſunt uniuerſales; cùm Deus reſpectu cuiuſque entis habeat ſuam ideam formalem peculiarem: Verum hæc ad theologos:

Scotus in 1. diſt. 3. q. 1. & 7. met. q. 18. ueſtigijs inhærendo Platonis, ait, dari Vniuerſale independenter ab intellectu; eò quòd putet, in omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei dari eamdem numerò naturam ſpecificam: E. g. in omnibus hominibus dari eamdem numerò naturam humanam; in equis equinam, &c. quæ natura ſolùm formaliter diſtinguatur in indiuiduis, ratione videlicet annexæ indiuiduationis; cæterùm realiter non diſtinguatur. Cui ſententiæ ſubſcribit etiam Caietanus cum multis Thomiſtis putantibus; eidem naturæ humanæ, quæ eſt in Petro e. g. non repugnare; quòd ſit in Paulo; à cuius natura differt ſolùm ratione petreitatis; ſeu indiuiduationis illi ſuperadditæ, & cum illa realiter identificatæ.

Sed contra eſt. Primò quià ſi hoc eſſet; omnes homines eſſent vnus homo; ſicut omnes perſonæ diuinæ ſunt vnus Deus; eò quòd omnes homines haberent

eandem numerò naturam humanam, ſicut perſonæ diuinæ eandem numero naturam diuinam. Secundò, quia eadem numerò natura humana eſſet Deo amica in Sanctis, & infenſa in Damnatis; atque adeò ſimul, & ſemel puniretur, & præmiaretur, quæ ſunt abſurda. Tertio, quia eſt impoſſibile, ex duobus realiter identificatis vnum ab alio ſeparari, & aliud non ſeparari: vnum eſſe indifferens, & aliud non eſſe ad præſtandum aliquem effectum formalem. Sed natura humana eſt identificata cum indiuiduationibus. Ergo cùm hæ ſint inter ſeſe diuiſæ, & cùm non ſint indifferentes, vt ſint in hoc, vel in illo indiuiduo, neque natura humana erit ad hoc indifferens, alioquin de eodem realiter uerificarentur contradictoria.

Dices cum Scoto. Indiuidua à parte rei non primò differunt, alioquin in omnibus differrent. Ergo in aliquo prædicato conueniunt, atque adeò habent aliquod prædicatum commune, & per conſequens identitatem ſpecificam. Nego antecedens, ſi ly *differt* idem ſonet, atque *diſtinguitur*, ſicut debet hic accipi à Scoto, quià nihil Petri eſt idem formaliter in Paulo e.g. Ergo in omnibus Petrus differt à Paulo.

Vrgebis. Ergo tantùm differt Petrus à Paulo à parte rei, quantùm ab equo, poſito quòd ab utroque diſtet in omnibus. Sed hoc eſt abſurdum. Ergo &c. Nego conſequentiam, ſi ly *differt* ſonet diſſimilitudinem, quia cum differentia habeatur à prædicatis diſſimilibus, ſi plura ſint ea, in quibus illa fundatur, maior eſt diffe-

differentia; & viceuerſa, ſi pauciora ſint illa, eſt minor. Cùm ergo plura ſint prædicata, in quibus fundatur differentia Petri ab equo, quàm à Paulo, illa erit maior, quàm hæc, etiam præſcindendo ab omni intellectus operatione. Verum de hoc fuſiùs infra, vbi penitus tollemus huiuſmodi difficultatem tyronibus moleſtiſſimam.

ARTICVLVS TERTIVS.

Reijcitur ſententia Fonſecæ, aliorumque Recentiorum, & ſtatuitur noſtra.

FOnſeca 5. met. q. 3. c. 28. ſect. 2. & q. 5. ſect. 3. ait, Vniuerſale non ſolùm dari dependenter, verùm etiam independenter ab intellectu. Quod vt probet, ita philoſophatur. Natura humana tripliciter poteſt conſiderari. Primò in ſtatu quodam *præciſionis, & ſecundùm ſe*, ideſt cum nondùm intelligitur contracta, ſeu antequàm contrahatur ad ſingularia, quem ſtatum vocat *poſſibilitatis, & præciſionis ſecundùm ſe*. Secundò in ipſo ſtatu *contractionis*, cum videlicèt natura, vel de facto contrahitur, vel intelligitur contracta ad ſingularia, ideſt vt multiplicata in plura, & hunc ſtatum vocat *contractionis*. Tertiò demùm in ſtatu *obiectiuo*, cum videlicèt natura concipitur, vt abſtracta per intellectum à

ſingularibus, & inferioribus; & hunc ſtatum vocat *abſtractionis*, ſeu *præciſionis formalis*. Hoc poſito, ait, naturam in ſecundo ſtatu non eſſe vniuerſalem, eò quòd in illo non habeat vnitatem; in primo autem & tertio eſſe vniuerſalem; in primo quidem independenter, in tertio verò dependenter ab intellectu. Probat aſſumptum; quia in vtroque hoc ſtatu natura eſt vna apta eſſe in pluribus, eò quòd vel poſſit contrahi ad plura indiuidua, vel poſſit de illis pluribus prædicari.

Sed contrà eſt primò; quia omne poſſibile debet poſſe exiſtere realiter: Illa autem vnitas naturæ humanæ conficta in ſtatu illo primo poſſibilitatis, nullo modo poteſt exiſtere: Ergo non eſt vnitas, quæ ſe teneat ex parte ipſius naturæ humanæ obiectiuæ. Probatur antecedens, quia ſi ponatur à parte rei totum illud, quod concipitur in illo ſtatu, nihil erit aliud, quàm plures homines actu inter ſeſe diuiſi; & per conſequens non erit vnitas: Probo conſequentiam, quia illud, quod conuenit alicui ab intrinſeco, & ſecundùm ſe, ſemper illi conuenit, vt patet in propoſitionibus æternæ veritatis. Ergo ſi hæc vnitas conueniret naturæ humanæ ſecundùm ſe, ſemper illi conueniret; quod eſt falſum: Secundò contrà eſt; quia natura humana in ſtatu poſſibilitatis, vel dicit illud idem, quod habebit in ſtatu exiſtentiæ, vel aliquid aliud? Si primum. Ergo non dicit vnitatem, quia illam non habebit in ſtatu exiſtentiæ. Si ſecundum. Ergo quamuis dicat vnitatem, illam non dicit ſecundùm ſe, & ab intrinſeco, ſed ab extra, videlicèt ab intellectu.

Præ-

Præterea ſi natura humana dicit vnitatem ab intrinſecò in ſtatu poſſibilitatis, quam deindè non habet in ſtatu exiſtentiæ. Ergo natura humana poſſibilis non eſt illa eadẽ, quæ eſt actu, eò quòd habeat prædicatũ eſſentiale diuerſũ, & per conſequens non eſt eadẽ natura, quæ cõſideratur in triplici illo ſtatu. Quare hæc opinio eſt falſa.

Aliqui Recentiores, vt tueantur, dari Vniuerſale à parte rei, dicunt, dari in rebus eiuſdem ſpeciei vnitatem formalem, ſeu ſpecificam, quam vocant *vnitatem ſecundùm quid*, per quã ità plura ſint vnũ, vt fiant Vniuerſale.

Verùm hæc ſententia reijcietur infrà, quandò probabitur; omnem vnitatem ſpecificam haberi formaliter per intellectum: In præſentia ſatis ſit, antè omnem operationem noſtri intellectus dari quidèm fundamentum ſpecificæ vnitatis, quæ ad ſummum vocari poſſit vnitas fundamentalis; non tamen dari vnitatem aliquã ſufficientem ad conſtituendum Vniuerſale. Nam hæc vnitas tandèm aliquandò nihil eſt aliud, quàm plura indiuidua ſimilia in aliqua ratione, & per conſequens nihil eſt aliud, quàm pluralitas oppoſita vnitati.

Dices. Datur ſimilitudo à parte rei. Sed hęc eſt vnitas formalis, ſeu ſpecifica. Ergo &c. Nego primò minorem. Nam ſimilitudo nihil eſt aliud, quàm plura indiuidua ſimilia in aliqua ratione. Secundò nego maiorem. Quia ſimilitudo formalis, cùm dicat conceptũ comparatiuum vnius cum alio, non datur à parte rei, niſi fundamentaliter. Verùm de hoc fuſiùs in articulo ſequenti.

Prima concluſio. *Non datur Vniuerſale extrà ſingularia, ſeù ſeparatum à ſingularibus*. Eſt contrà Platonem, & Nominales. Probatur, quià prædicata vniuerſalia conſtituunt ſingularia; ſiquidem genus, & differentia conſtituunt eſſentialiter ſpeciem; ſpecies & indiuiduatio conſtituunt indiuiduum. Sed eſſentia non poteſt eſſe extrinſeca. Ergo neque prædicata vniuerſalia, quæ ſunt eſſentialia.

Secunda concluſio. *Vniuerſale non datur antè ſingularia*. Eſt contrà Fonſecam. Probatur, quià Vniuerſale eſt identificatum cum ſingularibus, vt patet in natura humana. Ergo non poteſt eſſe priùs tempore, vel natura ipſis ſingularibus, alioquin eſſet priùs ſe ipſo.

Tertia concluſio. *Non datur Vniuerſale à parte rei, ideſt non datur in ſingularibus, nemine cogitante, ſeù independenter ab omni operatione noſtri intellectus*. Eſt contrà Scotum, Caietanum, & alios. Probatur, quià natura humana e. g. nemine cogitante, non eſt vna in Petro, Paulò &c. Ergo non poteſt eſſe vniuerſalis. Probatur antecedens, quià natura humana, nemine cogitante, nihil eſt aliud, quàm Petrus, Paulus, &c. Sed hi non ſunt quid vnum in ſe, ſed plura realiter, & phyſicè diſtincta. Ergo &c. Probatur conſequentia; nam cui competit vnum ex duobus oppoſitis, non poteſt aliud competere. Vniuerſale autem, & particulare in eodem ordine ſunt duo oppoſita. Ergo ſi naturæ humanæ à parte rei competit eſſe particularem in Petro, non poteſt ei competere, eſſe vniuerſalem; alioquin

ſimul

ſimul, & ſemel conuenirent eidem duo formaliter oppoſita. Præterea quidquid conuenit naturæ ſecundùm ſe, conuenit etiam illis, in quibus ineſt talis natura. Sed natura humana ineſt Petro. Ergo ſi naturæ humanæ Petri conueniret vniuerſalitas, hæc conueniret etiam ipſi Petro, & per conſequens Petrus non eſſet ſingularis, quod eſt abſurdum.

Quarta concluſio. *Omne Vniuerſale logicum datur dependenter ab intellectu*. Probatur ex dictis, quia cùm huiuſmodi Vniuerſale detur, nec poſſit dari in ipſis ſingularibus, ſeu antè, vel extrà illa, nemine cogitante; ſequitur neceſſariò, illud ſolum dari per intellectum. Quomodò autem id fiat, videbitur infrà in art. 8.

Obijcies primò. Petrus, & Paulus eſſentialiter ſunt idem, quià non differunt ſecundùm eſſentiam. Ergo habent vnitatem ſpecificam, ſeu formalem independenter ab intellectu. Sed hæc ſola ſufficit ad rationem Vniuerſalis. Ergo cùm hæc detur à parte rei, à parte rei datur Vniuerſale.

Secundò. Natura humana antequàm contrahatur ad differentias indiuiduales, prò illo priori non eſt in ſe diuiſa, ſed indifferens ad hoc, vt diuidatur, vel non diuidatur ad has, vel ad illas differentias. Ergo eſt vna apta ad eſſendum in multis, & per conſequens eſt vniuerſalis.

Tertiò. Antè omnem operationem intellectus datur obiectum ſciẽtiarum Sed hoc eſt Vniuerſale. Ergo antè omnem operationem intellectus datur Vniuerſale.

Quartò. Potentia eſt prior ſuo actu, etiam nemine cogitante. Ergo priùs eſt, naturam poſſe eſſe in multis, quàm de facto eſſe in multis. Sed in illo priori non eſt diuiſa: Ergo eſt vna.

Quintò. Ariſtoteles in prædic. c. 1. de ſubſt. docet, ſecundas ſubſtantias vniuerſales, quales ſunt genus, ſpecies &c. ſignificare *quale quid*, ſed ſignificare conuenit ſolis vocibus. Ergo ſolæ voces ſunt vniuerſales.

Sextò. Natura humana, nemine cogitante, habet negationem omnium aliarum differentiarum eſſentialiũ, videlicèt hinnibilitatis, rugibitatis, rugibilitatis &c. ſeù diuiſionem ab illis. Ergo eſt vna eſſentialiter, ſeù ſpecificè, ſicut Petrus per hoc, quòd habeat negationem omnium aliarum differentiarum indiuidualium, eſt vnus numerò. Probo conſequentiam, quià ſi diuerſitas eſſentialis eſt aliqua pluralitas, negatio diuerſitatis eſſentialis eſt aliqua vnitas.

Septimò. Quidquid exiſtit eſt ſingulare. Ergo vel non datur Vniuerſale, uel hoc non obſtat ad unitatem ſpecificam, & eſſentialem.

ARTI-

ARTICVLVS QVARTVS.

Soluuntur argumenta contraria. Vbi an ſimilitudo ſit vnitas? Et an detur diſtinctio ſpecifica hominis ab equo, etiam nullo intellectu cogitante?

AD primum negò antecedens. Cùm enim eſſentia Petri ſit identificata cum Petreitate, ſi hæc diſtinguatur à Paulo, etiam illa. Dices primò. Minus differt Petrus à Paulo, quàm ab equo, Ergo habet cum Paulo aliquam unitatem, quam non habet cum equo. Sed hæc datur independenter ab intellectu. Ergo &c. Nego primam conſequentiam. Nam minor differentia prouenit à maiori ſimilitudine, ſeù conuenientia, in pluribus prædicatis. Hæc autèm conuenientia, ſeù ſimilitudo non eſt unitas formaliter, ſed ſolùm fundamentaliter, ut diximus in art. 3. quia nihil eſt aliud, quàm plura prædicata ſimilia inter ſe diſtincta.

Dices ſecundò. Petrus à parte rei differt ſpecie ab equo, & non differt ſpecie à Paulo, Ergo habet cùm Paulo unitatem ſpecificam. Diſtinguo primam partem antecedentis. Differt ab equo per ſpeciem phyſicam, concedo; per ſpeciem logicam, nego. Et eodem

modo diſtincta ſecunda parte eiuſdem antecedentis, nego conſequentiam. Sicut enim triangulum aureum antè omnem conſiderationem mathematicam differt ſpecie phyſica, & non logica à triangulo argenteo; ità & homo differt ab equo antè omnem operationem intellectiua n ſpecie ſolùm phyſica, quatenus uidelicèt habet diuerſam formam, non autèm ſpecie logica; ideſt quatenus continetur ſub tali genere proximo, ſub quo poſſit de pluribus prædicari; ut quid unum pluribus inexiſtens.

Dices tertiò. Homo ex ſe neque eſt Petrus, neque Paulus, ſed eſt indifferens ad vtrumque: ergo Petrus & Paulus non diſtinguuntur in ratione hominis, adeòque habent vnitatem ſpecificam, ſeu formalem. Diſtinguo antecedens: Si ly *homo* accipiatur formaliter, & reduplicatiuè, concedo. Si accipiatur materialiter, & ſpecificatiuè, nego antecedens. Si accipiatur autem formaliter, & reduplicatiuè, dicit actum intellectus, per quem conſtituitur formaliter in eſſe talem, adeòque nihil probat pro Vniuerſali à parte rei.

Dices quartò. Petrus quatenùs homo non differt à Paulo, quatenus Petrus differt à Paulo: Ergò habet cũ illo vnitatem in ratione hominis, quã nõ habet in ratione Petri, & Pauli. Sed hęc eſt vnitas ſpecifica: Ergò &c.

Reſpondeo primò cum communi, concedendo totũ. Quando enim dico *Petrus quatenùs homo non differt à Paulo*, idem dico ac ſi dicerem, *Petrus quatenus ſubſtat conceptui abſtractiuo hominis vt ſic, non differt à Paulo*, alioquin

lioquin falſum dicerem. Sed hoc inuoluit formaliter conceptum mentis: Ergo &c.

Reſpondeo ſecundò negando antecedens. Nàm ſi ſubtiliter introſpiciatur vis illius propoſitionis, *Petrus quatenùs homo non differt à Paulo*, ſtatim apparebit eius falſitas; facit enim hunc ſenſum illa propoſitio, vt vidimus in Organo philoſophico *Petrus non differt à Paulo, & hoc habet ex eo, quòd ſit homo*, aſſignando prò ratione formali negationis differentiæ, ſeù diſtinctionis à Paulo *eſſe hominem*. Sed hoc totum eſt falſum. Nàm verè Petrus eſt diuerſus homo à Paulo, & diuerſum animal rationale, alioquin non eſſent plures in ratione hominis: Ergo etiàm in ratione hominis formaliter diſtinguuntur. Dicuntur tamen communiter non diſtingui, quatenùs Petrus, & Paulus non veniunt explicitè ſub conceptu confuſo *hominis vt ſic*, adeòque ex vi præcisè huius conceptus diſtingui ab inuicèm non poſſunt. Hoc tamen non facit, quod ſi cognoſcantur deinde conceptu proprio, retento etiàm conceptu illo ſpecifico hominis, ſub quo proximè tamquam ſub ſpecie athoma continentur, quòd inquam, etiam ſub illo non diſtinguantur.

Ad ſecundum negò antecedens. Eſt enim propoſitio de ſubiecto non ſupponente, eò quòd nullus detur ſtatus, in quo ità exiſtat natura humana, vt non ſit diuiſa, & contracta ad ſingularia: Quòd ſi ſupponamus, illam non exiſtere, uerùm quidem eſt, illam non eſſe diuiſam, non tamen proindè eſt verum, illam eſſe indiuiſam,

&

& vnam, quod eſt prædicatum ſolius entis. Illud autem, quod non exiſtit, non eſt ens, ſed non ens.

Ad tertium diſtinguo maiorem. Datur obiectum remotum, & materiale ſcientiarum, concedo; datur obiectum proximum, & formale, nego. Non enim ſcientiæ demonſtrant proprietates, & paſſiones obiecti, niſi quatenùs hoc ſubſtat tali cognitioni propriè talis ſcientiæ per quam fiat obiectum proximum illius. Obiectum autem remotum non eſt Vniuerſale, ſicut eſt proximũ; Et ideo diſtincta eodem modo minori negatur conſeq.

Ad quartum diſtinguo primò antecedens. Potentia phyſica eſt prior ſuo actu, concedo; potentia logica, (cuius nomine intelligimus non repugnantiam ad exiſtendum, quæ eſt identificata cum ipſis rebus) nego antecedens. Et diſtinguo eodem modo conſequens Priùs eſt, naturam poſſe eſſe in multis potentia phyſica, concedo: potentia logica, nego conſequentiam. Diſtinguo ſecundò idem antecedens. Potentia eſt prior ſuo actu prioritate naturæ, transeat: prioritate temporis, nego antecedens. Et diſtincto eodem modo primo conſequenti, nego ſubſumptum antecedens. Cum enim prius, & poſterius natura ſint ſimul tempore, nec poſſint prò eodem inſtanti reali ſimul exiſtere duo contradictoria, non poterit natura prò priori naturæ habere negationem diuiſionis, & prò poſteriori diuiſionem. Reſpondeo tertiò, concedendo ſimpliciter conſequentiam quòd videlicèt priùs ſit, naturam in multis poſſe eſſe, quàm illam eſſe in multis. Hoc tamen nihil infert

con-

contra nos, quia quandò dicitur *natura*, fit unum per intellectum, quo nullatenùs operante, id quod dicitur *natura*, nihil eſſet aliud, quam naturæ, nempè pluralitas entitatum. Quare uel ly *natura* nullam ſonat unitatem, quia non accipitur uniuerſaliter, & per modum unius, uel illam tantùm dicit per intellectum.

Dices contra primam reſponſionem. Priùs concipimus, aliquid non repugnare ad exiſtendum, quàm illud de facto exiſtere. Ergo etiàm potentia logica prior eſt ſuo actu. Diſtinguo antecedens. Priùs concipimus prioritate ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiā, concedo: alia prioritate, nego antecedens. Nam ualet hæc conſequentia, *non repugnat hic actus. Ergo poteſt exiſtere*, quamuis non ualeat hæc alia, *non repugnat hic actus. Ergo exiſtit*. Hæc autem prioritas non facit, quòd natura conſideretur in aliquo ſtatu ſine ſua differentia, ſed oppoſitum, quatenùs uidelicèt in illa hæc habeat rationem conſequentiæ ad illam. Conſequentia uerò debet eſſe ſimul tempore cum ſuo antecedenti, ut probabitur in libris Priorum.

Ad quintum reſpondeo, eodem loco Ariſtotelem docere, ſingularia ſignificare *hoc aliquid*, ideſt indiuiduum, & tamen ſingularia non ſunt ſolæ uoces. Ergo ibi non accipiuntur uoces formaliter prò rebus ſignificatis, ſicut accipitur ſignum prò ſignato, ſed materialiter prò ipſis terminis uocalibus, de quibus hìc non loquimur.

Ad ſextum reſpondeo primò negando antecedens. Dico

Dico enim nemine cogitante, non dari naturam humanam formaliter, vt aliquid pluribus inexiſtens; ſed humanas tantùm naturas materialitèr, ideſt homines. Homines autèm præſcindendo ab omni noſtro conceptu, non ſunt quid vnum in ſe, ſed multiplex; atque adeò corruente eius fundamento, corruit argumentum.

Dices. Entitas Petri connotans negationem omniũ aliarum rerum, eſt eius vnitas numerica. Ergo etiam collectio hominum connotans negationem omnium aliarum rerum notabiliter diuerſarum, eſt vnitas eſſentialis, ſeù ſpecifica talis collectionis. Sed talis collectio datur, nemine cogitante, quià nemine cogitante, dantur homines. Ergo nemine cogitante, datur vnitas eſſentialis, ſeù ſpecifica. Reſpondeo, conceſſo toto primo enthymemate, negando ſubſumptum antecedens. Ratio eſt, quià collectio formaliter dicit non ſolùm obiectum, ſed etiàm actum confusè tendentem in illud; atque adeò ex parte obiecti præſcindendo ab ipſo actu, dantur quidem illa plura, indiuidua, ex quibus per actum intellectus reſultat formalitèr ipſa collectio, ipſa tamen collectio formaliter non datur.

Reſpondeo ſecũdò ad argumentũ principale, negando conſequẽtiam. Nã cùm diuiſio ſit aliquid negatiuũ, eò quòd ſit negatio vnionis, eius negatio debet eſſe indiuiſio, quæ ſit aliquid poſitiuũ, cũ *non ens* nõ opponatur, niſi *enti*. Sed hæc indiuiſio nihil eſt aliud, quã entitas rei, quæ dicitur indiuiſa in ſe. Quarè quamuis natura

humana,

humana,nemine cogitante,habeat diuiſionem ab omni alia differentia eſſentiali, ſeù habeat negationem il:a-rum, aliud non ſequitur ex hoc, quàm entitatem naturæ humanæ eſſe indiuiſam in ſe, ſeù habere aliquam unitatem eſſentialem. Sed entitas naturæ humanæ ſecundùm ſe, nihil eſt aliud, quàm homines. Ergo ex illo antecedenti non ſequitur, niſi homines habere indiuiſionem in ſe, ſeù vnitatem eſſentialem. Hoc autem admiſſo, non ſequitur, admittendam eſſe vnitatẽ ſpecificam. Ergo nihil exinde probatur contrà nos. Ex quo patet etiàm ſecunda reſponſio ad eius confirmationem, videlicèt ex illa ſuppoſitione non ſequi,niſi entitatem materialem collectionis hominum habere vnitatem in ſe, quod vltrò admitto, & nihil eſt aliud, quàm plures vnitates plurium hominum.

Dices primò. Natura humana, ſeù homo, nemine cogitante, non eſt equus, leo &c. Ergo habet negationem hinnibilitatis,rugibilitatis &c. Sed negatio harum differentiarum eſt vnitas ſpecifica,ſeù eſſentialis. Ergo &c. Primò tranſeat conſequentia. Nam,vt toties dixi, natura humana,ſeù homo vniuerſaliter ſumpti non dãtur à parte rei. Secundò nego conſequentiam. Nam vel hæc eſt negatio,vel priuatio? Si primùm. Ergo poſito homine,non poſſent dari tales differentiæ, adeòque coexiſtentia hominis, & equi eſſet Chimæra, quià eſſet equus,& negatio equi,quæ dicũt mutuã incompoſſibilitatem ſimpliciter in ordine ad omne tempus, locum, & ſubiectum. Si verò dicatur ſecundum. Ergo homo

habcret

haberet capacitatem, habendi tales differentias, quamuis illas defacto nō habeat, quia priuatio dicit eſſētialiter capacitatem talis formæ, quam excludit in ſubiecto; in quo ineſt. Vtrumque autem eſt maximum abſurdū: Ergo dicendum eſt, neque homines, neque naturam humanam dicere negationem, ſeu priuationem aliarū differentiarum. Quod ſi recurras ad præciſionem formalem; admittis actum intellectus. Ergo &c.

Dices ſecundò. Vel natura humana dicit tales differentias, vel earum negationes? Non dicit differentias. Ergo negationes. Nego maiorem, quæ ſolùm valet in contradictorijs. *Homo* autem *& equus* non ſunt oppoſiti cōtradictoriè, ſed termini impertinentes. Præterea tranſeat antecedens; Siquidem hæc natura quamuis diceret negationes differentiarum, cùm tamen non detur, niſi per intellectum nihil ſequitur prò Vniuerſali à parte rei.

Dices tertiò. Hæ propoſitiones ſunt contradictoriæ. Ergo debet alterutra uerificari. Nego antecedens. Quamuis enim hæ propoſitiones *vel habet; vel non habet has differentias* ſint contradictoriæ, non tamen ſunt contradictoriæ hæ aliæ propoſitiones; *vel habet has differentias, vel habet earum negationes*, quia utraque ex his poſtremis eſt affirmatiua. Ex primis autem contradictorijs, illa negatiua *non habet* &c ſignificat modum tendendi negatiuum ipſius actus intentionalis, non autèm negationem aliquam obiectiuam, ut uidebimus in metaphyſicis.

Ad

Ad ſeptimum diſtinguo antecedens. Quidquid exiſtit in ſe; eſt particulare, ſeu ſingulare, concedo: quidquid exiſtit per intellectum, nego antecedens. Et eodem modo diſtinguo conſequens. Non datur Vniuerſale à parte rei, concedo; per intellectum, nego conſeq.

Ex dictis patet, non dari Vniuerſale logicum independenter ab intellectu, quia videlicet non poteſt dari aliquid, quod ita in ſe ſit multiplex, vt habeat etiam aliquam vnitatem pluribus inexiſtentem in tali multiplicitate. Vndè ſequitur, omne Vniuerſale logicum eſſe opus intellectiuum. Supereſt igitur ſolum vt videamus quomodò ſe gerat intellectus in illo efformando; & quid ſit illud formaliter, quod illi præſtat intellectus, ſine quo non eſſet Vniuerſale?

ARTICVLVS QVINTVS.

Quænam ſit vnitas requiſita ad faciendum Vniuerſale?

Multa ſunt aduertenda in hac materia. Primum eſt, Vniuerſale per hoc differre à ſingulari; quòd hoc ità eſt vnum, vt non ſit multis communicabile tamquàm inferioribus; at Vniuerſale ità eſt vnum, vt ſit cōmunicabile multis inferioribus. Quarè ad faciendum Vniuerſale, præter vnitatem, requiritur etiam aptitudo

ad

ad eſſendum in multis. Cùm enim Vniuerſale debeat eſſe aliquod totum (vt ait Ariſt. 6. met. t. 31.) debet habere unitatem, ſine qua non eſſet vnum totum, ſed plura indiuidua. Et quià omne totum continet partes, ex quibus fit; ideò Vniuerſale debet eſſe in multis inferioribus, ſaltèm aptitudinalitèr. Nos ergò ut benè intelligamus eſſentiam, & naturam Vniuerſalis, agemus nunc de eius unitate, acturi inferiùs de eius aptitudine ad eſſendum in multis, deque eius prædicabilitate.

Aduertendum ſecundò, unitatem in genere ità definiri *eſt indiuiſio in ſe, & diuiſio à quolibet alio*; quià illud, quod habet unitatem in aliquo ordine, in illo ordine eſt unum tantùm, & eſt diuiſum ab omni alio exiſtente in eodem ordine. E. g. Petrus ideò habet unitatem in ratione hominis, quià in tali ratione eſt unus homo, & cum nullo alio participat.

Tertiò, vnitatem aliam eſſe intrinſecam, & aliam extrinſecam rei. Intrinſeca eſt id, per quod res eſt vna, ideſt tale indiuiduum, & non aliud; & hæc eſt prædicatum eſſentiale, & conſtitutiuum indiuidui, ſeù rei ſingularis, ut eſt e. g. id, per quod Petrus habet formalitèr, ut ſit Petrus, & non alius homo, quod prædicatum in Petro dicitur Petreitas. Vnitas extrinſeca eſt illa, quæ habetur per aliquod rei extrinſecum, adeoque poteſt illi non conuenire, quia non eſt prædicatum illius eſſentiale, Vt eſt e. g. unitas illa, quæ reſultat ex cognitione aliqua confuſa tendente in plura per modum unius, ideſt ſub qua hæc ità confundantur inter ſe, ut ex

ui

ui illius cognitionis non poſſit vnum diſtingui ab alio. Ex eo enim quòd ego cognoſcam *Petrum* ſub conceptu *animalis*, itȧ illum cognoſco, vt ex vi talis cognitionis non poſſim illum diſtinguerę à *Paulo, Ioanne* &c. immò neque ab *Equo, Leone &c.*, atque adeò ſub iſta confuſione *Petrus* videtur eſſe vnum cum his omnibus, quiȧ ſub iſta cognitione non apparet diſtinctio Petri ab his, ſeù pluralitas horum indiuiduorum. Quatenùs ergo *Petrus, Paulus, Equus, Leo* &c. concipiuntur ſub iſta confuſione *animalis vt ſic*, dicuntur vnum vnitate extrinſeca, quiȧ ſcilicèt, quamuis in ſe ſint plura, cognoſcuntur tamen per modum vnius, & abſtrahuntur formaliter à ſingularibus. His poſitis, ſit.

Prima concluſio. *Vnitas intrinſeca non eſt* ſufficiens ad conſtituendum Vniuerſale. Probatur, quiȧ cùm hęc non detur, niſi in ſingularibus, & indiuiduis, excludit omnem aptitudinem ad eſſendum in multis. Petrus enim vt unus homo non poteſt multiplicari in plures homines, de quibus ſingulis ſeorsìm poſſit prædicari, itȧ vt idem Petrus ſit in omnibus. Sed aptitudo eſt prædicatum neceſſarium ad rationem Vniuerſalis. Ergo cũ vnitas intrinſeca illam excludat, excludit etiam rationem Vniuerſalis.

Secunda concluſio. *Vnitas vniuerſalis non eſt vnitas aliqua ficta, & impoſſibilis*. Probatur primò, quiȧ ſi hæc eſſet impoſſibilis, etiam ipſum Vniuerſale eſſet impoſſibile, non enim poteſt aliquid eſſe poſſibile, cuius partes ſunt impoſſibiles. Secundò, quiȧ quotiès poſſumus

habere prædicata realia, non debemus recurrere ad ficta. Sed poſſumus dicere; vnitatem Vniuerſalis eſſe prædicatum reale,vt mox patebit. Ergo &c.

Tertia concluſio. *Vnitas Vniuerſalis non poteſt eſſe conuenientia, ſeu ſimilitudo, quæ dentur in pluribus rebus.* Probatur primô, quia huiuſmodi ſimilitudo, ſeu conuenientia non eſt quid vnum, ſed ſunt plura prædicata ſimilia; nam e. g. quòd paries albus A. ſit ſimilis parieti albo B. non habetur formaliter per ſolam albedinem alterutrius, ſed per albedinem vtriuſque ſimul;adeoque eorum ſimilitudo in ratione albi ſunt plures albedines exiſtentes in illis prò eodem tempore.

Secundò, quia quamuis hæc ſimilitudo poſſet dici aliquo modo vnitas,ad ſummum eſſet *vnitas fundamentalis,*& *ſecundùm quid.* Vnitas autem Vniuerſalis debet eſſe ſimpliciter,& formaliter, vnitas, quia ab Ariſtotele Vniuerſale dicitur *vnum vniuocè, & non æquiuocè*: Ergo &c.

Dices. Similitudo, ſeu conuenientia eſt vnitas fundamentalis, vt conceditur. Ergo eſt vnitas ſufficiens ad Vniuerſale. Nego conſequentiam. Nam vnitas fundamentalis nihil eſt aliud, quàm pluralitas entitatũ ſimilium potentium concipi ſub aliquo conceptu confuſo,ſub quo fiant formaliter vnum. Hoc autem non eſt vnitas formaliter, ſed aptitudo ad vnitatem; ſicut fundamentum domus non eſt formaliter domus.

Quarta concluſio.*Vnitas Vniuerſalis eſt vnitas extrinſeca cognitionis abſtractiuæ, ſeu confuſæ.* Probatur; quia

per

per talem cognitionem ea, quæ ſunt plura in ſe, ità fiunt vnum, vt ſub illa ratione, ſub qua ſunt apta ad eſſendum in multis, non appareant plura. E ſub hac ratione ex vi talis cognitionis habent, vt ſint vnum indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio; & per conſequens quòd ſint *vnum aptum eſſe in multis*, quod eſt formaliter Vniuerſale, vt patet in exemplo allato Petri, Pauli, Equi &c. quatenùs concipiuntur ſub conceptu *animalis vt ſic.*

Obijcies primò. Eſt impoſſibile, quòd idem ſit vnũ, & multiplex. Ergo eſt impoſſibile, quòd idem ſit vnum aptum eſſe in multis.

Secundò. Vnitas vniuerſalis eſt aliquid negatiuum. Ergo non poteſt eſſe vnitas extrinſeca cognitionis abſtractiuæ, quæ eſt aliquod poſitiuum.

Tertiò. Omne obiectum antecedit potentiam, & eius actum, quià eſt menſura perfectionis vtriuſque. Sed Vniuerſale eſt obiectum intellectus. Ergo debet antecedere omnem ipſius actum, adeòque ipſius vnitas non poteſt fieri per actum intellectiuum.

Obijcies quartò. Eſt de ratione vnitatis, vt dicat negationem pluralitatis in eo genere, in quo obiectum eſt vnum. Sed unitas cognitionis abſtractiuæ non dicit negationem pluralitatis in eo genere, in quo dicitur una; quià natura humana. e. g. ſub hoc conceptu, ſub quo eſt una, admittit multiplicitatem plurium hominum, de quibus poteſt prædicari. Ergo unitas cognitionis abſtractiuæ non ſufficit ad Vniuerſale.

Quintò. Quidquid eſt in rerum natura, præter Deũ,

certo loco, & tempore circumſcribitur. Sed Vniuerſalia nullo loco, & tempore circumſcribuntur. Ergo non dantur.

Sextò. Vnitas eſt pars eſſentialis naturæ Vniuerſalis. Ergo eſt illi intrinſeca, adeòque non poteſt haberi per cognitionem extrinſecam abſtractiuam.

Septimò. Nemo dat, quod non habet. Ergo cùm cognitio abſtractiua in ſe non habeat unitatem uniuerſalem, non poteſt illam naturæ communicare.

Octauò. Si Vniuerſale fieret per cognitionem abſtractiuam, tot eſſent Vniuerſalia, quot ſunt cognitiones abſtractiuæ. Conſequens eſt abſurdum, quia poteſt eadem natura cognoſci pluribus cognitionibus abſtractiuis. Ergo & antecedens.

Nonò. Vniuerſale non poteſt fieri, niſi priùs cognoſcantur illa plura, ex quibus abſtrahitur natura uniuerſalis. Ergo cognitio abſtractiua ſupponit cognitionem claram inferiorum. Sed hæc pugnat cum Vniuerſali. Ergo per cognitionem abſtractiuam non poteſt fieri Vniuerſale.

Decimò. Natura uniuerſalis, quæ eſt eſſentialiter multiplex, concipitur ut una numero, & ſingularis. Sed eſt impoſſibile, quòd aliquid eſſentialiter multiplex concipiatur ut unum numerò per unitatem ueram. Ergo concipitur ut una numerò unitate aliqua ficta; adeòque hæc requiritur ad Vniuerſale, non autem unitas, quæ habeatur per cognitionem abſtractiuam.

Ad primum diſtinguo antecedens. Eſt impoſſibile, quòd

quòd idem ſit multiplex, & unum in ſe unitate intrinſeca, concedo; Vnitate extrinſecâ, nego antecedens, & cum illo conſequentiam propter rationem infrà afferendam.

Ad ſecũdum nego antecedens primò, quià ex 4. met. c. 2. t. 3. dicitur, idē eſſe omninò hominem, & unum hominem. Ergo unus homo nihil dicit ſuprà hominem, ſed dicit ſolam eius entitatē, quæ eſt aliquid poſitiuum. Secundò, quià unitas de ſuo conceptu formali non dicit eſſe aliquod negatiuum, non ſolùm quià in Deo eſt maxima perfectio, quod non eſſet, ſi eſſet aliquid negatiuũ; uerùm etiàm quià unitas eſt paſſio entis, ut ueritas, & bonitas, & per conſequens eſt formaliter ens, adeòque aliquid poſitiuum.

Ad tertium diſtinguo maiorem. Obiectum materialitèr, & ſpecificatiuè sũptũ, antecedit potētiam, concedo: formaliter, & reduplicatiuè, nego maiorem. Et diſtinguo minorem. Vniuerſale materialiter ſumptum eſt obiectum intellectus, nego: formaliter ſumptum eſt obiectum intellectus, concedo minorem; & nego conſequentiam. Vniuerſale autem materialiter ſumptum, quamuis antecedat omnem actum intellectus, non tamen eſt quid unum, ſed plura.

Ad quartum, nego maiorem, eo quòd ſufficienter ſaluetur formaliter unitas per præciſionem formalem obiecti à ſingularitatibus; alioquin nullum daretur Vniuerſale, quià nihil datur, quod ità uerè ſit intrinſecè unum, ut in eodem genere uerè ſit etiam multiplex.

Quid ſit autem hæc præciſio formalis, patebit infrà.

Ad quintum, diſtinguo maiorem. Omnia præter Deum circumſcribuntur loco, & tempore, quoàd prędicata intrinſeca, & eſſentialia, concedo: quoàd prædicata etiàm extrinſeca, & accidentalia, nego maiorē. Et eodem modo diſtincta minori, diſtinguo etiam conſequens. Non dantur Vniuerſalia intrinſecè, & à parte rei, concedo; extrinſecè, & per intellectum, nego conſequentiam.

ARTICVLVS SEXTVS.

Soluuntur poſtrema quinque argumenta. Vbi quæritur, an Vniuerſale multiplicetur ad multiplicationem abſtractionum? & an ſimplex apprehenſio confuſa diſtinguatur ſpecie à iudicio confuſo?

AD ſextum diſtinguo antecedens. Vnitas eſt pars eſſentialis naturæ vniuerſalis ſpecificatiuè, ſeù primò intentionaliter ſumptæ, nego; reduplicatiuè, & ſecundò intentionaliter acceptæ, concedo antecedens. Natura ſiquidèm humana e. g. ſpecificatiuè nihil eſt

aliud,

aliud, quām Petrus, Paulus &c. atque adeò nullam dicit vnitatem omnibus communem; reduplicatiuè autèm dicit ipſam abſtractionem formalem intellectus, à qua accipit vnitatem. Quarè vnitas eſt quidem intrinſeca concreto intentionali conflato ex eo, quod eſt natura humana à parte rei, quod eſt multiplicitas, & ex eo quod accipit ex intellectus abſtractione, quod eſt unitas, quod concretum dicitur *vnum*, ſeù *Vniuerſale*; non autem eſt intrinſeca ipſi naturæ, ſecundùm id, quod eſt in ſe, & eſt ſubiectum talis concreti. Eo planè modo, quo cognitio eſt pars intrinſeca concreti, quod dicitur *cognitum*, non autèm parietis, qui cognoſcitur, & eſt ſubiectum concreti.

Ad ſeptimum diſtinguo conſequens. Cognitio abſtractiua non habet vnitatem uniuerſalem in eſſendo, concedo: in præſentando, nego conſequentiam. Quāuis enim ſit una in ſe cognitio, tamen plura repræſentat.

Dices. Vnitas in repræſentando, non eſt unitas in eſſendo. Ergo per illam non poteſt conſtitui Vniuerſale in eſſendo. Diſtinguo antecedens. Vnitas in repræſentando, non eſt unitas in eſſendo in ipſo repræſentante, concedo: in obiecto repræſentato, nego antecedens. Ad hoc enim, ut plura non ſolùm repræſentientur, ſed ſint unum extrinſecè, nihil requiritur aliud, niſi quòd cognoſcantur confusè, & abſtractiuè, ſeù per modum unius. Quarè eadem unitas, quæ reſpectu cognitionis confuſæ eſt unitas uniuerſalis in repræſentando, reſpe-

ctu naturæ præciſæ eſt unitas uniuerſalis in eſſendo; quià ex ui illius unitatis habet, ut ſit una extrinſecè; & concipitur ut una pluribus inexiſtens.

Vrgebis. Cognitio abſtractiua repræſentat plura ut unum. Ergo non eſt uniuerſalis in repræſentando. Nego conſequentiam. Quamuis enim non repræſentet pluralitatem explicitè, adhuc tamen repræſentat aliquid, quod conuenit pluribus, ut patet in natura humana, quæ ità realiter ſunt omnes homines, ut formaliter prædicetur de omnibus, & ſingulis.

Ad octauum nego ſequelam maioris. Primò, quià ad multiplicationem concreti non ſufficit multiplicatio formæ, ſed præterea requiritur multiplicatio ſubiecti. Si enim plures animæ rationales ponerentur in eadem materia organizata, non proindè darentur plures homines, niſi inadæquatè, & ſecundùm quid, quod non facit ad rem. Præterea idem paries à pluribus uiſus facit unum uiſum, non plura. Ita eadem plura cognita pluribus cognitionibus per modum unius, faciunt idem Vniuerſale.

Deinde quia cognitio abſtractiua eſt quidem cauſa efficiens Vniuerſalis, non autem illius conſtitutiuum intrinſecum. Sicut ergo idem eſt ignis, ſiue accendatur à Sole, ſiue ab alio igne, quià per hoc non uariatur penès intrinſeca. Ita & Vniuerſale non uariatur intrinſecè per uariationem extrinſecam ſolius efficientis.

Dices primò. Ad multiplicationem abſtractionum multiplicantur unitates reſultantes in natura uniuerſali,

per

per quas formaliter fit una. Sed hæ unitates ſunt intrinſecæ Vniuerſalibus: Ergo multiplicantur Vniuerſalia. Nego maiorem. Nam cùm unitas opponatur diuiſioni; tot ſunt unitates, quot excluduntur diuiſiones. Atqui una tantùm, & ſemper eadem diuiſio excluditur differentiarum inter ſe, quæ fiunt unum per cognitionem abſtractiuam: Ergò una tantùm eſt unitas, & ſemper eadem, ſicut ſemper eſt eadem natura. Quarè cùm ſemper ſint eadem extrema naturæ humanæ, & eadem unitas, ſeu uniuerſalitas, ſemper erit idem Vniuerſale, cùm ſolum uarietur illius cauſa efficiens, quæ eſt extrinſeca; non autem formalis, uel materialis intrinſeca.

Dices ſecundò: Tot ſunt entia realia, quot ſunt reales exiſtentiæ. Ergo tot ſunt entia rationis logica, quot ſunt exiſtentiæ obiectiuæ: Sed hæ multiplicantur ad multiplicationem conceptuum. Ergo etiam ipſa entia rationis logica, inter quæ recenſetur Vniuerſale. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt; quia exiſtentia realis eſt intrinſeca rebus; adeoque eius uarietas facit uarietatem intrinſecam. At exiſtentia obiectiua eſt extrinſeca, quia nihil eſt aliud, quàm rerum cognitio, & per conſequens non uariat entitatem intrinſecam ipſius cogniti.

Dices tertiò: Simplex apprehenſio confuſa eſt diuerſa ſpecie à iudicio confuſo eiuſdem obiecti: Sed vtraque cognitio facit Vniuerſale, & unum eſt diuerſum ab alio. Ergo per ſolam uariationem abſtractionum variantur, & multiplicantur Vniuerſalia. Diſtinguo maio-

maiorem. Simplex apprehenſio confuſa eſt diuerſa, ſpecie phyſica à iudicio confuſo, concedo; Specie logica, nego maiorem. Et eodem modo diſtincta minore quoad ſecũdam partem, quòd videlicèt hæc Vniuerſalia eſſent diuerſa ſpecie phyſica, non autem logica, nego conſequentiam. Prò quo nota, illa differre ſpecie phyſica, quæ habent diuerſam materiam, vel diuerſam formam phyſicam, quæ ſunt prædicata eſſentialia ſpeciei phyſicæ, vt dictum eſt ſupra in art. 4. Et ſic circulus ligneus differt ſpecie phyſica à circulo ferreo, quià quamuis vtrique conueniant eadem prædicata eſſentialia circuli, adeòque mathematicè non differant, habent tamen diuerſam materiam. Illa verò differunt ſpecie logica, quæ ſolùm differunt ſecundùm genus, & differentiam, quæ ſunt prædicata eſſentialia ſpeciei logicæ. Quare illi duo circuli non differunt ſpecie logica, quia vtriq; conuenit eadem definitio circuli. Ex quo ſequitur, quòd cùm iudicium confuſum conueniat cum ſimplici apprehenſione in genere cognitionis, & in differentia tendendi confuſè in idem obiectum, nō differunt ſpecie logica, ſed tantùm ſpecie phyſica, quatenùs videlicèt illud affirmat, hæc autèm minimè.

Dices quartò, Iudicium eſt cognitio compoſitiua, vel diuiſiua, quod non conuenit ſimplici apprehenſioni, quæ ſimplici intuitu fertur in obiectum. Ergo habent diuerſas differentias, adeoque differunt etiam ſpecie logica. Diſtinguo conſequens. Habent diuerſas differentias,

rentias, ſi accipiantur materialiter, & ſpecificatiuè, cócedo. Sin autem accipiantur formaliter, & reduplicatiuè vt cognitiones confusæ, nego conſequentiam. Dico igitur, harum cognitionum compoſitionem, ſiue ſimplicitatem conſtituere formaliter illas in eſſe ſpecie phyſica differentes, videlicèt intrinſecè ſub proprijs conceptibus, non autem ſub conceptu iſto communi cognitionis confuſę. Eo planè modo, quo rationalitas, & hinnibilitas faciunt quidem formaliter, quòd homo diſtinguatur ſpecie ab equo ſub conceptu proprio; non autem, quòd ab inuicem ſpecie diſtinguantur ſub conceptu animalis. Quare cùm vtraque hæc cognitio faciat Vniuerſale vt confuſa eſt, non autem vt eſt talis cognitio; Ideo vt facientes Vniuerſale, ſpecie non diſtinguuntur, niſi phyſicè, vt diximus. Præterquamquòd etiamſi verè etiam logicè diſtinguerentur ſpecie hæ duę cognitiones, adhùc nihil probaretur contra nos, quia Vniuerſale ex illis intrinſecè non conſtituitur, vt nuper diximus, ſed ſolùm efficienter, & extrinſecè.

Dices demùm. Diuerſum efficiens diuerſum facit effectum. Ergo ſi eſt diuerſa cognitio, oritur diuerſa vnitas. Sed hæc eſt pars intrinſeca Vniuerſalis. Ergo ex ſola variatione cognitionis ſequitur variatio intrinſeca Vniuerſalis. Primò nego antecedens. Nam idem numerò calor, qui fit ab igne, potuit à ſole fieri. Deinde diſtinguo antecedens. Diuerſum efficiens facit effectũ diuerſum phyſicè, concedo: diuerſum logicè, nego. Ná, (vt dictum eſt) triangulum aureum æquilaterum eiuſ-

dem

dem magnitudinis cum argenteo, logicè ſunt eiuſdem ſpeciei, quamuis phyſicè differant. Et ideo diximus in reſponſione ad primam replicam huius argumenti, non multiplicari vnitates Vniuerſalis, etiamſi concedatur multiplicatio cognitionum abſtractiuarum. Recenſeantur ea, quæ ibi diximus ad hanc rem.

Ad nonum diſtinguo primò antecedens. Non poteſt fieri Vniuerſale, niſi prius cognoſcantur illa plura per ſenſum, concedo: niſi priùs cognoſcantur per intellectum, nego antecedens, & cum illo conſequentiam. Diſtinguo iterùm idem antecedens. Vniuerſale non poteſt fieri, niſi priùs cognoſcantur clarè ea plura, ex quibus abſtrahitur natura vniuerſalis, nego: niſi priùs cognoſcantur confusè, concedo antecedens; & nego conſequentiam.

Dices. Ergo priuſquàm cognoſcantur confusè, debent confusè cognoſci. Diſtinguo conſequens: Per diuerſam cognitionem, concedo: per eamdem, nego conſequentiam. Præterquàmquòd poſſet etiàm abſolutè negari illud antecedens. Nam ad hoc, vt abſtrahatur ratio communis à pluribus, ſatis eſt, quòd alia plura illi ſimilia fuerint cognita, non autem eſt neceſſe, quòd eadem numerò cognoſcantur. Et ideo Angeli cùm cognouerint clarè aliquos actus liberos in Deo, ex ijs determinantur ad alios obſcurè cognoſcendos, quod idem dico de creaturis poſſibilibus.

Ad ſolutionem decimi duo præmitto: Primum eſt, aliud eſſe cognoſcere aliquid vt vnum, & aliud cogno-

ſcere

ſcere in illo vnitatem, ſicut aliud eſt, aliquem cognoſcere vt ſenem, & aliud cognoſcere in illo ſenectutem. Nam cognoſcere A vt vnum, eſt habere cognitionem, quæ terminetur ad ipſum A. tamquàm ad obiectum, ità tamen vt ſpecies concurrentes ad talem cognitionẽ, non ſint ipſius A, ſed vnius in genere. Cognoſcere autem vnitatem in A, eſt habere cognitionem, quæ terminetur, tamquàm ad obiectum, ad vnitatem ipſius A., ità vt ſpecies concurrentes ad talem cognitionem, ſint ſpecies vnitatis ipſius A., ſicut cognoſcere Deum vt Senem, eſt habere cognitionem terminatam ad Deũ, quæ cognitio originem traxerit à ſpeciebus Senis vt ſic. Et ideò quandò Deus hoc modo cognoſcitur, dicitur abſtractiuè cognoſci, quià videlicèt non cognoſcitur per ſpecies proprias ipſius Dei, ſeù ſenectutis, quæ verè exiſtat in Deò, ſed per ſpecies ſenectutis exiſtentis in alio extrà Deum. Hoc poſito, quandò quæritur quid cognoſcatur, non quæritur, quidnam ſit illud, cuius ſpecies concurruut ad cognitionem, ſed illud, ad quòd ipſa cognitio terminetur tamquàm ad obiectum.

Alterum, quod præmitto eſt, aliud eſſe cognoſcere plura vt vnum directè, & aliud cognoſcere plura vt unum reflexè. In primo enim caſu non ſupponitur unitas in obiecto cognito, ſed fit formaliter practico quodam modo per ipſammet cognitionem, eo modo, quo cum Sacerdos conſacrans panem in ſacroſanctum corpus Chriſti Domini, uerè dicit, *Hoc eſt corpus meum.*

idest

ideſt Chriſti, non quia attingat Chriſti Corpus antecedenter inibi exiſtens, ſed quia in illud per ipſa uerba panem tranſubſtantiat. At in ſecundo caſu cognitionis reflexæ ſupponitur unitas in obiecto, & non fit. E g. cognitio A. animalis *vt ſic*, directè tendens in Petrum, leonem, equum &c. per hoc præcisè, quòd tendat in hæc omnia confusè, refundit illis unitatem extrinſecam, eò quòd illa denominet unum, quamuis in ſe ſint plura, uidelicèt *Petrus*, *equus*, *leo &c.* Cognitio autèm reflexa B, per quam cognoſco Petrum, leonem, & equum, pròut terminant ipſam cognitionem A., non attingit hæc tria, niſi quatenùs repræſentantur per ipſam cognitionem A., quæ eſt obiectum immediatum cognitionis B. Ergo cùm in cognitione A non appareant Petrus, leo, & equus, ut ſunt in ſe, eò quòd cognoſcantur confusè, & per modum unius, ideò cognitio B. nihil habet, quod refundat unitatis in illa, quæ iàm inuenit facta unum formaliter extrinſecè per cognitionem A. quam ipſa ſupponit.

His præmiſſis, tripliciter reſpondeo ad argumentum. Primò diſtinguendo maiorem. Natura vniuerſalis cõcipitur vt unà numerò directè, & formaliter, concedo: reflexè, & obiectiuè, nego maiorem. Et eodem modo diſtincta minori, nego conſequentiam. Secundò diſtinguo alitèr eamdem maiorem. Natura uniuerſalis concipitur ut una numerò, ideſt per ſpecies rei ſingularis, & ad modum illius, concedo: concipitur in illa unitas, ſeù ſingularitas, nego maiorem. Et diſtincta eodem modo

minori,

minori, nego conſequentiam. Sicut enim dùm cognoſco Patrem æternum vt ſenem, verè non cognoſco ſenem, ſed Deum per ſpeciem ſenis; ità dùm cognoſco naturam vt unam, & ſingularem, non cognoſco unitatem, & ſingularitatem, ſed pluralitatem per ſpecies unitatis, & ſingularitatis. Tertiò diſtinguo minorem. Eſt impoſſibile, quòd aliquid eſſentialiter, & intrinſecè multiplex, concipiatur vt vnum intrinſecè, & eſſentialiter vnitate vera, concedo: extrinſecè, & accidentaliter unitate cognitionis, nego minorem, & cum illa conſequentiam. Ex quo patet, argumentum eſſe undequaquè ſolubile.

Ex dictis ſequitur, Vniuerſale eſſe terminum ſecundę intentionis, eò quòd ſignificet plura indiuidua vt unum, non ſecundùm vnitatem, quam habent in ſe, at ſecundùm unitatem, quam habent ex cognitione abſtractiua.

Vidimus uſquè adhùc, Vniuerſale fieri per cognitionem abſtractiuam, ſeù præciſiuam formaliter, uidendum ſupereſt, quid ſit, & quomodò fiat hæc abſtractio, ſeù præciſio formalis?

ARTI-

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Quid ſit Abſtractio, ſeù cognitio abſtractiua? Vbi multa inſeruntur de natura, & cauſa claritatis, & obſcuritatis in cognitionibus. Et ſtatuitur, ad Vniuerſale non requiri cognitionem reflexam negationis inferiorum.

ABſtractio propriè ſonat ſeparationem unius ab alio. Hæc autèm eſt duplex, alia realis, ſeù phyſica, qua realiter unum ſeparatur ab alio, ut cum anima noſtra per mortem ſeparatur à corpore: alia intentionalis, & eſt illa, qua aliquid, non quidem realiter, & à parte rei, ſed ſolùm intentionaliter, uidelicet per aliquam cognitionem ſeparatur ab alio; & de hac agemus in præſentia.

Abſtractio igitur intentionalis alia eſt præciſiua, & alia negatiua. Negatiua eſt illa, qua unum negamus de alio, ſiuè hoc fiat uerè, ſiuè falsò, & per conſequens eſt ſecunda operatio intellectus, ſeù iudicium, ut eſſet. e. g. hæc *homo non eſt lapis*; per hanc enim propoſitionem ſeparamus intentionaliter lapidem ab homine.

Quæ

Digitized by Google

Quæ ſeparatio conſiſtit in hoc, quòd ſi deindè per actum reflexum cognoſcamus hanc cognitionem, videmus in eius obiecto non vnum, ſed duo vt duo. Sicut enim per actum affirmatiuum componimus vnum cum alio, & quodammodò de duobus facimus vnum, ità per actum negatiuum ſeparamus vnũ ab alio, & ex uno quodammodo facimus duo. Et ideò affirmatio dicitur compoſitio, & negatio diuiſio intentionalis. Abſtractio præciſiuà eſt illa, qua ex pluribus identificatis, ſeù inter ſeſe eſſentialiter connexis vnum cognoſcimus, & alia prætermittimus, vel quià ex parte obiecti illa non cognoſcamus, ſed illa obiectiuè præſcindamus; vel quià ità illa confusè cognoſcamus, vt perindè ſe habeãt in ordine ad ſcientias, & prædicationes factibiles de talibus pluribus, ac ſi verè illa non cognoſceremus.

Hinc inſtituitur quæſtio, an quando fit hæc præciſio, verè præſcindatur intentionaliter obiectum per præciſionem, quæ dicitur *obiectiua*, ideſt quæ ſe teneat ex parte obiecti, & faciat vt vna pars obiecti cognoſcatur, & alia non cognoſcatur; an verò ſolùm præſcindatur formaliter, ideſt fiat ità, vt quamuis totum cognoſcatur obiectum per eãdem cognitionem, tamen ſecundùm vnam formalitatem cognoſcatur clarè, & ſecundùm aliam cognoſcatur obſcurè, & confusè, ità ut de illa reddi ratio non poſſit? Vndè multi admittentes vt poſſibiles huiuſmodi obiectiuas præciſiones non ſolùm in diuinis, verùm etiàm in creatis, occaſionem ſumpſere, dicendi, Vniuerſale fieri per præciſionem obiecti-

X uam,

uam, qua ſcilicèt per intellectum ex parte obiecti præſcindatur ratio aliqua vniuerſalis à ſuis interioribus. Nos hic ſupponendo, huiuſmodi præciſionem obiectiuam, ſaltèm in creatis, non eſſe admittendam, de qua inſtituimus peculiarem tractatum in fine huius libri, tātùm agimus in præſentia de abſtractione facta per præciſionem formalem, quam ſufficientem aſſerimus, vt infrà probabimus, ad conſtituendum Vniuerſale.

Hæc igitur abſtractio, ſeù præciſio formalis attingit obiectum, ſecundùm aliquod prædicatum genericum, præſcindendo ab omni prædicato ſpecifico, ſeù indiuiduali illius; & ideò dicitur abſtractiua, eò quòd abſtrahat, & quodammodò ſeparet intentionaliter *Petrum* e.g. non ſolum à *petreitate*, quod eſt prædicatum proprium ſolius Petri, ſed etiam à *rationali*, quod eſt prædicatum ſpecificum, & proprium cuiuslibet hominis; & ſolùm attingat *animal*, quod eſt commune etiàm alijs, quæ neque ſunt *Petrus*, neque *homo*. Ex quo ſequitur, omnem cognitionem abſtractiuam eſſe cōfuſam, & obſcuram, eò quòd confundat obiectum cognitum cum multis alijs. Cùm .n. omne diſtinctiuū habeatur per differentias, ſi per hanc cognitionem abſtrahitur à differentijs, ſeparatur ab omni diſtinctiuo, & per conſequens obiectum remanet ab alijs indiſtinctum, videlicèt cum illis confuſum, vt patet in exemplo allato: Poſito enim quòd à Petro ſeparetur intentionaliter *petreitas*, Petrus confunditur cum Paulo, Ioanne &c., à quibus diſtinguitur ſolùm per petreitatem. Et poſito quòd ſeparetur

ab

ab illo *rationalitas*, confunditur cum equo, leone &c. à quibus diſtinguebatur ſolùm per rationalitatem.

Vndè patet, omnem cognitionem abſtractiuam eſſe confuſam, quià ſcilicèt omnis huiuſmodi cognitio confundit, ſeù permiſcet obiectum cum multis alijs, vt nuper diximus. Quamuis enim illud à multis diſtinguat, non tàmen illud diſtinguit ab omni eo, à quo poteſt diſtingui tale obiectum, ſed illud confundit cum multis alijs, quæ non ſunt tale obiectum. Quando enim cognoſcitur *Petrus* ſub cognitione dicta *animalis* (vt ſiſtamus in eodem exemplo) ex vi huius cognitionis poteſt quidem *Petrus* diſtingui ab omni eo, quod non eſt *animal*, videlicèt à lapide ligno &c., non tamen poteſt diſtingui à leone, equo, immò neque à Paulo, Ioanne &c., quià cum his confunditur.

Ex quo facilè erit deprehendere, vndè proueniant obſcuritas, & claritas cognitionum; Ea quippè eſt obſcurior, quæ eſt confuſior, non quòd ipſa cognitio confundatur cum alijs, ſed quòd ipſa confundat obiectum cum pluribus alijs; Et ea eſt clarior, quæ à pluribus diſtinguit. Quarè ſicut menſura obſcuritatis eſt confuſio obiecti, & menſura confuſionis eſt abſtractio, ſeù vniuerſalitas; ità menſura claritatis eſt diſtinctio; & menſura diſtinctionis eſt ſingularitas, ſeù particularitas. Et ideò eò eſt obſcurior cognitio, quò eſt confuſior; & eò confuſior, quò eſt vniuerſalior; & vice uerſa eò eſt clarior, quò particularior, quià ſcilicet illa à paucioribus, h autem à pluribus diſtinguat obiectum cognitum. ac

ſicut enim viſio denominatur clara, vel obſcura à permixtione, vel diſtinctione obiecti viſi ab alijs non viſis; ità & cognitio. E.g. cognitio *hominis* eſt multò clarior, quàm cognitio *animalis*, quià hæc diſtinguit ſolùm ab omni non *animali*, illa verò etiam ab omni *non homine*; & cognitio *animalis* eſt multò clarior, quàm cognitio *viuentis*, quià hæc non diſtinguit obiectum à *planta*, à qua diſtinguit cognitio *animalis*; & ſic de reliquis vſque ad cognitionem vniuerſaliſſimam *entis vt ſic*, quæ eſt omnium obſcuriſſima, & confuſiſſima, ſicut è conuerſo cognitio indiuidui eſt omnium clariſſima.

His poſitis, quæritur, an ad Vniuerſale requiratur cognitio reflexa cognitionis inferiorum? Ratio dubitandi eſt, quià aliquis ingenioſus Recentior putat, vnitatem Vniuerſalis non conſtitui ſufficienter per cognitionem aliquam abſtractiuam, quæ ſolùm præſcindat formaliter naturam à ſingularibus, ideſt quæ ſolùm repræſentet naturam, non repræſentando ſingularia, ſeù præſcindendo formaliter ab illis. Hæc enim (vt ipſe ait) ſolùm ponit naturam in ſtatu obiectiuo, & intentionali, non autèm tollit differentias inferiores.

Hoc autèm ſic probare conatur. Omnis forma poſitiua realis non dat primò, & per ſe, niſi effectum formalem poſitiuum. Sed effectus formalis poſitiuus cognitionis abſtractiuæ eſt repræſentare naturam, non repræſentatis inferioribus. Ergo cognitio abſtractiua non tollit inferiora. Tum ſic. Non tollit inferiora. Ergo eſt compoſſibilis cum illorum cognitione. Sed nulla

nulla cognitio compoſſibilis cum cognitione ſingularium conſtituit formaliter Vniuerſale. Ergo cognitio abſtractiua non conſtituit formaliter Vniuerſale. Probat minorem, quia Vniuerſale opponitur contradictorie, ſaltẽ virtualiter, ſingulari, quatenùs videlicèt illud eſt communicabile, hoc verò minimè. Sed nulla cognitio compoſſibilis cùm cognitione ſingularium conſtituit formaliter naturam cõmmunicabilem. Ergo neque conſtituit Vniuerſale.

Confirmat hoc, quià natura cùm ſit de facto contracta ad ſingularia, debet illis ſpoliari, vt fiat vniuerſalis. Ad hoc autèm vt ſpolietur illis, non ſatis eſt, ſi concipiatur præciſiuè ab inferioribus, ſed debet concipi cum illorum negatione, ſicut ad hoc, vt concipiatur aliquod corpus ſpoliatum veſtibus, non ſatis eſt quòd concipiatur cum præciſione formali veſtium, ſed debet concipi cum negatione illarum. Ergo &c. Prætereà cognitio præciſiua de ſe nihil aliud habet, quàm non repræſentare differentias. Non repræſentare autèm non eſt ſpoliare naturam differentijs, ſicut albedo, quamuis non conſtituat ſubiectum formaliter calidum, non ideò dicitur illud ſpoliare calore.

Ait igitur, Vniuerſale formaliter, & proximè, conſtitui per cognitionem reflexam, quæ poſitiuè cognoſcat in naturà abſtracta negationem ſingularium, & per cognitionem præciſiuam, ſeù abſtractiuam conſtitui Vniuerſale ſolùm remotè, & fundamentalitèr. Hæc ſententia, quamuis ingenioſa, mihi non placet. Et ideò

contrà illam ſit.

Concluſio. *Ad eſſentiam, & naturam Vniuerſalis non eſt neceſſaria cognitio reflexa negationis inferiorum*, Probatur, quià poſito quòd poſſimus ſaluare ſufficienter eſſentiam Vniuerſalis, illiuſque diſtinctionem à ſingulari per ſolam cognitionem præciſiuam, fruſtrà, & ſine vllo fundamento requiritur, vt neceſſaria alia cognitio, per quam poſitiuè cognoſcatur negatio ſingularitatũ. Quòd autèm poſſimus ſufficienter ſaluare eſſentiam Vniuerſalis per ſolam cognitionem præciſiuam, probatur, quià ſub cognitione præciſiua formaliter non poteſt vnum diſtingui ab alio, ſiuè poſitiuè dicendo *hic eſt Petrus, ille Paulus &c.* ſiuè negatiuè, negando vnum de alio, dicendo *hic non eſt Petrus, ille non eſt Paulus &c.* ideò ſub tali cognitione hæc plura, quæ attinguntur, non apparent vt plura, quià ſi apparerent ut plura, poſſet dici de ſingulis, *hoc non eſt illud*. Ergo apparent ut unum, non quidem unitate illis intrinſeca; per hoc enim quòd cognoſcantur hoc modo confusè, non proinde mutantur intrinſecè, ſed remanent ſemper eſſentialiter plura. Ergo apparent ut unum unitate illis extrinſeca, quæ ſcilicèt habeatur à tali cognitione, non potente propter ſuam confuſionem unum diſtinguere ab alio. Hæc autem unitas cùm ex una parte ſit ſimpliciter unitas, eò quòd faciat obiectum indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio, & ex alia parte non tollat multiplicitatem intrinſecam, & eſſentialem obiecti, quod per illam denominatur extrinſecè unum, ideò

ſufficit

ſufficit ad conſtituendum formaliter Vniuerſale.

Ad fundamenta contraria dico, cùm illa omnia ſupponant aliquod falſum, videlicèt ad Vniuerſale requiri, quòd natura ſpolietur ſuis inferioribus, nulla alia reſponſione corruere, quàm negando ſuppoſitū, quod nō ſolū non probatur, ſed neq; poteſt probari, eo quòd redderet omninò impoſſibile Vniuerſale. Qui enim fieri poteſt, vt natura humana. e.g., quæ in ſe nihil eſt aliud, quàm Petrus, Paulus &c., ex ui alicuius cognitionis illis de facto ſpolietur? Si hoc fieret, vtiquè natura ſeipſa ſpoliaretur. Præterquamquòd ſpoliatio eſt circa veſtes, quæ adiacent corpori tamquàm aliquid non ſolùm extrinſecum, ſed etiàm accidentale. At inferiora neque ſunt accidens naturæ, neque extrinſecum. Ergo illis natura ſpoliari non poteſt. Tertiò. Si ad Vniuerſale requiritur unum in multis, requiritur etiàm multiplicitas tamquàm pars illi intrinſeca. Non ergo debet illa ſpoliari.

Ad primum ergo diſtinguo maiorem. Forma poſitiua realis non dat primò, & per ſe, niſi effectum formalem poſitiuum formaliter, concedo; de conſequenti, & nego. Cùm enim repræſentare naturam humanam, non repræſentata hominum pluralitate, qui eſt effectus primarius cognitionis abſtractiuæ (ut ipſe fatetur) neceſſariò trahat illorum plurium, non negationem, ſed vnitatem aliquam extrinſecam, per quam ſcilicet unum ab alio diſtingui non poſſit ab eadem forma poſitiua habetur vterquè effectus formalis, unus de formali, ſcili-

cèt natura abſtracta, & alius de conſequenti, ſcilicèt illius vnitas ad Vniuerſale ſufficiens.

Neque obſtat primò quòd cognitio præciſiua ſit cōpoſſibilis cum cognitione ſingularium inferiorum, quià (ut uidebimus) poteſt hoc coniungi cum ratione Vniuerſalis. Multò minus obſtat ſecundò, quòd Vniuerſale opponatur contradictoriè ſingulari. Hoc enim cùm debeat intelligi, non formaliter, ſed de conſequenti, quatenùs uidelicèt Vniuerſale admittit communicabilitatem, quam negat ſingulare; Hoc, inquam, ſaluatur per ſolam præciſionem formalem, ut intrà uidebimus, ubi fuſiùs, & pluribus argumentis ſtatuemus, ſolam præciſionem formalem directam ſufficere ad eſſentiam Vniuerſalis.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Quænam ſit abſtractio propria Vniuerſalis?

REiecta huiuſmodi opinione de cognitione reflexa, per quam negatiuè natura ſpolietur inferioribus, afferemus tandèm, quanam cognitione ſufficienter habeatur eſſentia Vniuerſalis, quod fiet multiplici concluſione.

Prima concluſio, *Abſtractio, per quam natura vniuer-*

uerſalis ſit vna, non poteſt eſſe realis, vel præciſiua obiectiuè. Hæc ſecunda pars probabitur ex ijs, quæ infrà dicemus in tertia huius libri diſputatione. Prima probatur, quia Genus, Species, & Differentia non diſtinguuntur realiter ab inferioribus. Ergò non poſſunt abſtrahi abſtractione reali; alioquin idem ſepararetur à ſe ipſo, quod eſt abſurdum. Præterea hæc abſtractio debet fieri per intellectum, ut probauimus; qui non poteſt realiter diuidere, quæ ſunt realiter idem. Ergo &c.

Secunda concluſio. *Non poteſt eſſe abſtractio intentionalis negatiua.* Probatur, quia abſtractio negatiua eſt idem, atquè propoſitio negatiua; ut dictum eſt. Hæc autem poteſt eſſe falſa, ut hæc *Petrus non eſt animal*: Ergo non poteſt eſſe abſtractio Vniuerſalis, per quam debet fieri aliquid neceſſarium, euidens, & infallibile, quale eſt obiectum ſcientiarum, adeòque debet eſſe abſtractio infallibiliter uera. Præterea abſtractio Vniuerſalis debet eſſe compoſſibilis cum identitate reali eorum, quæ abſtrahuntur. Sed abſtractio negatiua uera opponitur identitati reali; quotiès enim unum uerè negatur de alio in recto, totiès uerè non eſt idem cum illo, ut uidebimus in metaphyſicis. Ergo &c.

Dices. Hæc propoſitio negatiua, *animalitas non eſt rationalitas*, quamuis non tollat identitatem realem animalitatis cum rationalitate, adhùc tamen eſt uera. Ergo falſum eſt, quòd abſtractio negatiua non poſſit componi cum identitatę realį eorum, quæ abſtrahuntur.

tur. Nego antecedens. Nàm hæc propoſitio, cùm ſit in materia neceſſaria, æquiualet huic uniuerſali *nulla animalitas eſt rationalitas*, quæ eſt falſa.

Tertia concluſio. *Abſtractio Vniuerſalis, qua natura fit vna, & vniuerſalis, debet eſſe abſtractio intentionalis præciſiua formaliter.* Probatur primò, quià alia non poteſt eſſe, ut uidimus; non obiectiua; non phyſica; non negatiua. Ergo debet eſſe abſtractio intentionalis, formaliter ſolùm præciſiua. Secundò, quià hæc abſtractio eſt ſufficiens ad Vniuerſale, nam ità facit naturam unam, ut non tollat realem illius identitatem cum inferioribus. Ergo cùm cæteroqui non poſſit eſſe falſa, habet omnia requiſita ad faciendum Vniuerſale, videlicèt *vnum aptum eſſe in multis*; & per conſequens cùm Vniuerſale non poſſit aliter fieri, debet per illam fieri.

Quarta concluſio. *Hæc abſtractio præciſiua non debet eſſe reflexa, vel comparatiua, ſed ſatis eſt, ſi ſit cognitio directa, & abſoluta.* Probatur primò, quià per illam cognitionem fit Vniuerſale, per quam plura fiunt vnum extrinſecè. Sed per cognitionem directam, & abſolutam confuſam, ſeù abſtractiuam, plura fiunt vnum extrinſecè. Ergo per illam fit Vniuerſale. Maior patet. Minor probatur; nam plura fieri vnum extrinſecè, eſt ità illa cognoſci, vt per talem cognitionem non appareant eorum differentiæ, ſeù pluralitas. Per cognitionem autem abſtractiuam directam abſolutam, nullo modo exprimuntur differentiæ, ſeù pluralitas. Ergo fiunt vnum extrinſecè, non quidem formaliter per ip-

ſam

ſam cognitionem abſtractiuam, ſed per vnitatem ex illa reſultantem in obiecto. Cognitio ergò comparatiua, qua natura comparetur cum inferioribus, eſt quidem neceſſaria, ad hoc vt illa cognoſcatur vt vniuerſalis formaliter, non autèm ad hoc, vt fiat vniuerſa is.

Secundò, quià per illam cognitionem fit Vniuerſale, per quam natura conſtituitur in tali ſtatu, vt poſſit prædicari de pluribus (nam hic eſt ſolum quæſtio de Vniuerſali logico vtili ſcientijs) ideſt quòd poſſit eſſe vtile prædicationibus ſcientificis. Sed per ſolam cognitionem abſtractiuam directam, & abſolutam, natura conſtituitur potens prædicari de pluribus, ſaltèm remotè, eo quòd fiat vna vnitate extrinſeca, quæ non repugnet identitati cum pluribus. Ergo per illam ſolam fit Vniuerſale. Probatur conſequentia. Ad hoc enim vt natura fiat vniuerſalis, ſatis eſt, quòd ità cognoſcatur, vt per talem cognitionem non appareant formaliter inferiora. Sed hoc poteſt fieri abſque vlla cognitione reflexa, ſeù comparatiua. Ergo &c.

Quinta concluſio: *Hæc abſtractio præciſiua formaliter non poteſt eſſe falſa*. Probatur, quià vel eſt ſimplex apprehenſio, vel iudicium? ſed neutra poteſt eſſe falſa. Ergo &c. Maior eſt euidens. Minor probatur, quià ſiuè hæc abſtractio fiat per ſimplicem tendentiam in obiectum abſque vlla compoſitione, ſeù diuiſione, vt contingit in cognitione *animalis vt ſic*, per quam abſtrahitur in Petro *animalitas à rationalitate*; ſiuè fiat per iudicium, vt cum dico *ambulo propter ſanitatem*, cum verè non ſolum

ambu-

ambulem propter ſanitatem, ſed etiam propter recreationem, reticendo partem illius, quod me mouet ad ambulandum, atque adeò illud formaliter præſcindendo; quomodòcumque, inquam, hæc abſtractio fiat, ſemper eſt vera.

Probatur. Nam verè in primo caſu cognoſcitur formaliter animalitas, & verè in ſecundo ambulatio fit propter ſanitatem, quamuis & cum animalitate cognoſcatur etiàm, ſaltèm conſusè, rationalitas, & verè in ſecundo fiat ambulatio etiàm propter recreationem, vel aliud quodcumque motiuum. Alioquin non daretur præciſio, cuius eſſentia conſiſtit formaliter in hoc, quòd ex pluribus, quę verè ſint plura ſub aliqua ratione, vnum ab alio intentionalitèr ſeparetur, quod non fieret, ſi verè illa, vel non eſſent plura, vel non eſſent ſub eadem ratione communi, ſub qua ità poſſent ſimul conſiderari per modum vnius, uel ſeorſim per modum plurium, vt tamen vnum tantùm ex illis de facto conſideretur, alijs non negatis, ſed prætermiſſis.

Et ideo verum eſt, quod uulgò dicitur *Abſtrahentium non eſt mendacium*. Quia ſemper abſtractio præciſiua formaliter eſt vera, ſiue fiat per ſimplicem apprehenſionem, ſiue per iudicium. Semper enim verè apprehenditur quod ab alijs præſcinditur; Et verè datur illud, quod affirmatur vt formaliter ab alijs præciſum.

ARTI-

ARTICVLVS NONVS.

Quomodo fiat hæc abſtractio? Vbi, an Vniuerſale fiat ab intellectu agente, an à paſſibili?

SVpponendum primò, præter quinquè ſenſus externos, videlicèt, viſum, odoratum, auditum, guſtum, & tactum, dari etiam in homine duos alios ſenſus internos, quorum primus dicitur *ſenſus communis*, non quià tantùm cognoſcat res communes, vt alij perperam fuerunt interpretati, ſed quià ad illum reducuntur operationes omnium aliorum ſenſuum externorum, quorum omnium percipit obiecta, videlicèt ſaporem, odorem, colorem, ſonum, & palpabile. Alter ſenſus dicitur *phantaſia*, cuius proprium eſt cognoſcere ea omnia, quæ cognoſcit ſenſus communis, cum hoc tamen diſcrimine, quòd ille non cognoſcat, niſi præſentia; hæc autem etiam abſentia. Sedes propria ſenſus communis eſt ualdè anceps apud Philoſophos. Communitèr tamen aſſignatur prò ſede illius anterior pars cerebri, ideſt illa, quæ uergit ad frontem, ſeù ad ſinciput. Sedes autèm phantaſiæ eſt poſterior pars cerebri, ideſt illa, quæ uergit ad occiput, de quibus fusè agemus in libris de anima.

Se-

Secundò ſupponendum eſt, præter hos ſenſus materiales, & corporeos, duplicem quoquè, ſaltem virtualiter, exiſtere in anima potentiam intellectiuam ſpiritualem, præter memoriam, & voluntatem, quarum altera dicitur *intellectus agens*, & altera *intellectus patiens*. Intellectus agens dicitur *ab agendo*, quatenùs videlicèt ſimul cum phantaſia producit in ſe ſpecies quaſdam, ſeù imagines rerum, quæ dicuntur ſpecies intelligibiles impreſſæ, à quibus deindè determinatur ad res ipſas cognoſcendas. Intellectus patiens, ſiuè paſſibilis (quem corrupto vocabulo alij appellant poſſibilem) dicitur, à *patiendo*, eò quòd in ſeſe recipiat ſpecies à primo productas, & per eas determinetur ad alias ſpecies in ſe producẽdas, per quas formalitèr demũ cognoſcit obiectum, quæ ſpecies ſunt ipſæ cognitiones; adeòque dicuntur expreſſæ, eò quòd exprimant, ſeù repræſentent formalitèr obiectum.

Obſeruandum tertiò, cognitionem originatam à ſenſibus in intellectu, hoc modo procedere. Occurrit oculo e. g. *album*, & ſtatim album immittit ad oculum qualitatem quamdam, quæ appellatur *ſpecies viſibilis*, ſeù *viſualis*) & eſt imago virtualis ipſius albi. Hac ſpecie informatus oculus elicit viſionem albi, ideſt videt, ſeù cognoſcit ipſum album. Quià tamen (vt dicebam) ſinguli ſenſus ſubduntur, tamquàm, famuli ſenſui communi, ſtatim oculus, viſo albo, producit per viſionem aliam ſpeciem albi, & per interna quædam foramina neruo optico inexiſtentia, illam tranſmittit ad ſenſum

com-

communem, vt videlicèt per illam albi imaginem, etiam ipſe ſenſus communis illud cognoſcat. Senſus autem communis propter connexionem, quam habet cum phantaſia, ſtatim atque percæpit album, producit aliā ſpeciem illius, quæ appellatur *phantaſma impreſſum*, illamque per foramina penitiora tranſmittit ad phantaſiam. Phantaſia verò hac ſpecie imbuta, per actum, qui dicitur *phantaſma expreſſum*, etiàm ipſa cognoſcit album. Ex hoc phantaſmate expreſſo, propter colligationem, quam habet phantaſia cum intellectu, deberet emanare alia ſpecies albi tranſmittenda ad intellectum, vt tandèm illa inſtrueretur intellectus ad album cognoſcendum. Sed quiā hoc phantaſma eſt quid materiale, & corporeum; & ſpecies intelligibiles, vtpotequæ debent inſtruere potentiam ſpiritualem, debent eſſe ſpirituales; ideò conceſſit natura intellectui agenti, vt ſtatim atque producitur phantaſma expreſſum, poſſit illud eleuare, ad hoc vt ſecùm concurrat ad producendam ſibi ſpeciem ſpiritualem eiuſdem albi, vt videlicèt illa inſtructus intellectus patiens, tandèm eliciat albi cognitionem. Hæc autem cognitio dicitur *ſpecies expreſſa*, & eſt imago formalis albi, eò quòd per ſe ipſam formaliter album repræſentet; ſicut ſpecies impreſſa dicitur *imago virtualis*, quiā quamuis per ſe formaliter non repræſentet obiectum, habet tamen virtutem, producendi aliam ſpeciem, quæ illud formaliter repræſentet.

Prima concluſio. *Abſtractio Vniuerſalis non fit ab intellectu*

tellectu agente. Eſt Scothi in 2. diſt. 3. q. 1. ad primùm contrà D. Thom. 1. par. q. 85. art. 1. & 3. de ente, & eſſentia c. 4. Probatur, quià intellectus agens non facit, niſi ſpeciem impreſſam. Sed hæc non eſt vna in repræſentando, eò quòd cùm non ſit imago formalis, ſed tantùm virtualis obiecti, nòn poteſt illud abſtrahere, ſicut facit ſpecies expreſſa, quæ cùm illud formaliter repræſentet, illud abſtrahit confusè repræſentando. Ergo debet illud repræſentare, ſicut ſibi repræſentatur à phantaſmate expreſſo, à quo producitur. Sed hoc phantaſma repræſentat obiectum vt eſt in ſe. Ergo cùm obiectum in ſe ſit multiplex, repræſentat multiplicitatem, & differentias ſingularium, & per conſequens non abſtrahit naturam vniuerſalem, quià illi non dat vnitatem extrinſecam abſtractionis.

Secunda concluſio. *Abſtractio Vniuerſalis fit ab intellectu paſſibili, ſeù poſſibili*. Probatur primò, quià operatio intellectus poſſibilis eſt cognitio, ſeù ſpecies expreſſa. Cognitio autem, ſicut denominat naturam cognitam, quatenùs cognitio eſt, ità illam denominat præciſam ab inferioribus, quatenùs præciſio eſt. Sed natura præciſa formaliter ab inferioribus, eſt una, quià ut talis eſt indiuiſa in ſe, eò quòd nullam inuoluat formaliter multiplicitatem, ſeù ſingularitatem, & eſt diuiſa à quolibet alio, nam diſtinguitur ab omni eo, quod non eſt talis natura. Ergo habet omnia prædicata unitatis; adeòque eſt uniuerſalis.

Probatur ſecundò, quià ſicut poteſt unum, & idem obie-

obiectum cognoſci per plures conceptus inadæquatos, non quidem inadæquatione ſe tenente ex parte obiecti, ideſt quòd obiectum per partes cognoſcatur, ſed inadęquatione ſe tenente ex parte ipſorum conceptuum, quatenùs uidelicet ſinguli conceptus, quamuis percipiant totum obiectum, non tamen ſinguli ſint ſufficientes ad perfectè certificandum de toto illo; ità poſſunt plura per unam cognitionem adeò confusè cognoſci, vt per talem cognitionem non repræſentetur eorum pluralitas ſingularitatum, eò quòd non poſſit vnum ſingulare diſtingui ab alijs. Sed hæc cognitio facit naturam vnam, ideſt præciſam à ſingularibus. Ergo facit Vniuerſale.

ARTICVLVS DECIMVS.

Quid ſit aptitudo naturæ vniuerſalis ad eſſendum in multis?

STatuta iàm vnitate Vniuerſalis, quo de agimus, quæ eſt præcipuum illius prædicatũ, agendum eſt de alio ipſius prædicato, quod ſecundum obtinet locum, & dicitur aptitudo ad eſſendum in multis. Hanc autèm aliqui dicunt, eſſe relationem aliquam fictam, & impoſſibilem; alij poſſibilitatem intrinſecam; alij extrinſecam; & alij alia. Nos hìc de more nonnullis concluſioni-

ſionibus, aliorum falſitate reiecta, ſententiæ veritatem noſtræ, multiplici rationum præſidio roborabimus.

Prima concluſio. *Hæc aptitudo non eſt relatio aliqua ficta, & impoſſibilis*. Probatur primò; quia nulla eſt neceſſitas, recurrendi ad huiuſmodi fictionem; cùm poſſimus omnia ſaluare per prædicata realia: Secundò; quia alioquin ipſum quoque Vniuerſale ex illa reſultans eſſet formaliter impoſſibile. Non enim fieri poteſt, vt aliquid exiſtens de facto conſtituatur formaliter ex impoſſibili. Ergò &c.

Dices. Hæc aptitudo formaliter conſtituitur per relationem naturæ ad inferiora. Sed hæc relatio non poteſt eſſe realis, quià natura non diſtinguitur ab inferioribus realiter: Ergo eſt relatio ficta, & rationis. Nego maiorem. Non enim hæc aptitudo cônſtituitur per relationem ipſius naturæ ad inferiora, ſed per relationē cognitionis comparantis ipſam naturam cum inferioribus, vt videbimus infrà. Quarè cùm hæc relatio ſit identificata cum ipſa cognitione comparatiua; eſt aliquid reale, ſicut cognitio eſt realis.

Secunda concluſio. *Aptitudo Vniuerſalis ad eſſendum in multis non eſt poſſibilitas extrinſeca plurium ſingulariū, in quibus natura poſſit exiſtere*. Probatur primò; quia aptitudo Vniuerſalis eſt proprietas conſequens ad naturam vniuerſalem; priùs enim intelligimus, naturam eſſe vnam, quàm eſſe aptam ad eſſendum in multis; alioquin hæc non eſſet aptitudo vnius ad plura, ſed potius eſſent aptitudines plurium ad plura. Proprietas autem

natu-

naturæ contingentis non poteſt eſſe neceſſaria quoad exiſtentiam. Ergo non poteſt eſſe poſſibilitas extrinſeca plurium, quæ cùm nihil ſit aliud, quàm omnipotentia Dei, eſt aliquid neceſſarium.

Secundò, quia aptitudo naturæ ad eſſendum in multis eſt aliquid intrinſecum Vniuerſali, & eſſentialis proprietas naturæ. Ergo non poteſt eſſe aliquid vtrique extrinſecum, vel dari antè vtrumque; ſicut eſſet omnipotentia Dei.

Obijcies. Aptitudo naturæ humanæ ad eſſendum in multis eſt id; per quod formaliter habet ipſa natura, vt poſſit multiplicari in plures homines per identitatē. Sed hoc eſt aliquid neceſſarium; non enim eſt contingens, quòd poſſint dari plures homines, in quibus natura humana multiplicetur. Ergo aliud non poteſt eſſe, quàm Omnipotentia Dei. Nego minorem, cuius probationem diſtinguo. Non eſt aliquod contingens, quòd poſſint dari plures homines, ſimpliciter; & abſolutè loquendo, concedo. Non eſt aliquod contingens quòd poſſint dari plures homines tamquàm termini multiplicabilitatis humanæ naturæ, nego minorem. Nam cùm multiplicabilitas in plura ſit prædicatum conſequens ad rationem, quæ dicitur multiplicabilis, ſi illa eſt contingens, etiàm iſta. Sed ſi eſt contingens multiplicabilitas, eſt etiàm contingens eius terminus, vt talis eſt formaliter, & reduplicatiuè; cùm ſit impoſſibile; terminum, qui conſequitur ad aliquid contingens, non eſſe contingentem. Ergo &c.

tur. Nego antecedens. Nàm hæc propoſitio, cùm ſit in materia neceſſaria, æquiualet huic uniuerſali *nulla animalitas eſt rationalitas*, quæ eſt falſa.

Tertia concluſio. *Abſtractio Vniuerſalis, qua natura fit vna, & vniuerſalis, debet eſſe abſtractio intentionalis præciſiua formaliter*. Probatur primò, quià alia non poteſt eſſe, ut uidimus; non obiectiua; non phyſica; non negatiua. Ergo debet eſſe abſtractio intentionalis, formaliter ſolùm præciſiua. Secundò, quià hæc abſtractio eſt ſufficiens ad Vniuerſale, nam ità facit naturam unam, ut non tollat realem illius identitatem cum inferioribus. Ergo cùm cæteroqui non poſſit eſſe falſa, habet omnia requiſita ad faciendum Vniuerſale, videlicèt *vnum aptum eſſe in multis*; & per conſequens cùm Vniuerſale non poſſit aliter fieri, debet per illam fieri.

Quarta concluſio. *Hæc abſtractio præciſiua non debet eſſe reflexa, vel comparatiua, ſed ſatis eſt, ſi ſit cognitio directa, & abſoluta*. Probatur primò, quià per illam cognitionem fit Vniuerſale, per quam plura fiunt vnum extrinſecè. Sed per cognitionem directam, & abſolutam confuſam, ſeù abſtractiuam, plura fiunt vnum extrinſecè. Ergo per illam fit Vniuerſale. Maior patet. Minor probatur; nam plura fieri vnum extrinſecè, eſt ità illa cognoſci, vt per talem cognitionem non appareant eorum differentiæ, ſeù pluralitas. Per cognitionem autem abſtractiuam directam abſolutam, nullo modo exprimuntur differentiæ, ſeù pluralitas. Ergo fiunt vnum extrinſecè, non quidem formaliter per ip-

ſam

ſam cognitionem abſtractiuam, ſed per vnitatem ex illa reſultantem in obiecto. Cognitio ergò comparatiua, qua natura comparetur cum inferioribus, eſt quidem neceſſaria, ad hoc vt illa cognoſcatur vt vniuerſalis formaliter, non autèm ad hoc, vt fiat vniuerſalis.

Secundò, quià per illam cognitionem fit Vniuerſale, per quam natura conſtituitur in tali ſtatu, vt poſſit prædicari de pluribus (nam hic eſt ſolum quæſtio de Vniuerſali logico vtili ſcientijs) ideſt quòd poſſit eſſe vtile prædicationibus ſcientificis. Sed per ſolam cognitionem abſtractiuam directam, & abſolutam, natura conſtituitur potens prædicari de pluribus, ſaltèm remotè, eo quòd fiat vna vnitate extrinſeca, quæ non repugnet identitati cum pluribus. Ergo per illam ſolam fit Vniuerſale. Probatur conſequentia. Ad hoc enim vt natura fiat vniuerſalis, ſatis eſt, quòd ità cognoſcatur, vt per talem cognitionem non appareant formaliter inferiora. Sed hoc poteſt fieri abſque vlla cognitione reflexa, ſeù comparatiua. Ergo &c.

Quinta concluſio. *Hæc abſtractio præciſiua formaliter non poteſt eſſe falſa.* Probatur, quià vel eſt ſimplex apprehenſio, vel iudicium? ſed neutra poteſt eſſe falſa. Ergo &c. Maior eſt euidens. Minor probatur, quià ſiuè hæc abſtractio fiat per ſimplicem tendentiam in obiectum abſque vlla compoſitione, ſeù diuiſione, vt contingit in cognitione *animalis vt ſic*, per quam abſtrahitur in Petro *animalitas à rationalitate*; ſiuè fiat per iudicium, vt cum dico *ambulo propter ſanitatem*, cum verè non ſolum

ambu-

ambulem propter ſanitatem, ſed etiam propter recreationem, reticendo partem illius, quod me mouet ad ambulandum, atque adeò illud formaliter præſcindendo; quomodòcumque, inquam, hæc abſtractio fiat, ſemper eſt vera.

Probatur. Nam verè in primo caſu cognoſcitur formaliter animalitas, & verè in ſecundo ambulatio fit propter ſanitatem, quamuis & cum animalitate cognoſcatur etiàm, ſaltèm confusè, rationalitas, & verè in ſecundo fiat ambulatio etiàm propter recreationem, vel aliud quodcumque motiuum. Alioquin non daretur præciſio, cuius eſſentia conſiſtit formaliter in hoc, quòd ex pluribus, quę verè ſint plura ſub aliqua ratione, vnum ab alio intentionalitèr ſeparetur, quod non fieret, ſi verè illa, vel non eſſent plura, vel non eſſent ſub eadem ratione communi, ſub qua ità poſſent ſimul conſiderari per modum vnius, uel ſeorſim per modum plurium, vt tamen vnum tantùm ex illis de facto conſideretur, alijs non negatis, ſed prætermiſſis.

Et ideo verum eſt, quod uulgò dicitur *Abſtrahentium non eſt mendacium*. Quia ſemper abſtractio præciſiua formaliter eſt vera, ſiue fiat per ſimplicem apprehenſionem, ſiue per iudicium. Semper enim verè apprehenditur quod ab alijs præſcinditur; Et verè datur illud quod affirmatur vt formaliter ab alijs præciſum.

ARTI-

ARTICVLVS NONVS.

Quomodo fiat hæc abſtractio? Vbi, an Vniuerſale fiat ab intellectu agente, an à paſſibili?

SVpponendum primò, præter quinquè ſenſus externos, videlicèt, viſum, odoratum, auditum, guſtum, & tactum, dari etiam in homine duos alios ſenſus internos, quorum primus dicitur *ſenſus communis*, non quià tantùm cognoſcat res communes, vt alij perperam fuerunt interpretati, ſed quià ad illum reducuntur operationes omnium aliorum ſenſuum externorum, quorum omnium percipit obiecta, videlicèt ſaporem, odorem, colorem, ſonum, & palpabile. Alter ſenſus dicitur *phantaſia*, cuius proprium eſt cognoſcere ea omnia, quæ cognoſcit ſenſus communis, cum hoc tamen diſcrimine, quòd ille non cognoſcat, niſi præſentia; hæc autem etiam abſentia. Sedes propria ſenſus communis eſt ualdè anceps apud Philoſophos. Communitèr tamen aſſignatur prò ſede illius anterior pars cerebri, ideſt illa, quæ uergit ad frontem, ſeù ad ſinciput. Sedes autèm phantaſiæ eſt poſterior pars cerebri, ideſt illa, quæ uergit ad occiput, de quibus fusè agemus in libris de anima.

Se-

Secundò ſupponendum eſt, præter hos ſenſus materiales, & corporeos, duplicem quoquè, ſaltem virtualiter, exiſtere in anima potentiam intellectiuam ſpiritualem, præter memoriam, & voluntatem, quarum altera dicitur *intellectus agens*, & altera *intellectus patiens*. Intellectus agens dicitur *ab agendo*, quatenùs videlicèt ſimul cum phantaſia producit in ſe ſpecies quaſdam, ſeù imagines rerum, quæ dicuntur ſpecies intelligibiles impreſſæ, à quibus deindè determinatur ad res ipſas cognoſcendas. Intellectus patiens, ſiuè paſſibilis (quem corrupto vocabulo alij appellant poſſibilem) dicitur, à *patiendo*, eò quòd in ſeſe recipiat ſpecies à primo productas; & per eas determinetur ad alias ſpecies in ſe producēdas, per quas formalitèr demū cognoſcit obiectum, quæ ſpecies ſunt ipſæ cognitiones; adeòque dicuntur expreſſæ, eò quòd exprimant, ſeù repræſentent formalitèr obiectum.

Obſeruandum tertiò, cognitionem originatam à ſenſibus in intellectu, hoc modo procedere. Occurrit oculo e. g. *album*, & ſtatim album immittit ad oculum qualitatem quamdam, quæ appellatur *ſpecies viſibilis*, ſeù *viſualis*) & eſt imago virtualis ipſius albi. Hac ſpecie informatus oculus elicit viſionem albi, ideſt videt, ſeù cognoſcit ipſum album. Quià tamen (vt dicebam) ſinguli ſenſus ſubduntur, tamquàm, famuli ſenſui communi, ſtatim oculus, viſo albo, producit per viſionem aliam ſpeciem albi, & per interna quædam foramina neruo optico inexiſtentia, illam tranſmittit ad ſenſum

com-

communem, vt videlicèt per illam albi imaginem, etiam ipſe ſenſus communis illud cognoſcat. Senſus autem communis propter connexionem, quam habet cum phantaſia, ſtatim atquè percæpit album, producit aliã ſpeciem illius, quæ appellatur *phantaſma impreſſum*, illamque per foramina penitiora tranſmittit ad phantaſiam. Phantaſia verò hac ſpecie imbuta, per actum, qui dicitur *phantaſma expreſſum*, etiàm ipſa cognoſcit album. Ex hoc phantaſmate expreſſo, propter colligationem, quam habet phantaſia cum intellectu, deberet emanare alia ſpecies albi tranſmittenda ad intellectum, vt tandèm illa inſtrueretur intellectus ad album cognoſcendum. Sed quià hoc phantaſma eſt quid materiale, & corporeum; & ſpecies intelligibiles, vtpotequæ debent inſtruere potentiam ſpiritualem, debent eſſe ſpirituales; ideò conceſſit natura intellectui agenti, vt ſtatim atque producitur phantaſma expreſſum, poſſit illud eleuare, ad hoc vt ſecum concurrat ad producendam ſibi ſpeciem ſpiritualem eiuſdem albi, vt videlicèt illa inſtructus intellectus patiens, tandèm eliciat albi cognitionem. Hæc autem cognitio dicitur *ſpecies expreſſa*, & eſt imago formalis albi, eò quòd per ſe ipſam formaliter album repræſentet; ſicut ſpecies impreſſa dicitur *imago virtualis*, quià quamuis per ſe formaliter non repræſentet obiectum, habet tamen virtutem, producendi aliam ſpeciem, quæ illud formaliter repræſentet.

Prima concluſio: *Abſtractio Vniuerſalis non fit ab intellectu*

tellectu agente. Eſt Scothi in 2. diſt. 3. q. 1. ad primùm contra D. Thom. 1. par. q. 85. art. 1. & 3. de ente, & eſſentia c. 4. Probatur, quià intellectus agens non facit, niſi ſpeciem impreſſam. Sed hæc non eſt vna in repræſentando, eò quòd cùm non ſit imago formalis, ſed tantùm virtualis obiecti, nòn poteſt illud abſtrahere, ſicut facit ſpecies expreſſa, quæ cùm illud formaliter repræſentet, illud abſtrahit confuſè repræſentando. Ergo debet illud repræſentare, ſicut ſibi repræſentatur à phantaſmate expreſſo, à quo producitur. Sed hoc phantaſma repræſentat obiectum vt eſt in ſe. Ergo cùm obiectum in ſe ſit multiplex, repræſentat multiplicitatem, & differentias ſingularium, & per conſequens non abſtrahit naturam vniuerſalem, quià illi non dat vnitatem extrinſecam abſtractionis.

Secunda concluſio. *Abſtractio Vniuerſalis fit ab intellectu paſſibili, ſeù poſſibili*. Probatur primò, quià operatio intellectus poſſibilis eſt cognitio, ſeù ſpecies expreſſa. Cognitio autem, ſicut denominat naturam cognitam, quatenùs cognitio eſt, ità illam denominat præciſam ab interioribus, quatenùs præciſio eſt. Sed natura præciſa formaliter ab inferioribus, eſt una, quià ut talis eſt indiuiſa in ſe, eò quòd nullam inuoluat formaliter multiplicitatem, ſeù ſingularitatem, & eſt diuiſa à quolibet alio, nam diſtinguitur ab omni eo, quod non eſt talis natura. Ergo habet omnia prædicata unitatis; adeòque eſt uniuerſalis.

Probatur ſecundò, quià ſicut poteſt unum, & idem obie-

obiectum cognoſci per plures conceptus inadæquatos, non quidem inadæquatione ſe tenente ex parte obiecti, ideſt qnòd obiectum per partes cognoſcatur, ſed inadęquatione ſe tenente ex parte ipſorum conceptuum, quatenùs uidelicet ſinguli conceptus, quamuis percipiant totum obiectum, non tamen ſinguli ſint ſufficientes ad perfectè certificandum de toto illo; ità poſſunt plura per unam cognitionem adeò confusè cognoſci, vt per talem cognitionem non repræſentetur eorum pluralitas ſingularitatum, eò quòd non poſſit vnum ſingulare diſtingui ab alijs. Sed hæc cognitio facit naturam vnam, ideſt præciſam à ſingularibus. Ergo facit Vniuerſale.

ARTICVLVS DECIMVS.

Quid ſit aptitudo naturæ vniuerſalis ad eſſendum in multis?

STatuta iàm vnitate Vniuerſalis, quo de agimus, quæ eſt præcipuum illius prædicatũ, agendum eſt de alio ipſius prædicato, quod ſecundum obtinet locum, & dicitur aptitudo ad eſſendum in multis. Hanc autèm aliqui dicunt, eſſe relationem aliquam fictam, & impoſſibilem; alij poſſibilitatem intrinſecam; alij extrinſecam; & alij alia. Nos hìc de more nonnullis conclu-

ſionibus, aliorum falſitate reiecta, ſententiæ veritatem noſtræ, multiplici rationum præſidio roborabimus.

Prima concluſio. *Hæc aptitudo non eſt relatio aliqua ficta, & impoſſibilis.* Probatur primò; quià nulla eſt neceſſitas, recurrendi ad huiuſmodi fictionem, cùm poſſimus omnia ſaluare per prædicata realia: Secundò; quia alioquin ipſum quoque Vniuerſale ex illa reſultans eſſet formaliter impoſſibile. Non enim fieri poteſt, vt aliquid exiſtens de facto conſtituatur formaliter ex impoſſibili. Ergò &c.

Dices. Hæc aptitudo formaliter conſtituitur per relationem naturæ ad inferiora. Sed hæc relatio non poteſt eſſe realis, quià natura non diſtinguitur ab inferioribus realiter: Ergo eſt relatio ficta, & rationis. Nego maiorem. Non enim hæc aptitudo conſtituitur per relationem ipſius naturæ ad inferiora, ſed per relationē cognitionis comparantis ipſam naturam cum inferioribus, vt videbimus infrà. Quarè cùm hæc relatio ſit identificata cum ipſa cognitione comparatiua; eſt aliquid reale, ſicut cognitio eſt realis.

Secunda concluſio. *Aptitudo Vniuerſalis ad eſſendum in multis non eſt poſſibilitas extrinſeca plurium ſingularium, in quibus natura poſſit exiſtere.* Probatur primò; quia aptitudo Vniuerſalis eſt proprietas conſequens ad naturam vniuerſalem; priùs enim intelligimus, naturam eſſe vnam, quàm eſſe aptam ad eſſendum in multis; alioquin hæc non eſſet aptitudo vnius ad plura, ſed potius eſſent aptitudines plurium ad plura. Proprietas autem

natu-

naturæ contingentis non poteſt eſſe neceſſaria quoad exiſtentiam. Ergo non poteſt eſſe poſſibilitas extrinſeca plurium, quæ cùm nihil ſit aliud, quàm omnipotentia Dei, eſt aliquid neceſſarium.

Secundò, quia aptitudo naturæ ad eſſendum in multis eſt aliquid intrinſecum Vniuerſali, & eſſentialis proprietas naturæ. Ergo non poteſt eſſe aliquid vtrique extrinſecum, vel dari antè vtrumque, ſicut eſſet omnipotentia Dei.

Obijcies: Aptitudo naturæ humanæ ad eſſendum in multis eſt id, per quod formaliter habet ipſa natura, vt poſſit multiplicari in plures homines per identitatē. Sed hoc eſt aliquid neceſſarium; non enim eſt contingens, quòd poſſint dari plures homines, in quibus natura humana multiplicetur. Ergo aliud non poteſt eſſe, quàm Omnipotentia Dei. Nego minorem, cuius probationem diſtinguo: Non eſt aliquod contingens, quòd poſſint dari plures homines, ſimpliciter, & abſolutè loquendo, concedo: Non eſt aliquod contingens quòd poſſint dari plures homines tamquàm termini multiplicabilitatis humanæ naturæ, nego minorem. Nam cùm multiplicabilitas in plura ſit prædicatum conſequens ad rationem, quæ dicitur multiplicabilis, ſi illa eſt contingens, etiam iſta. Sed ſi eſt contingens multiplicabilitas, eſt etiam contingens eius terminus, vt talis eſt formaliter, & reduplicatiuè; cùm ſit impoſſibile, terminum, qui conſequitur ad aliquid contingens, non eſſe contingentem. Ergo &c.

Dices. Idem eſt, naturam humanam eſſe multiplicabilem in plures homines, atque eſſe poſſibiles plures homines. Sed hoc eſt aliquod neceſſarium. Ergo & illud. Nego maiorem. Siquidem naturam humanam eſſe multiplicabilem, dicit ipſam humanam naturam, videlicèt naturam vnam, quæ reſultat ex abſtractione præciſiua formali, quam naturam vnam non dicit formaliter poſſibilitas plurium hominum. Prætereà priùs eſt, eſſe poſſibiles plures homines, quàm ab illis formaliter abſtrahi naturam humanam. Ergo natura humana vt abſtracta, præſupponit poſſibilitatem plurium; adeòque eius multiplicabilitas, quæ tamquàm proprietas ad illam conſequitur, non poteſt eſſe identificata realiter cum plurium poſſibilitate, quià hæc poſſibilitas præſupponitur à natura, atque adeò à fortiori ab ipſa multiplicabilitate.

Vrgebis. Per hoc præcisè, quòd ſint poſſibiles plures homines, natura humana conſtituitur formaliter apta ad eſſendum in multis. Ergo idem eſt, illam eſſe aptam ad eſſendum in multis, atque illa multa eſſe poſſibilia. Nego antecedens. Nam poſſunt eſſe poſſibiles plures homines, abſque eo quòd abſtrahatur formalitèr ab illis natura humana, atque adeò abſque eo quòd natura humana ſit apta ad eſſendum in illis. Quarè aptitudo naturæ humanæ debet eſſe aliquid conſequēs, non ſolùm ad abſtractionem formalem, ſed etiàm ad poſſibilitatem illorum hominum, ex quibus illa abſtrahitur.

Dices

Dices demùm. Conſtituta formaliter natura humana, neceſſariò eſt apta ad eſſendum in multis. Ergo eius aptitudo eſt aliquid neceſſarium. Diſtinguo conſequens. Eſt aliquid neceſſarium neceſſitate antecedenti ad ipſam naturam humanam, nego: neceſſitate conſequenti, ſeu concomitanti, concedo conſequentiã. Neceſſitas autèm conſequens, ſeu concomitans nihil eſt aliud, quàm neceſſaria connexio talis aptitudinis cum natura. Et ideo neceſſitate conſequenti homo neceſſariò eſt riſibilis, quià videlicèt riſibilitas neceſſariò cum illo connectitur, ſeù identificatur.

Tertia concluſio. *Aptitudo naturæ vniuerſalis non eſt ſola non repugnantia illius ad exiſtendum in multis, ſeù negatio prædicati repugnantis cum pluralitate, vt eſſet e. g. vel natura diuina, vel ſecundùm Thomiſtas etiàm Angelica*, vt docet Diuus Tho. 1. par. q. 50. ar. 4. Probatur, quià poſita præcisè huiuſmodi, ſeù non repugnantia, ſeù negatione talis prædicati, natura fit ſolùm remotè potẽs in pluribus inexiſtere, non autem proximè, ſicut poſito quòd nullum habeat oculus impedimentum ad videndum, remouendo prohibens, ſiuè per negationem huiuſmodi impedimentorum, conſtituitur ſolùm remotè aptus videre. Ergo quemadmodùm oculus indiget ſpeciebus viſibilibus, vt proximè denominetur potens videre; ità & natura indiget aliquo alio, ut proxìmè fiat de pluribus prædicabilis. Quid ſit autèm hòc aliud, mox uidebitur.

Quarta concluſio. *Aptitudo proxima naturæ vniuer-*

ſalis ad eſſendum in multis nihil eſt aliud, quàm denominatio quędam intrinſeca Vniuerſali, reſultans naturæ abſtractę ex cognitione comparatiua illius cum ſuis inferioribus, qua cognoſcatur vt non repugnans in illis eſſe. Probatur primò, quià natura humana pròut formaliter abſtracta, quamuis formaliter ſit diſtincta, tamen eſt realiter identificata cum pluribus, eò quòd nihil ſit aliud ex parte obiecti, quàm plures homines, ad quos habet remotam aptitudinem, vt in illis inſit. Ergo ad hoc, vt denominetur formaliter proximè apta ad eſſendum in illis, nihil aliud requiritur, quàm quòd cognoſcatur per cognitionem comparatiuam comparantem illam cum talibus hominibus, ſeu illam referentem ad plures homines, pròut non repugnantem in illis exiſtere. Ex alia parte natura per ſolam cognitionem præciſiuam ſit quidem vna, non tamen apta ad eſſendum in multis, cùm non omne vnum ſit aptum, ut patet in ſingularibus. Ergo cognitio comparatiua, & eſt ſufficiens, & neceſſaria ad conſtituendam formaliter aptitudinem Vniuerſalis.

Probatur ſecundò, quià ſicut per cognitionem abſtractiuam natura accipit unitatem, eo quòd ità concipiatur, vt in tali conceptu non appareat pluralitas; & aptitudinem remotam, eò quòd ſiat unum, quod in ſe eſt intrinſecè multiplex; ità per cognitionem comparatiuam accipit proximam aptitudinem, eò quòd ità per illam concipiatur, ut non appareat in ipſa natura repugnantia ad eſſendum in multis. Vndè patet, huiuſmodi aptitudinem neque eſſe adæquatè poſitiuam, neque

quę adæquatè negatiuam, ſed partim poſitiuam, & partim negatiuam, quatenùs uidelicet includit, & non repugnantiam naturę (in ſententia admittente, huiuſmodi non repugnantiam eſſe ſolam negationem) & ipſius cognitionem, per quam appareat reſpectu inferiorum, ut formalitèr non repugnans in illis exiſtere.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

Quid ſit prædicabilitas Vniuerſalis logici in eſſe logici?

Poſtremum prædicatum Vniuerſalis logici ut logici eſt prædicabilitas, cuius nomine intelligimus id, ratione cuius natura uniuerſalis fit proximè pręđicabilis, ſeù potens prædicari de pluribus. Hæc autem alia eſt paſſiua, & alia actiua. Prædicabilitas paſſiua eſt illud prædicatum, ſeù forma intrinſeca, ratione cuius formalitèr denominatur ipſa res, quæ dicitur prædicabilis, potens paſſiuè prædicari de pluribus; & nihil eſt aliud, quàm pluralitas entitatum ſimilium abſtrahibilium. Actiua eſt id, per quod efficienter, ideſt tamquàm per cauſam efficientem habetur, vt natura poſſit de pluribus prædicari, quod nihil eſt aliud, quàm cauſa efficiens prædicationis Vniuerſalis. Vtraque autèm eſt duplex, alia remota, & alia proxima, ſicut diximus de aptitudine.

Prædicabilitas paſſiua remota eſt obiectum ipſum prædicabile ſecundùm ſe præcisè conſideratum; ſicut ipſe intellectus eſt prædicabilitas actiua remota, ſi ſolùm ſecundùm ſe conſideretur, præſcindendo ab omni ordine, quem vel ipſe habeat ad obiectum, vel obiectũ ad ipſum. Qui ordo, ſeu connexio intentionalis, & obiectiua vtramque, vel alterutram denominat proximam; eò ipſo, quòd in vtraq;, vel alterutra, ſiue mutuò, ſiue nõ mutuò, formaliter inuoluatur. Quare cũ natura abſtracta per cognitionem præciſiuam facta fuerit potens, terminare cognitionem veram affirmantem de illa vnitatem; Et per cognitionem comparatiuam habuerit, poſſe terminare cognitionem compoſitiuam veram, affirmãtem de illa aptitudinem ad eſſendum in multis, ſequitur, huiuſmodi naturam ſecundùm eſſe, quòd habet in tali ſtatu, præſcindendo ab omni alio, non ſolùm eſſe vnam in pluribus, ſed etiam eſſe remotè de pluribus prædicabilem. Quæritur ergò, an hoc idem ſufficiat, an verò aliquid aliud requiratur, ad hoc, vt illa ſit proximè de pluribus prædicabilis? Prò ſolutione ſit.

Prima concluſio. *Prædicabilitas proxima Vniuerſalis non habetur per ſolam cognitionem abſtractiuam, ſeù præciſiuam.* Probatur, quià ad hoc, vt aliquid poſſit proximè prædicari de pluribus, debet eſſe vnum aptum eſſe in pluribus. Sed hoc non habetur per ſolam cognitionem abſtractiuam, vt dictum eſt. Ergo per illam ſolam natura vniuerſalis non fit de pluribus proximè prędicabilis.

Con-

Confirmatur, quia adhoc, vt aliquid poſſit prædicari proximè de pluribus, non ſatis eſt, quòd ſit aliquid quomodocumque vnum; nàm etiam petreitas eſt quid vnum, & tamen non poteſt de pluribus prædicari. Ergo debet eſſe quid vnum aptum eſſe in multis. Cognitio autem abſtractiua facit quidèm naturam vnam, non tamen facit illam aptam. Ergo non facit illam prædicabilem. Præterea ad hoc, vt natura poſſit proximè prædicari de pluribus, debet cognoſci, illam de facto eſſe in pluribus, vel ſaltèm non repugnare ad eſſendum in illis. Ergo requiritur etiam cognitio comparatiua. Ex quo patet, cognitionem comparatiuam non eſſe neceſſariam, vt fiat Vniuerſale ſimpliciter, ſed ſolùm vt fiat Vniuerſale logicum in eſſe logicum formalitèr.

Secunda concluſio. *Proxima, & adæquata prædicabilitas naturæ vniuerſalis, non habetur per ſolam cognitionem comparatiuam*. Probatur, quià cum prædicabilitas de pluribus fundetur in vnitate, & aptitudine; ſi hæ haberi non poſſint per ſolam cognitionem comparatiuam, à fortiori, neque poterit haberi prædicabilitas.

Tertia concluſio. *Prædicabilitas proxima Vniuerſalis habetur partìm per cognitionem abſtractiuam, & partim per cognitionem comparatiuam, & adæquatè per vtramque ſimul.* Prima pars probatur ex dictis; Cùm enim prædicabilitas proxima fundetur, tamquàm vltimum prædicatum Vniuerſalis logici vt logici, in vnitate, & aptitudine, ſi illa habetur per cognitionem abſtractiuam, & hæc per comparatiuam, vtique ipſa proxima prædica-

bilitas

bilitas inadæquatè habetur per vtramque ſeorſim. Probatur ſecunda pars, quià poſitis his duabus cognitionibus, natura denominatur vna apta eſſe in multis. Sed omne id, quod eſt, vel poteſt eſſe in multis, poteſt paſſiuè de illis prædicari. Ergo poſitis his cognitionibus, natura poteſt de pluribus paſſiuè prædicari. Ex alia parte intellectus fit potens naturam actiuè de pluribus prædicare, quià intellectus poteſt prædicare de alio totum illud, quod videt illi inexiſtere. Ergo per has duas cognitiones abſtractiuã, & comparatiuam datur vtraque prædicabilitas tàm actiua, quàm paſſiua. Poſita autèm prædicabilitate tàm actiua, quàm paſſiua, habetur adæquata prædicabilitas proxima Vniuerſalis, quia nihil illi deeſt, quò minus poſſit de inferioribus prædicari. Ergo poſitis præcisè his duabus cognitionibus ſimùl, natura fit proxime prædicabilis prædicabilitate adæquata.

Confirmatur, quià prædicabilitas de multis formaliter habetur à denominatione aliqua intrinſeca neceſſariò reſultante naturæ prædicabili ex vnitate, & aptitudine ipſius ad multa. Ergo per illud idem, per quòd natura fit vna, & apta eſſe in multis, fit proximè de illis prædicabilis. Sed fit vna, & apta per has cognitiones. Ergo per has fit etiam proximè prædicabilis.

Obijcies. Sola poſita abſtractione, ſeù cognitione confuſa, nihil deeſt naturæ ad hoc, vt poſſit de pluribus prædicari. Ergo eſt prædicabilis de illis. Diſtinguo antecedens. Nihil deeſt naturæ ad hoc, vt poſſit proximè

mè prædicari de pluribus, nego: remotè, tranſeat. Et diſtinguo conſequens. Ergo eſt prædicabilis remotè, tranſeat: proximè, nego conſequentiam. Ratio diſtinctionis eſt, quia cùm prædicabilitas proxima (vt ſuprà dictum eſt) dicat prædicabilitatem adæquatam, & hæc non ſolùm dicat potentiam prædicandi paſſiuè in ipſo obiecto, ſed etiam potentiam actiuam, prædicandi in intellectu; ideò ad hoc, vt detur completa, & proxima prædicabilitas, debet non ſolum dari obiectum prædicabile, ſed præterea debet dari ordo inter ipſum, & intellectum potentem illud prædicare. Hic autèm ordo non poteſt dari, niſi intellectus cognoſcat tale obiectum vt inexiſtens in illis, in ordine ad quæ denominatur prædicabile. Ergo non poteſt dari prædicabilitas proxima naturæ de pluribus, niſi detur cognitio comparatiua ipſius naturæ cum pluribus. Sed quià hæc ſupponit iàm naturam factam unam, quam comparet, ideò cum fiat una per cognitionem præciſiuam, illam ſupponit, & cum illa conſtituit adæquatam, & proximam prædicabilitatem.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

An Vniuerſale in actuali prædicatione retineat formaliter vniuerſalitatem?

Statuta iàm eſſentia Vniuerſalis logici in eſſe logici, quià eius ut talis forma denominans eſt prædicabilitas, ſicut cognitio eſt forma cogniti ut cogniti; ideò uidendum eſt, an quandò hæc reducitur ad actum ſecundùm per actualẽ prædicationẽ illius de ſingularibus, an, inquam, quidquã detrimenti patiãtur cœtera conſtitutiua Vniuerſalis? Ratio dubitandi eſt, quià multi putant, per eam cognitionem, per quam cognoſcitur Vniuerſale, non poſſe cognoſci ullam differentiam in particulari. Vniuerſale autèm per eam cognitionem, per quam prædicatur de ſingulari, cognoſcitur ſimul cum ipſo ſingulari, eò quòd illa cognitio, quæ prædicat Vniuerſale de ſingulari, cognoſcat tàm ſubiectum, quàm prædicatum. Ergo per eam cognitionem dicunt, Vniuerſale amittere uniuerſalitatem, quæ pugnat cum ſingulari. Immò alij dicunt, neque eſſe poſſibilem cognitionem diſtinctam ſingularium cum ipſius cognitione, adeòque retentione Vniuerſalis.

Sed hæc ſententia confundit cognitionem directam cum reflexa, & ſimplicem apprehenſionem cum iudicio.

cio. Alia eſt enim cognitio directa faciens Vniuerſale, & alia cognitio reflexa cognoſcens Vniuerſale iam factum, & illud prædicans de ſingulari. Si ergo dicunt, per cognitionem directam Vniuerſalis non poſſe clarè cognoſci differentias, fortaſsè verum dicunt, ſed nihil ad rem. Nam per talem cognitionem non prædicatur Vniuerſale, ſed ſolùm conſtituitur in ſuo eſſe. Si verò ſermo ſit de cognitione reflexa, cùm hæc ſit compoſſibilis cum cognitione directa, quamuis cognoſcat explicitè differentias, & ſingularitates, non tamen tollit, quãtùm eſt ex ſe, vniuerſalitatem, quam ipſa non poſuit, ſed relinquit illam in ſuo eſſe, quod habuit à cognitione directa. Prætereà alia eſt ſimplex apprehenſio, & alia iudicium eiuſdem obiecti. Quarè quamuis hoc reſpiciat explicitè differentias, non tamen proindè huiuſmodi claritatem refundit in ſimplicem apprehenſionem, à qua ipſum iudicium deriuat. Ergo cùm non deſtruat eſſentiam ſimplicis apprehenſionis antecedentis, neque tollit eius abſtractionem, & confuſionem, & per conſequens neque vnitatem obiecti, quibus retentis, retinetur vniuerſalitas.

Prima concluſio. *Vniuerſale factum per ſimplicem apprehenſionem, cum actu prædicatur de ſuis inferioribus, retinet formaliter vniuerſalitatem*. Probatur ex dictis, quià actualis prædicatio Vniuerſalis non tollit cognitionem abſtractiuam, ſeù præciſiuam, à qua natura habet vnitatem; neque comparatiuam, à qua habet aptitudinem, & ab vtraque etiam prædicabilitatem, & vni-

uer-

uerſalitatem. Ergo neque tollit ipſam vniuerſalitaté. Antecedens probatum eſt ſupra. Probatur conſequentia, quià remanente eadem cauſa neceſſaria, ſequitur neceſſariò idem effectus, ſi nihil obſtet. Sed in tali caſu nihil obſtat quòminùs per huiuſmodi cognitiones natura fiat vna apta eſſe in multis. Ergo adhùc fit talis,& per conſequens adhùc retinetur vniuerſalitas. Probatur minor, quià nihil poſterius poteſt eſſe impedimentum cauſæ operanti prò priori ſigno. Sed actualis prædicatio eſt iudicium poſteriùs natura ad ſimplicem apprehenſionem abſtractiuam facientem Vniuerſale; non enim poteſt affirmari aliquid incognitum. Ergo ſicut illam impedire non poteſt, ità neque inpedit eius operationem,& effectum, videlicet vniuerſalitatem.

Secunda concluſio. *Poteſt etiàm fieri Vniuerſale per illud idem iudicium, quo actu prædicatur de ſuis inferioribus explicitè cognitis; adeòque tantùm abeſt, vt in actuali prædicatione amittat vniuerſalitatem, vt potiùs poſſit illam formalitèr accipere per ipſam actualem prædicationem.* Probatur, & explicatur, quià omnis cognitio affirmans Vniuerſale de ſingulari, diuerſimodè tendit in ſubiectũ, & prædicatum, eò quòd illud cognoſcat explicitè, & clarè,& hoc abſtractiuè,& confusè, vt videre eſt in iudicio expreſſo per hanc propoſitionem *Petrus eſt animal*, quod quamuis cognoſcat clarè, & explicitè ſubiectum, cognoſcendo eius vltimam differentiam, & indiuiduationem, videlicet petreitatem, nō tamen cognoſcit clarè, & explicitè etiam prædicatum, quod ſolùm cogno-

ſcit

ſcit abſtractiuè ; & confuſè ſecundùm rationem vniuerſalem *animalis vt ſic*. Cùm igitur ſubiectum illius ſit phyſicè idem cum prædicato, idem Petrus, quatenus eſt ſubiectum, cognoſcitur clarè, & quatenus continetur ſub prædicato, cognoſcitur confuſè per eamdem cognitionem virtualiter duplicem. Hoc poſito, ſic argumentor. Eadem cognitio quatenus tendens in prædicatum *animal* facit, ſaltem impropriè, & virtualiter, Vniuerſale, quia cùm illud cognoſcat confuſè, & abſtractiuè, dat illi vnitatem, adeòque vniuerſalitatem. Ergo quamuis vt tendens in ſubiectum non faciat Vniuerſale, non tamen illud deſtruit, quia ut tendens in ſubiectum non deſtruit ſe ipſam ut tendentem in prædicatum. Ergo ſimul, & ſemel eadem cognitio & facit Vniuerſale, & illud prædicat de ſingulari.

Confirmatur, quia eodem modo cognoſcitur Vniuerſale per iudicium, quando affirmatur de ſingulari, ac quando non affirmatur, ſed ſimpliciter cognoſcitur per ſimplicem apprehenſionem reflexam. Sed tunc retinet vniuerſalitatem. Ergo & nunc.

Obijcies primò. Eſt impoſſibile, quòd eadem cognitio ſit ſimul clara, & obſcura reſpectu eiuſdem. Sed ſi cognitio faciens Vniuerſale cognoſceret explicitè inferiora, ſimul, & ſemel eſſet clara, & obſcura reſpectu eiuſdem; nam Petrus e. g. ut prædicatum cognoſceretur obſcurè, & vt ſubiectum clarè cognoſceretur. Ergo eſt impoſſibile, quòd cum prædicatur Vniuerſale de ſingulari, per eamdem cognitionem prædicantem retineatur uniuerſalitas.

Secun-

Secundò. Quandò dico *Petrus eſt animal*, per ly *eſt*, exprimitur indentitas inter Petrum, & animal. Ergo per hunc actum non poteſt fieri Vniuerſale, immo neq; iàm factum retineri, eò quòd ly *animal* cognoſcatur ut identificatum cum Petro, & per conſequens ut contractum ad aliquid ſingulare.

Ad primum diſtinguo maiorem. Eſt impoſſibile, quòd eadem cognitio ſit ſimùl clara, & obſcura reſpectu eiuſdem eodem modo repræſentati, concedo: diuerſo modo repræſentati, nego maiorem, Et diſtincta eodem modo minori, nego conſequentiam. Dico enim quòd cùm intellectus determinetur ad iudicandum à ſimplicibus apprehenſionibus, & ad has à ſpeciebus impreſſis, ut nuper diximus, poteſt contingere, quòd aliquis habeat ſimùl ſpecies eiuſdem claras in ordine ad unum illius prædicatum, & obſcuras in ordine ad aliud. E.g. ſi ego uideam Petrum à longè moueri, ità ut neſciam, an ſit homo, tunc uerè habeo cognitionem ſimplicem claram gradus *Viuentis*, & confuſam gradus *Rationalis*; adeòque poſſum ſimùl, & ſemel cognoſcere *Petrum* clarè ut *animal*, eumque etiàm obſcurè cognoſcere ut *hominem* per eamdem numerò cognitionem. Nam poſſum dicere *illud obiectum, quod fortaſsè eſt homo, certè eſt animal*.

Ad ſecundum diſtinguo primò antecedens. Per *ly eſt* exprimitur identitas adæquata animalis cum Petro, nego: inadæquata, concedo. Et eodem modo diſtinguo conſequens. Per hunc actum cognoſcitur animal,

ut

ut identificatum adæquatè cum Petro, nego: ut identificatum inadæquatè, concedo conſequentiam. Identitas autèm inadæquata Vniuerſalis cum ſingulari non tollit uniuerſalitatem. Facit enim hunc ſenſum. *Petrus eſt vel hoc, vel illud, vel illud animal*, percurrendo per omnia. Ergo adhùc ex parte prædicati attinguntur omnia animalia confusè, ità ut nullum cognoſcatur, ut determinatè identificatum cum Petro.

Dices. Animal vt identificatum cum Petro eſt contractum ad Petrum. Ergo non eſt Vniuerſale. Sed quando prædicatur de Petro cognoſcitur vt identificatum cum Petro. Ergo non retinet vniuerſalitatem. Diſtinguo antecedens. Eſt contractum ſecundùm aliquam ſui partem indeterminatè, concedo: Secundùm totum, vel ſecundùm partem determinatè, nego antecedens, & cùm illo conſequentiam. Nam per hoc, quòd cognoſcatur animal vt identificatum indeterminatè cum Petro, non proindè cognoſcitur clarè, immò cognoſcitur confuſiùs, & obſcuriùs. Ergo non amittit vniuerſalitatem.

Vrgebis. Illud, quod eſt identificatum cum ſingulari, eſt ſingulare. Sed animal eſt identificatum cum Petro in illa cognitione. Ergo eſt ſingulare. Diſtinguo maiorem. Illud, quod eſt identificatum, vel determinatè, vel adæquatè cum ſingulari, eſt ſingulare, concedo; quod eſt identificatum indeterminatè, vel inadæquatè, nego maiorem. Et diſtinguo eodem modo minorem. Animal eſt identificatum adæquatè cum Pe-

tro, vel ſecundùm aliquam partem determinatè, nego: inadęquatè, & ſecundùm aliquam partem indeterminatè, concedo minorem; Et nego conſequentiam: Ratio diſtinctionis eſt, quia illud Vniuerſale, quod eſt identificatum cum ſingulari, ſecundùm aliquam ſui partem indeterminatè; quamuis ſecundùm illam partem non poſſit eſſe Vniuerſale; poteſt tamen eſſe ſecundùm alias: Quarè cùm illa pars non appareat determinatè, ideò ſecundùm nullam ſui partem eſt ſingulare. Atque adeò cum toto, hoc cognoſcitur confuſè ſecundùm totum, & conſequenter totam quoquè retinet vniuerſalitatem.

Dices tertiò. Apparet animal vt identificatum cum Petro ſecundùm aliquam ſui partem indeterminatè; percurrendo per omnes eius partes. Ergo apparent partes, adeòque pluralitas, cum qua ſtare non poteſt vniuerſalitas. Diſtinguo conſequens: Apparent partes ſub aliquo conceptu confuſo, & communi omnibus, concedo: ſub conceptu proprio, & claro, nego conſequentiam: Conceptus autem communis, ſub quo apparent partes, eſt conceptus animalis. Quando enim dicitur *Petrus eſt animal*, ex vi præciſè huius cognitionis ſolùm determinatur intellectus ad affirmandum de Petro *hoc*, *vel illud animal*, non autem determinatur ad affirmandum *equum*, *vel leonem formalitèr*; nam ſub illo conceptu apparent *hoc*, *vel illud animal* prout duo animalia diſtincta numerò, non autem vt duo diſtincta ſpecie: Quatenùs enim diuidunt immediatè *animal*, non ſunt *Equus*, *Leo* &c., ſed ſunt *animal A.*, *animal B.*, &c. ſicut

Pe-

Petrus, & *Paulus*, quatenùs diuidunt immediatè *hominem*, ſunt *homo A.* & *homo B.*; non autem *Petrus*, & *Paulus*, alioquin non poſſent prædicari de Petro. Non enim poteſt dici *Petrus eſt vel Paulus, vel Ioannes &c.*; quamuis poſſit dici, Petrus eſt vel hic homo, vel ille &c.

Quòd ſi huiuſmodi reſponſio non placeat; quamuis ſolidiſſima ſit, vt pateat, quàm ſit vndequaquè ſolubile hoc argumentum, quod eſt fundamentum contrariæ opinionis, & cenſetur à multis inſolubile: Ad argumentum, inquam, principale ductum ex cognitione identitatis inter Petrum, & animal, Reſpondeo ſecundò, admiſſo etiam abſolutè antecedenti; ſaltem in probabili ſententia admittente ens rationis obiectiuum; negando conſequentiam. Ad cuius probationem reſpondeo, cognoſci quidem huiuſmodi contractionem *animalis* ad *Petrum* per ipſum actum iudicij affirmatiuum, non autem per ſimplicem apprehenſionem confuſam *animalis vt ſic*, per quam ſolùm fit propriè Vniuerſale. Ergo pluralitas cognita per tale iudicium non tollit vniuerſalitatem, quia non cognoſcitur per eam cognitionem, quæ facit Vniuerſale.

Dices: Cognoſcitur ſimul cum illa cognitione. Ergo adhuc tollit vniuerſalitatem. Diſtinguo antecedens. Cognoſcitur ſimul tempore, concedo: ſimul natura, nego antecedens, & cum illo conſequentiam. Nam cùm iudicium ſit poſteriùs natura ipſa ſimplici apprehenſione dependenter à qua fit, quamuis per illud cognoſcatur pluralitas, non tamen ſequitur, quòd tollatur per

illud vniuerſalitas poſita per aliam cognitionem illo natura priorem, cùm nihil poſteriuſ poſſit agere in illud, quod reſpectu ſui habet rationem prioris.

Vrgebis. Quandò prædicatur animal de Petro, prædicantur diſiunctiuè omnia animalia. Ergo ex vi huius prædicationis apparent animalia, quæ prædicantur, & per conſequens non retinetur vniuerſalitas. Diſtinguo antecedens. Prædicantur diſiunctiuè, implicitè, & virtualiter, concedo. Prædicantur explicitè, & formaliter, nego antecedẽs, & cũ illo conſequentiã. Tũc.n. prædicarẽtur explicitè, & formaliter prędicatione diſiunctiua omnia animalia, quandò diceretur de facto *Petrus eſt hoc, vel illud animal*, percurrendo per omnia. Hoc autèm non fit in actu exercito, ſed ſolùm ità prædicantur, vt ſi hæc prædicatio exponi debeat, adhibeatur neceſſe ſit illa particula diſiunctiua, uel. Præterquàm quòd quamuis hoc aliquid probaret contrà ſecundam conclusionem, nihil tamen exindè probatur contrà primam, in qua non dicimus, per ipſummet iudicium prædicans fieri Vniuerſale, ſed per apprehenſionem confuſam illo natura antecedentem, & cum illo remanentem cum ſua vniuerſalitate, quam facit in natura abſtracta. Quarè adhùc non probaret abſolutè, & ſimpliciter, cum actuali prædicatione de ſingularibus, nullatenùs remanere vniuerſalitatem.

ARTI-

ARTICVLVS XIII.

An poſſit fieri Vniuerſale ab alia potentia præter intellectiuam?

RAtio dubitandi eſt, quia ſicut intellectus poteſt in plura tendere confuſo modo, ità vt vnum ab alio non diſtinguat, etiam voluntas, & potentiæ materiales videntur poſſe tendere in plura per modum vnius. Nam voluntas poteſt amare bonum vt ſic; oculus videre colorem vt ſic; auris percipere ſonum vt ſic; &c. Pro ſolutione ſit.

Prima concluſio. *Voluntas non poteſt facere Vniuerſale, ſaltèm directè*. Probatur, quià cùm voluntas non poſſit ferri in aliquod obiectum, niſi quatenùs illi repræſentatur ab intellectu, vt bonum, & appetibile, vel vt malum, & odibile, totum illud, quod amat, vel odit, amat, vel odit eo modo, quo ſibi repræſentatur ab intellectu. Ergo cum fertur circà aliquam rationem communem, & vniuerſalem, fertur in illam, vt talem, ſibi ab intellectu repræſentatam; adeòque priuſquàm voluntas illam velit, vel oderit, iam ſupponitur, illam fuiſſe abſtractam ab intellectu, & per conſequens formaliter conſtitutam in ratione Vniuerſalis. Ergo uoluntas illam non facit uniuerſalem, ſed fertur in illam,

ut talem factam ab intellectu, à quo manuducitur.

Dices. Voluntas fertur in rationem genericam metalli ut ſic, non autèm in rationem ſpecificam talis metalli e. g. auri, argenti &c. Ergo abſtrahit ab his differentijs rationem aliquam uniuerſalem, & per conſequens facit Vniuerſale. Nego conſequentiam. Per hoc enim quòd uoluntas amet rationem aliquam genericam, prout abſtractam à ſingularibus, non ſequitur, quòd uoluntas abſtrahat talem rationem genericam, ſed quòd illam abſtractam ab intellectu, & ut talem ſibi repræſentatam ut bonam amet, & proſequatur. Hoc autèm non eſt facere Vniuerſale directè, ſed ad ſummùm reflexè, quatenùs uidelicèt tenditur, tamquàm in obiectum, in ipſum Vniuerſale, ut formaliter tale.

Secunda concluſio. *Neque oculus, neque vlla alia potentia materialis poteſt facere Vniuerſale.* Probatur primò, quià omnis potentia materialis eſt ità affixa tempori, loco, & alijs huiuſmodi circumſtantijs indiuiduantibus, ut non poſſit ab illis præſcindere. Semper enim conſiderat obiectum, prout exiſtens in tali loco, & in tali tempore. Ergo ſemper cõſiderat hoc ut hoc, & non aliud. Quamuis enim oculus e. g. propter nimiam diſtantiam diſcernere non poſſit, an obiectum ſit Petrus, poteſt tamen ſemper cognoſcere, illud eſſe unum numerò hominem in tali loco, & tempore determinatis. Obiectum autem talitèr affectum, non poteſt ut tale ab intellectu de pluribus prædicari, eò quòd ut affectum talibus circumſtantijs, appareat ſingularizatum.

Ergo

Ergo nulla potentia materialis poteſt facere Vniuerſale. Probatur conſequentia. Nam eò ipſo, quòd aliquid concipiatur ut affectum circumſtantijs indiuiduantibus, concipitur ut indiuiduum. Indiuiduum autem non poteſt eſſe in pluribus. Ergo non concipitur ut Vniuerſale.

Secundò, quia potentiæ materiales, cùm determinentur ex obiecto ad operandum, debent uerſari circà obiecta ut ſunt in ſe, adeòque circa obiecta realia, quæ dentur à parte rei. Vniuerſalia autem neque dantur à parte rei, neque ſunt talia formaliter ſecundùm eſſe intrinſecum, quod habent in ſe. Ergo non poſſunt eſſe obiectum potentiæ materialis,

Tertiò, quia ratio Vniuerſalis includit ſub ſe omnia indiuidua, non ſolùm actu exiſtentia, ſed etiàm poſſibilia. Sed potentiæ materiales non poſſunt ferri, niſi circà præſentia; quis enim dicat oculum attingere colorem etiàm abſentem, & merè poſſibilem? & aurem percipere ſonos merè poſsibiles? Ergo nulla potentia materialis poteſt attingere Vniuerſalia.

Dices. Poteſt oculus ità ferri in coloratum longè diſſitum, vt videat in illo rationem genericam coloris, non autèm ſpecificam viridis, nigri, &c.; & auris poteſt aliquandò audire ſonum vt ſic, abſque eo quòd audiat rationem grauis, acuti, &c. Sed in his caſibus hæ potentię ità tendunt in obiectum in ſe multiplex, vt dent illi vnitatem genericam. Ergo faciunt Vniuerſale.

Nego antecedens. Nam cùm oculus non poſſit eli-

cere viſionem, niſi de obiecto præſenti, poſito in debitâ diſtantiâ, cum alijs requiſitis ad viſionem, non poteſt ferri circà aliquid non exiſtens hic, & nunc à parte rei, ideſt circà aliquid, quod non exiſtat in tali loco, & tempore determinatis. Color autèm in genere neque exiſtit à parte rei, ideſt in tali loco, & tempore determinatis, neque poteſt exiſtere. Ergo non poteſt terminare viſionem. Æquiuocatio autèm conſiſtit in hoc, quòd huiuſmodi uiſio obſcura de tali obiecto lõgè diſſito dat fundamentum intellectui ad abſtrahendam rationem genericam coloris vt ſic, à rationibus ſpecificis; atque adeò ex Vniuerſali intellectus tranſitus fit ad Vniuerſale ipſius oculi. Et idem dico de aure, quæ cum percipit ſonum adeò imperfectè, vt neſciat diſcernere in illo rationem grauis, acuti, &c., dat fundamentum intellectui ad abſtrahendam huiuſmodi rationem à ſpecialibus differentijs acuti, & grauis, non quòd ipſa auris faciat hanc abſtractionem.

Vrgebis. Verè oculus tunc non percipit colorem in ſpecie, quia non cognoſcit albedinem, nigredinem, &c. Ergo cognoſcit colorem in genere. Diſtinguo antecedens. Oculus non percipit clarè colorem in ſpecie, ideſt cognoſcit colorem album, viridem &c. adeo imperfectè, ut non poſſit ex vi talis viſionis determinare intellectum ad affirmandas huiuſmodi rationes ſpecificas; concedo: non cognoſcit obſcurè, & imperfectè rationem ſpecificam, vid[elicet] colorem viridem, album &c. nego antecedens. Et diſtinguo conſequens. Oculus

lis facit Vniuerſale remotè, & per modum determinatiui, concedo; proximè, & per modum principij efficiētis, nego conſequentiam. In tantùm enim in tali caſu per huiuſmodi viſionem fit Vniuerſale, in quantùm illa determinat intellectum ad illud faciendum, non autem quòd illa faciat Vniuerſale.

ARTICVLVS XIV.

An per ſolam primam operationem intellectus propriè fiat Vniuerſale incomplexum? Vbi de alijs ipſius cauſis. Et expenduntur nonnullæ difficultates circà hanc materiam.

ARriaga diſp. 6. logicæ ſect. 9. num. 53., & ſeqq. ait, omne iudicium, in quo tàm ſubiectum, quàm prædicatum ſit uniuerſale, & æquè uniuerſale, ut hoc, *homo eſt animal rationale*, poſſe facere Vniuerſale. Quià uidelicèt, ait, per huiuſmodi iudicium æquè confuſè, & indiſtinctè cognoſci inferiora, atque cognoſcantur per primam operationem. Quòd ſi alterutrum extremum ſit alio uniuerſalius, ut hoc *homo eſt animal*, tunc ait, fieri Vniuerſale per tale iudicium, non quale reſpondet ex

parte

parte vniuerſalioris, vt eſt in dicta propoſitione ex parte prædicati,ſed quale reſpondet minùs vniuerſali,vt eſt ex parte ſubiecti. Ratio ipſius eſt, quia in hac prædicatione ly *animal* non confunditur cum omnibus animalibus,ſed potiùs ab illis diſtinguitur; adeoque illud prædicatum non habet omnem ſuam vniuerſalitatem, ſicut habet ſubiectum, quod non diſtinguit inter rationalitatem Petri, & rationalitatem Pauli. Quòd ſi prædicetur Vniuerſale de ſingulari, *vt Petrus eſt homo*, ab hoc iudicio excludit omnem potentiam, faciendi Vniuerſale, immò illud iam factum etiàm retinendi. Fundamentum ipſius eſt, quia tale iudicium diſtinguit inferiora, adeòque tollit eorum vnitatem, & per conſequẽs vniuerſalitatem; quam doctrinam ait, eſſe omnibus cõmunem. Verùm hæc doctrina quoad hanc vltimam partem reiecta,eſt art.12., vbi ſtatuimus, Vniuerſale, etiàm quandò actu prædicatur de ſingularibus, retinere ſuam vniuerſalitatem. Quòad alia mox reijcitur. Eſto igitur contra Arriagam, omneſque alios, quos ipſe vocat in partem doctrinæ.

Prima concluſio. *Per ſecundam, & tertiam operationem intellectus propriè, & directè non fit Vniuerſale incomplexum.* Probatur, quia cùm hæc iudicia pendeant in fieri,& conſeruari à ſimplicibus extremorum apprehenſionibus, eo modo attingunt obiectum, ſicut ſibi per ſimplices apprehenſiones repræſentatur. Cùm ergò illæ repræſentent extrema, ſiuè ambo, ſiuè alterutrùm iam facta Vniuerſalia, non relinquunt huiuſmodi

modi iudicijs aliam potentiam, faciendi Vniuerſale, quàm reflexè, cognoſcendo uidelicèt illud ut factum.

Neque ualet ad hoc reſponſio Arriagæ dicentis, poſſe idem Vniuerſale fieri bis, uel ter prò numero cognitionum abſtractiuarum; primò, quià ſtatuimus in ar 6. huius diſputationis, ad multiplicationem abſtractionũ non proindè multiplicari formaliter Vniuerſalia, niſi etiàm multiplicentur naturæ uniuerſales; adeòque cùm hic ſemper eſſet eadem natura reſpectu utriuſque cognitionis ſimplicis, & compoſitiuæ, ſemper eſſet idem numerò Vniuerſale. Quomodò ergò idem numerò, quod ſupponitur factum, de nouo fit? Certè hoc eſſet contrà vetùs adagium, tamquàm de aliquo impoſſibili, *actum agere*. Deindè quià omnis cognitio reflexa cognoſcens Vniuerſale iàm factum eſſet etiàm cognitio directa, illud ſcilicèt iterùm faciens, per hoc, quòd illud cognoſcat abſtractiuè. Atque adeò non poſſet vnquàm purè reflexè cognoſci, quin ſimùl iterùm fieret, poſito quòd per ſingulas abſtractiones formalitèr renouaretur.

Meliùs ergò reſponderetur, dicendo, per hæc iudicia poſſe etiàm fieri Vniuerſale virtualiter, vel impropriè, quatenùs concipiuntur inadæquatè per modum ſimplicium cognitionum, vt tendentium vel in ſolum prædicatum, vel in ſolum ſubiectum, vt ſuprà probauimus ar. 7. E. g. hoc iudicium *Petrus eſt animal*, quamuis vt totum non faciat Vniuerſale propter cognitionẽ pluralitatis, tamen vt metaphyſicè diſtinctum in duas for-

formalitates virtuales, quarum vna reſpiciat *animal*, & alia *Petrum*, poteſt ſecundùm primam attingere *animal* confusè, adeòque facere Vniuerſale. Dixi *impropriè*, quià cùm hoc non eſſet Vniuerſale diſtinctum ab Vniuerſali facto per ſimplicem apprehenſionem antecedentem, propriè non poſſet cognoſci, vt effectus talis iudicij, ſed cognitionis antecedentis. Et ideò appoſui aliam particulam *virtualiter*, quià verè hoc iudicium huiuſmodi vim ex ſe formaliter non haberet, ſed ſolùm illam acciperet vt quodammodo in ſe ipſum multiplicatum in plures formalitates metaphyſicas, non quidē formaliter (quòd eſt impoſſibile) ſed per quamdam æquiualentiam, ſeù analogiam metaphyſicam, ſecundùm quam indueret naturam duarum ſimplicium cognitionum, quatenùs conſideraretur modò in ordine ad vnum tantùm ex duobus extremis, & modò in ordine ad aliud.

Dices. Verè hoc iudicium attingit animal confusè. Ergo verè facit Vniuerſale ex parte prædicati, vt dictū eſt ar. 12. Diſtinguo antecedens. Verè hoc iudicium attingit animal confusè, directè abſtrahendo ipſum animal, nego; reflexè vt aliquid abſtractum antecedenter, concedo antecedens; & deindè nego conſequentiā. Et ideò ſuprà in loco citato dixi, hoc iudicium facere Vniuerſale, quatenùs tendit in prædicatum, non autèm quatenùs tendit in ſubiectum, quià ſuppoſui in illo diſtinctionem illam metaphyſicam formalitatum formalium, de qua nuper. Prò cuius confirmatione ſit.

Secun-

Secunda concluſio. *Propriè, & directè Vniuerſale incomplexum fit per ſolam primam operationẽ intellectus, ideſt per ſimplicem apprehenſionem*. Pobatur, quià, cùm Vniuerſale ſit opus rationis, & à iudicijs non ità propriè fieri poſſit, ſupereſt, illud fieri à ſola ſimplici apprehenſione. Confirmatur, quià eſt proprium ſimplicis apprehenſionis abſtrahere naturam genericam à differentijs, vt determinet intellectum ad actum de illis affirmatiuum, uel negatiuum. Sed per huiuſmodi abſtractionem fit Vniuerſale. Cùm ergò hæc cognitio non ſupponat aliam cognitionem antecedentem, à qua fuerit factum, ipſa primùm, & directè facit Vniuerſale. Et ideò per unicum tantùm terminum illud exprimitur, ut *animal*, *homo &c.*, quod nón eſſet, ſi per ſolam ſimplicem apprehenſionem non fieret hoc Vniuerſale.

Statutis iàm cauſis efficiente, & formali Vniuerſalis, ſupereſſet etiam reliquas eius cauſas materialem, & finalem, appoſitis utrinque, expenſiſque concluſionum rationibus, de morè decernere. Verum quià, de hoc uix ulla poteſt eſſe difficultas penès Auctores, ideò omiſſis prolixis diſputationibus, quas alij ſolent inſerere huic loco, curſim ſtatuo quæ neceſſaria duxi ad perfectam intelligentiam huius tractatus, acturus in ultimo articulo, an intellectus angelicus, uel diuinus poſſint facere Vniuerſale?

Dico igitur primò, triplicem eſſe finem Vniuerſalis logici vt logici. Primus eſt, vt ſcientiæ poſſint probare proprietates ſui ſubiecti, quatenùs hoc eſt illarum principium,

formalitates virtuales, quarum vna reſpiciat *animal*, & alia *Petrum*, poteſt ſecundùm primam attingere *animal* confusè, adeòque facere Vniuerſale. Dixi *impropriè*, quia cùm hoc non eſſet Vniuerſale diſtinctum ab Vniuerſali facto per ſimplicem apprehenſionem antecedentem, propriè non poſſet cognoſci, vt effectus talis iudicij, ſed cognitionis antecedentis. Et ideò appoſui aliam particulam *virtualiter*, quia verè hoc iudicium huiuſmodi vim ex ſe formaliter non haberet, ſed ſolùm illam acciperet vt quodammodo in ſe ipſum multiplicatum in plures formalitates metaphyſicas, non quidē formaliter (quòd eſt impoſſibile) ſed per quamdam æquiualentiam, ſeù analogiam metaphyſicam, ſecundùm quam indueret naturam duarum ſimplicium cognitionum, quatenùs conſideraretur modò in ordine ad vnum tantùm ex duobus extremis, & modò in ordine ad aliud.

Dices. Verè hoc iudicium attingit animal confusè. Ergo verè facit Vniuerſale ex parte prædicati, vt dictū eſt ar. 12. Diſtinguo antecedens. Verè hoc iudicium attingit animal confusè, directè abſtrahendo ipſum animal, nego; reflexè vt aliquid abſtractum antecedenter, concedo antecedens; & deindè nego conſequentiā. Et ideò ſuprà in loco citato dixi, hoc iudicium facere Vniuerſale, quatenùs tendit in prædicatum, non autèm quatenùs tendit in ſubiectum, quia ſuppoſui in illo diſtinctionem illam metaphyſicam formalitatum formalium, de qua nuper. Prò cuius confirmatione ſit.

Secun-

Secunda concluſio. *Propriè, & directè Vniuerſale incomplexum fit per ſolam primam operationē intellectus, ideſt per ſimplicem apprehenſionem*. Pobatur, quià, cùm Vniuerſale ſit opus rationis; & à iudicijs non ità propriè fieri poſſit, ſupereſt, illud fieri à ſola ſimplici apprehenſione. Confirmatur, quià eſt proprium ſimplicis apprehenſionis abſtrahere naturam genericam à differentijs, vt determinet intellectum ad actum de illis affirmatiuum, uel negatiuum. Sed per huiuſmodi abſtractionem fit Vniuerſale. Cùm ergo hæc cognitio non ſupponat aliam cognitionem antecedentem, à qua fuerit factum, ipſa primùm, & directè facit Vniuerſale. Et ideò per unicum tantùm terminum illud exprimitur, ut *animal, homo &c.*, quod non eſſet, ſi per ſolam ſimplicem apprehenſionem non fieret hoc Vniuerſale.

Statutis iàm cauſis efficiente, & formali Vniuerſalis, ſupereſſet etiam reliquas eius cauſas materialem, & finalem, appoſitis utrinque, expenſiſque concluſionum rationibus, de morè decernere. Verum quià, de hoc uix ulla poteſt eſſe difficultas penès Auctores, ideò omiſſis prolixis diſputationibus, quas alij ſolent inſerere huic loco, curſim ſtatuo quæ neceſſaria duxi ad perfectam intelligentiam huius tractatus, acturus in ultimo articulo, an intellectus angelicus, uel diuinus poſſint facere Vniuerſale?

Dico igitur primò, triplicem eſſe finem Vniuerſalis logici vt logici. Primus eſt, vt ſcientiæ poſſint probare proprietates ſui ſubiecti, quatenùs hoc eſt illarum principium,

cipium, non autem quatenus eſt tale ſubiectum. Niſi enim daretur Vniuerſale, non poſſet phyſica e. g. probare, Petrum quatenus hominem eſſe riſibilem, ſed ſolùm quatenus Petrum; atque adeò etiam, ſtante probatione de Petro, quòd ſit riſibilis, non ſequeretur, quòd Paulus, & omnis alius homo ſit riſibilis. Ergo debet abſtrahere rationem vniuerſalem hominis vt ſic, cui ſi probet conuenire eſſe riſibile per hoc, quòd Petrus vt homo ſit riſibilis, benè ſequitur, Paulum, & omnem aliũ hominem eſſe riſibilem. Secundus eſt, vt per cognitionem Vniuerſalium veniamus in cognitionem ſingularium. Non enim poſſumus ſcire, quid ſit Petrus, niſi priùs ſciamus, quid ſit animal, & deindè quid ſit rationale, quæ ſunt Vniuerſalia. Poſtremus eſt, nè propoſitiones ſint inutiles, & ineptæ. Si enim non dentur Vniuerſalia, hæc propoſitio, *Petrus eſt homo*, æquiualeret huic, *Petrus eſt Petrus*. Atque adeò omnes propoſitiones veræ neceſſariæ eſſent identicæ; & per conſequens ex ueritate unius nũquã poſſemus inferre veritatẽ alterius.

Dico ſecundò, materialem cauſam Vniuerſalis eſſe plura indiuidua ſimilia, quæ fiunt vnum per cognitionem confuſam: & cauſam formalem eſſe vniuerſalitatem, quæ dicit in recto multitudinem indiuiduorum, & connotat in obliquo cognitionem abſtractiuam, vndè accipit vnitatem. Ex quo ſequitur primò, Vniuerſale eſſe terminum ſecundæ intentionis, vt ſupra diximus, ſicut eſt cognitum, & ſignificare multitudinem indiuiduorum, non ſecundùm ea prædicata, quæ habent realiter

ter hæc indiuidua in ſe, ſed ſolùm ſecundùm ea, quæ habent à cognitione abſtractiua, & comparatiua.

Præterea ſequitur, Vniuerſale fundamẽtalitèr, & materialiter eſſe aliquid corporeum, & ſenſibile. Nã in tali ratione poteſt nihil eſſe aliud, quã plura indiuidua, quæ ſint res corporeæ, vt ſunt *homines*; *leones*, *equi*, &c. quatenùs abſtracti à ratione generica *animalis vt ſic*; formalitèr uerò, ideſt ſecundùm abſtractionẽ intellectus eſſe, ſaltèm inadæquatè, ſpirituale, uidelicet ſecundùm unitatẽ, quam accipit per talem abſtractionem, quę cùm ſit partus potentiæ purè ſpiritualis; etiam ipſa debet eſſe ſpiritualis, digna uidelicèt Parẽtibus operatio. Aliquandò uerò totum Vniuerſale eſt ſpirituale, cuiuſmodi eſſet; ſi ego abſtraherem ab Angelis, uel animabus ſeparatis rationem aliquam *ſubſtantiæ ſpiritualis vt ſic*, uel *entis intrinſecè immortalis vt ſic*: Tunc enim tàm natura, quàm unitas ſunt merè ſpirituales; adeòque totum ipſum Vniuerſale totius erit materiæ concretione ſeiunctum.

ARTI-

ARTICVLVS XV.

An Deus, & Angeli poſſint facere Vniuerſale?

CErtum eſt, Deum, & Angelos in ſuis operationibus cognoſcitiuis non ſe habere, ſicùt homines, qui cùm operentur dependenter à phantaſmatibus materialibus, debent unum colligere ex alio. Deus autèm, & Angeli unico, & ſimplici intuitu feruntur in obiecta, eaquecognoſcunt, prout ſunt in ſe ipſis, uel ſeparata, uel coniuncta, uel identificata. Hoc poſito, quæritur, an poſſit Deus ità ferri in aliqua plura, ut ex illis abſtrahat rationem aliquam genericam omnibus communem, abſque eo quòd cognoſcat rationes illorũ ſpecificas, adeòque faciat Vniuerſale? Ratio dubitandi eſt, quià cùm Deus in ſe ſit perfectiſſimus, habeatque perfectionem omnis cognitionis excogitabilis, nullumque ſit obiectum, quod poſſit eius uim intelligentię ſubterfugere, uidetur quoquè poſſe habere cognitionē, per quam non ſolùm cognoſcat, quaſi reflexè, Vniuerſale factum ab homine, ſed illud quoquè directè faciat. Ex alia parte, quià cùm ſuprà ſtatuerimus, Vniuerſale fieri per cognitionem abſtractiuam, & hæc propter ſuam confuſionem, ſeù obſcuritatem ſit imperfecta, uidetur

detur in Deum cadere non poſſe.

Pater Sfortia Pallauicinus in aſſertionibus Theolog. lib. 3., qui eſt de fide, Spe &c. c. 19. n. 273. non ſolùm dicit, Deum poſſe facere Vniuerſale directè, ſed neceſſariò quoquè illi dandam eſſe huiuſmodi facultatem, ſicut verè videtur ſequi, poſito quòd illi hæc concedatur. Hanc autem ſupponit eſſe dottrinam D. Tho. 1. par. queſt. 14. ar. 11., vbi ait, intellectum diuinum extendi ad Vniuerſalia, eamque probat primò à priori tali pacto. Cognitio directa faciens Vniuerſale, quamuis in nobis dicat confuſionem, adeòque imperfectionem, neutrum tamen dicit in Deo. Probat aſſumptum, quià omnis confuſio dicit negationem diſtinctionis. Sed cognitio faciens Vniuerſale in Deo non dicit negationem diſtinctionis, eò quòd ſit identificata cum cognitione diſtinctiſſima omnium eorum ſingularium, ex quibus abſtrahit rationem vniuerſalem. Ergo nullam dicit confuſionem, & per conſequens, neque imperfectionem. Secundò probat ex abſurdo, quià ſi Deus non faceret Vniuerſale, non poſſet habere multas cognitiones, quæ pertinent ad eius perfectionem, & quas aliundè ſcimus, illum habere, cuiuſmodi ſunt, quod cognoſcat, ſe cognoſcere omnia intelligibilia, ad quod cognoſcendum ait, non ſufficere, quòd cognoſcat ſeorsìm omnia intelligibilia, niſi tendat ad rationem aliquam omnibus communem *intelligibilis vt ſic*.

Sed hæc doctrina mihi non probatur. Primò, quià quantumuìs identificetur cognitio abſtractiua cum alia

quacumque cognitione clara, ſemper cum ſuo robore contra illam argumentum recurrit. Vel enim, poſita huiuſmodi identitate, illa cognitio ut uirtualiter intrinſecè diſtincta à cognitione clara ſingularium, remanet abſtractiua, uel non? Si primum. Ergo non cognoſcit formaliter ſingularia, adeòque eſt confuſa. Si ſecundum. Ergò cognoſcit formaliter ſingularia, adeòque non facit Vniuerſale. Neque ualet, quòd hæc cognitio non habeat phyſicam negationem diſtinctionis, ſeù claritatis. Nam huiuſmodi negatio debet proportionari ipſi cognitioni; atque adeò ſi cognitio ſit phyſicè diſtincta ab alijs claris, etiam phyſicam debet admittere negationem diſtinctionis: Si ſolùm metaphyſicè, metaphyſicam. Cùm ergo hæc diuina cognitio eſſet ſolùm uirtualiter intrinſecè abſtractiua, denominaretur quoquè formaliter confuſa per ſolam negationem uirtualem claritatis exiſtentem in hoc eodem ordine. Quam ſi ab illa negauerit Pallauicinus, negauerit quoquè neceſſe eſt, omnem huiuſmodi uirtualem diſtinctionem, ratione cuius formaliter dicitur abſtractiua. Ergo à primo ad vltimū ſemper eadem urgetur difficultate.

Secundò ad hominem argumentor contra ipſum, quia ſi Deus per aliquam cognitionem faceret Vniuerſale, cognoſceret infinita collectiuè, & per modū unius; uidelicet omnia ea, quæ ueniunt ſub tali ratione uniuerſali. Sed hoc ab ipſo acritèr negatur paulò inferiùs. n. 280. negando infinitum cathegorematicum. Ergo falſum eſt antecedens.

Multò

Multò minùs placet argumentum ſecundum ductum ex abſurdo, quòd nullum omninò eſt. Ratio eſt, quià ſicut ipſe, ut ſaluet, numero mox citato, Deum nō cognoſcere infinita per modum unius ex parte obiecti, ait, illum tendere in infinita modo tendendi indiuiſibili tàm realiter, quàm formaliter, eò quòd uideat in illis ſimultatem poſſibilitatis, quæ reſpectu omnium eſt una, eademque diuina omnipotentia ſingulis tribuens denominationem poſſibilium. Ex quo elicit numero 28., quoc àm Deus creat aliquod indiuiduum ex aliqua ſpecie, tendat indiuiſibiliter per ſuum decretum, adeòque per cognitionem illius regulatiuam, in omnia alia indiuidua poſſibilia illius ſpeciei, quamuis hæc ſint infinita, & facit hunc actum, *volo creare potiùs hoc indiuiduum, quàm vllum aliud ex infinitis poſſibilibus*, per quem actum cognoſcat, hæc eſſe omnia poſſibilia ſub hac ſpecie, & non alia. Sicut, inquàm, ipſe ait, poſſe ſaluari, Deum cognoſcere omnia indiuidua alicuius ſpeciei, ut omnia, abſq; eo quòd illa cognoſcat per modum unius collectionis ex parte obiecti; ità poſſet dici, quòd Deus cognoſcat omnia intelligibilia ut omnia, per hoc quòd cognoſcat unitatem poſſibilitatis reſpectu omnium, uidelicèt unam, eandemque ſuam omnipotentiam, quam comparando cum omnibus, & ſingulis illis, cognoſcat, hanc adæquatè ab illis terminari, quatenùs extra illa nihil inuenit, cum quo comparet ſuam omnipotentiam, ut poſſibilitatem illius. In tali caſu Deus ex una parte cognoſceret omnia intelligibilia, quià nullum

Aa 2 præ-

prætermitteret intelligibile non comparatum cum ſua omnipotentia; & ex alia parte cognoſceret, extrà illas ſuas comparationes non dari alias. Ergo cognoſceret, earum termino comprehendi omnia, & ſingula intelligibilia. Atque adeò illa cognoſceret formaliter, ut omnia, etiamſi illa ſolùm cognoſceret per modùm plurium, & plurium in infinitùm ſincathegorematicè; & per conſequens per infinitas cognitiones virtualitèr intrinſecè diſtinctas, quarum ſingulæ cognoſcerent ſingula intelligibilia.

Confirmatur, quià ad hoc vt cognoſcatur, octo homines e. g. eſſe omnes, qui fuerunt in arca Noè, neceſſe eſt primò, quòd ſinguli illi octo cognoſcantur, & deindè, quòd omnes alij cognoſcantur, vel ſimplicitèr eo tempore non exiſtentes, vel exiſtentes extrà arcam. Ità etiàm ad hoc vt cognoſcatur, hæc eſſe omnia intelligibilia, debent priùs cognoſci omnia, & ſingula iſthæc indiuidua; & prætereà omnia alia, ſi quæ ſunt, vel non eſſe intelligibilia, vel nihil aliud dari intelligibile, quod non reducatur ad vnum ex his. Deus ergo primò cognoſcit omnia, & ſingula intelligibilia. Secundò extrà ea nullum aliud cognoſcit obiectum. Ergo hæc vt omnia cognoſcuntur à Deo, quãuis non cognoſcantur abſtractiuè, alioquin cognoſceretur aliquid extrà intelligibile vt ſic, quod implicat in adiecto.

Ad auctoritatem Diui Thomæ ab ipſo relatam, reſpondeo, Sanctum Doctorem inibi ſolùm loqui de cognitione reflexa, ſeù quaſi reflexa, qua Deus cognoſcat

rationes

rationes vniuerſales à nobis factas, vt patet in toto articulo tàm in corpore, quàm in reſponſionibus ad obiecta; nunquàm autèm loqui de cognitione directa, quæ illas faciat. Per hoc enim quòd *ſimplex intellectus Dei extendatur tàm ad ſingularia, quàm ad Vniuerſalia* (quæ ſunt verba Diui Thomæ) non video quomodò inferatur, illum facere directè Vniuerſale. His poſitis, ſit.

Prima concluſio. *Deus poteſt cognoſcere Vniuerſale factum à nobis*. Probatur primò ex dictis, quià poteſt, immò debet cognoſcere omnes, & ſingulas noſtras cognitiones. Ergo etiàm illam, per quam facimus Vniuerſale. Sed non poteſt clare cognoſci cognitio, niſi etiàm cognoſcatur eius obiectum, ſeù terminum. Ergo debet cognoſcere etiàm Vniuerſale, quod reſpectu talis noſtræ cognitionis habet rationem termini, ſeù obiecti.

Secundò à priori, quià in hoc nulla inuoluitur imperfectio. Ergo neque implicantia. Probatur antecedens, quià hoc Vniuerſale poteſt à Deo cognoſci clarè; non enim cognitionis noſtræ obſcuritas refunditur in cognitionem diuinam. Sed cognitio clara, cæteroquì vera, nullam dicit imperfectionem (quæ tota circumſcribitur in cognitionibus, confuſione, & falſitate) immò potiùs dicit perfectionem, cùm ſemper meliùs ſit, obiecta clarè cognoſcere, quàm non cognoſcere. Ergo huiuſmodi cognitio conuenit Deo.

Dices. Non poteſt clarè cognoſci Vniuerſale, quin

clarè cognoſcantur omnia, & ſingula ea, ex quibus abſtrahitur ratio Vniuerſalis. Sed illis clarè cognitis, ceſſat vniuerſalitas. Ergò hæc vt hæc cognoſci clarè non poteſt. Nego minorem, ut ſuprà probauimus in ar. 12. Ex cuius falſitate apparet etiam falſitas maioris, & per conſequens etiam illationis, vt patet.

Secunda concluſio. *Non poteſt Deus facere Vniuerſale directum.* Probatur primò, quià cognitio abſtractiua, vt abſtractiua, dicit de ſuo conceptu formali confuſionem, ſine qua non eſſet ſufficiens dare pluribus vnitatẽ vniuerſalem. Cùm ergò in Deum non cadat confuſio, neque factio Vniuerſalis.

Secundò, quià factio Vniuerſalis dicit deficientiam cognitionis. In tantùm enim cognoſcimus plura ſub ratione aliqua vniuerſali omnibus communi, in quantùm non poſſumus illa plura clarè cognoſcere. Sicut quià oculus non poteſt ferri in vltimas rerum ſubſtantias, ſiſtit in coloribus, quibus illæ veluti corticè obducuntur; & quandò euidentiam habere non poſſumus, optimam ducimus opinionem. Et hæc eſt ratio, quarè ſi cognoſcamus plura clariſſimè; non poſſumus ex illis abſtrahere rationem vniuerſalem; vt contingit Angelis circà obiecta phyſica; ut mox uidebimus. Cùm ergò omnes, & ſingulæ cognitiones diuinæ ſint perfectiſſimę, & clariſſimæ, huiuſmodi deficientiam admittere neque decet, neque poſſunt.

Tertiò, quià ſi Deus poſſet facere Vniuerſale, poſſet etiam facere ens rationis metaphyſicum, quod vſque

adeò;

adeò, & meritò negatur à Pallauicino in materia de Incarnatione. Probo ſequelam; quia poſſet dici; quòd quamuis per cognitionem diuinam A. facientem ens rationis ut virtualiter intrinſecè diſtinctam ab alijs; videretur Deus exponi periculo errandi; eò quòd per illam cognitionem determinaretur ad affirmandum, exiſtere id, cuius poſſet affirmare, exiſtere negationem, & uice uerſa; Tamen quia propter identitatem phyſicam huius cognitionis cum alia, per quam cognoſceret intrinſecè incompoſſibilitatem, adeòque inaffirmabilitatem ſimultaneam utriuſque contradictorij, determinaretur ad illud uerè excludendum ab exiſtentia; per actū negatiuum; ideo Deus ab hoc periculo eximeretur: Ergo per primam cognitionem facientem ens rationis, Deus non poſſet errare: Probo conſequentiam: Quia cùm error ſit ignorātia, & hæc ſit defectus ſcientiæ, poſſet tolli huiuſmodi defectus per phyſicam identitatem cum ſcientia, ſicut confuſio cognitionis abſtractiuæ tollitur per phyſicam identitatem cum cognitione clara eiuſdem obiecti.

Confirmatur, quia ſi Deus poſſet facere Vniuerſale, poſſet etiam habere opinionem, cuius potentia formidandi (quam ipſe ait, eſſe propriam cuiuſcunque actus opinatiui) excluderetur per identitatem cum ſcientia. Vndè redderetur etiam probabilis illa doctrina de identitate opinionis cum ſcientia, quam ipſe tamquam falſam impugnat, vt vidimus in 1. libro.

Probatur demùm efficacitèr; quia intantùm fiant

ra dedit homini potentiam, faciendi Vniuerſale, in quãtùm illi dedit potẽtiam, diſcurrendi in remediũ ignorãtiæ, per quã videlicet poſſit deducere aliquid ignotũ ex alio cognito. Ergo vbi ceſſat capacitas ſeu potentia ad ignorandum, ceſſat etiam capacitas, faciẽdi Vniuerſale, & per conſequens etiã diſcurrendi. Probatur antecedẽs. Siquidẽ ſi homo nõ poſſet facere Vniuerſale, neq; poſſet diſcurrere. Nàm ſi dùm cognoſco Petrum ex. g. nullum haberem conceptum communem etiam Paulo, non poſſem inferre ex eo quòd cognouerim, Petrũ eſſe riſibilem, ſeù poſſe ridere, quòd etiam Paulus ſit riſibilis, ſeu poſſit ridere. Hæc enim illatio ideò poteſt à me fieri, quià in vtroque cognoſco eumdem gradum vniuerſalem hominis, cui conuenit poſſe ridere. Ergo ideo homini eſt potentia phyſica diſcurrendi, quià poteſt phyſicè acquirere aliquam cognitionem de nouo, quam cæteroquì nõ haberet, & loco illius haberet ignorantiam. Sed quià diſcurrere non poteſt, niſi gradum faciendo ex vna in aliã cognitionem, quod ſit per factionem Vniuerſalis; Idcircò debuit etiam poſſe facere Vniuerſale. In Deo verò hæc ratio ceſſat, quià cùm Deus cognoſcat omnia intuitiuè, neque poſſit habere vllam ignorantiam, non debet vnum deducere ex alio. Atque adeò ad hoc vt cognoſcat, Petrum eſſe riſibilem, non eſt neceſſe, quòd cognoſcat in illo aliquod prædicatum commune Paulo, ſed ſatis eſt, quòd cognoſcat petreitatem, ideſt vltimam differentiam ipſius Petri, cui eſſentialiter conuenit, eſſe riſibilem. Ergo facere

Vni-

Vniuerſale, quod homini, ſuppoſita ſuæ limitatione capacitatis, eſt vel perfectio, vel remedium imperfectionis, Deo eſſet ſimpliciter maxima imperfectio, & per conſequens illi conuenire non poteſt.

Contrà huiuſmodi concluſionem duæ poſſunt eſſe difficultates. Prima eſt. Quandò Deus cognoſcit Vniuerſale factum ab homine, ità cognoſcit rationem vniuerſalem, vt nullam in ea formaliter cognoſcat rationem differentiæ. Ergo facit etiàm directè Vniuerſale, quià cognoſcit rationem genericam, non cognitis differentijs. Altera eſt. Si Deus non poſſet habere cognitionem directam facientem Vniuerſale, omnis cognitio Dei eſſet clariſſima,& comprehenſiua obiecti. Sed hoc admitti non poteſt abſque læſione diuinæ libertatis in operando, eò quòd per ſingulas cognitiones cognoſceret omnia prædicata obiecti, adeòque etiàm relatiua,& per conſequens, cum hæc referantur ad omnia, per ſingulas cognitiones Deus clarè, immò comprehẽſiuè cognoſceret omnia, quibus cognitis, non eſſet liber ad illa ponenda, uel non ponenda, ne videlicèt per non poſitionem alicuius falſificetur eius cognitio affirmans, ſeù cognoſcens illius exiſtentiam. Ergo &c.

Ad primam nego antecedens. In tantùm enim nòs cognoſcimus hanc rationem, non cognitis differentijs, in quantùm ſimul cum cognitione, per quam facimus Vniuerſale, nòn habemus aliam cognitionem, per quã cognoſcamus ſingularia. Deus autèm cum cognitione naturæ uniuerſalis à nobis abſtractę, habet aliam cogni-

tio-

tionem, ſiuè formaliter, ſiuè virtualiter diſtinctam, per quam cognoſcat clariſſime, & comprehenſiuè omnia, ſingularia. Ergo neque facit, neque poteſt facere Vniuerſale, quià huiuſmodi cognitionum, ſiuè identitatem, ſiuè claritatem non poteſt non habere.

Ad ſecundam difficultatem nego minorem. Vel enim loquimur de cognitionibus, quæ ſint formaliter ſcientia viſionis; vel de ijs, quæ ſint formaliter ſcientia ſimplicis intelligentiæ? Si de primis, cùm hæ ſupponat obiectum exiſtens; per hoc, quòd cognoſcat omnia, & ſingula illius prædicata, etiam relatiua, non ſequitur, quòd proindè cognoſcat omnia ſimpliciter. Ratio euidens eſt, quià relatio coexiſtentiæ, cùm ſit prædicamentalis, non datur, niſi detur etiam terminus, qui includitur in illa intrinſecè. Poſito igitur, quòd exiſtat obiectum A. e. g., & non exiſtat B.; ipſum A. non refertur ad B. Quamuis ergo Deus cognoſcat clariſſimè A., adeòque omnem ipſius reſpectum, ad omnia ſibi correlatiua, nòn tamen cognoſcet ipſum B., ad quod A. non refertur. Cùm ergo obiecta actu exiſtentia cognita per talem ſcientiam, non ſint omnia intelligibilia; per hoc quòd Deus cognoſcat illa omnia; non ſequitur, quòd cognoſcat ſimpliciter omnia intelligibilia. Si verò ſupponamus, cognitionem Dei eſſe ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vltrò fateor, per quamlibet huiuſmodi cognitionem, Deum omnia ſimpliciter cognoſcere. Hoc tamen non ſolùm non officit diuinæ libertati, ſed potiùs illam formalitèr perficit, tamquàm aliquid illi maximè ne-

neceſſarium; & ſine quo eſſet valdè imperfecta. Quomodò enim Deus poſſet exercere ſuam libertatem circa poſſibilia incognita? Ad hoc ergo vt poſſit circa hæc omnia, exercere libertatem; debet illa omnia poſitiuè cognoſcere, & quò clariùs ea cognouerit, eò etiam erit magis liber ad illa ponenda, vel non ponenda.

De Angelis eſt alia quæſtio. Nam poſſumus dicere, illos, ſaltem in ordine ad aliqua obiecta ſupernaturalia; poſſe facere abſtractiones ſufficientes ad Vniuerſale, quia illa non diſtinctè, & clarè cognoſcunt; quamuis in ordine ad obiecta phyſica, Vniuerſale facere non poſſint. Quarè ſtatui poſſet.

Tertia concluſio. *Angeli poſſunt facere Vniuerſale circa ea omnia obiecta ſupernaturalia; quæ non cognoſcunt per ſpecies ſibi inditas ab Auctore Naturæ in primo ſuæ creationis inſtanti; non autem circa ea, ad quæ habuerunt huiuſmodi ſpecies, vt ſunt omnia, & ſingula obiecta phyſica.* Probatur ex dictis vtraque pars. Nam obiecta primi generis poſſunt illi abſtractiuè cognoſcere; adeoque poſſunt ex illis abſtrahere aliquam rationem communem, ſicut faciunt homines. Sed hi faciunt circa huiuſmodi obiecta Vniuerſale. Ergo & illi. Circa obiecta verò ſecundi generis, quia non poſſunt exercere abſtractiones; eò quòd illa intuitiuè cognoſcant; neque poſſunt formare Vniuerſalia. Verùm hæc ad Theologos. Reliquum eſt, vt ad Vniuerſalium ſpecies propiùs accedamus; quod fiet diſputatione ſequenti.

DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA

De Vniuerſalibus in ſpecie, ſeù Prædicabilibus.

POSTQVAM vidimus quid ſit Vniuerſale in genere, debemus tranſitum facere (vt ordo doctrinæ poſtulat) ad ſpecies illius, quæ dicuntur Prædicabilia, eò quòd cùm ſint in multis per identitatem, poſſunt de illis prædicari. Et ideò omnia Prædicabilia exprimuntur per terminos communes, & vniuerſales.

ARTICVLVS PRIMVS,

Quot ſint Prædicabilia, & quæ?

DIuerſitas Vniuerſalium, ſeù Prædicabilium non deſumitur ex diuerſitate ſubiecti, quod dicitur *Vniuerſale*, ſed ex diuerſitate formæ, quæ dicitur *vniuerſalitas*, ſeù *prædicabilitas*. Quamuis enim *equus, vt ſic* e. g. dicat diuerſum ſubiectum ab eo, quod dicit, *homo vt ſic*, non proindè *equus vt ſic* eſt diuerſum Prædicabile ab *homine vt ſic*, eò quòd vtrumque ſit Species, quia

quiá vtrumque eſt ſolùm prædicabile de pluribus, differentibus numerò *in quid*: Contrà verò *animal vt ſic*, eſt diuerſum Prædicabile ab vtroquè ex dictis, eò quòd *animal* ſit prædicabile non ſolùm de pluribus differentibus numerò, ſed etiam de pluribus differentibus ſpecie in quid, quæ eſt diuerſa vniuerſalitas, ſeù prædicabilitas. Hoc poſito, quæritur, quænam ſint, & quot huiuſmodi Vniuerſalia ſeu Prædicabilia?

Vnica concluſio. *Prædicabilia neque ſunt plura, neque pauciora, quàm hæc quinquè, videlicet Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens.* Aliqui probant hanc concluſionem ex Ariſt. 1. topic. c. 4. vbi definiens Accidens dicitur hæc habere. *Accidens neque eſt Genus, neque Species, neque Differentia, neque Proprium*, quibus uerbis dicunt, ab Ariſtotele Accidens definiri negatiuè per aliorum excluſionem; Vndè colligunt, eſſe Prædicabile diuerſum ab alijs. Sed niſi enumeraſſet omnia Prædicabilia diſtincta ab Accidente, hæc conſequentia non valeret. Ergo inferunt, fuiſſe omnia ab Ariſtotele inibi enumerata. Cùm ergo hæc ſint ſolùm quattuor, præter Accidens, cum illo ſunt ſolùm quinquè.

Sed quiá textus eſt adulteratus, nec fidelitèr refertur; ideò nullam habet auctoritatē. Quòd autèm ſit adulteratus, patet, nàm in loco citato Ariſtoteles hæc habet. *Accidens autem eſt, quod nihil horum eſt, neque Definitio, neque Proprium, neque Genus, ineſt autem rei*, vbi nulla fit mentio Differentiæ, ſeu Speciei. Quarè aliter probandam duco concluſionem.

Probo

Probo igitur tali pacto. Tot ſunt Prædicabilia, quot ſunt vniuerſalitates, & prædicabilitates, ſeu quot ſunt modi, quibus Vniuerſalia pluribus inexiſtunt, & de illis prædicantur. Sed hæ ſunt tantùm quinque. Ergo totidem erunt Vniuerſalia, ſeu Predicabilia. Maior patet ex dictis. Minor probatur, quia illud, quod prædicatur de pluribus, vel prædicatur ut aliquid illis eſſentiale; vel vt aliquid illis accidentale? Si ut eſſentiale; uel vt tota eſſentia, & eſt Species; vel vt pars eſſentiæ; & hęc, ſi ſit perfectibilis, & contrahibilis ab alia, eſt Genus: ſi contrahens, & perfectiua, eſt Differentia. Quòd ſi prædicetur vt aliquid extra eſſentiam, ſeù accidentale; vel prædicatur vt aliquid, quod emanat ab eſſentia, & entitate intrinſeca ſubiecti, ideſt quòd neceſſariò conectatur cùm illo; vel vt aliquid extrinſecum, ſeù contingentèr cum illo connexum? Si primum, eſt Proprium. Si ſecundum, eſt Accidens. Cùm ergò hæc ſint ſolùm quinque, totidem erunt Prædicabilia, neque poſſunt eſſe plura, neque pauciora. Non plura, quia hæ diuiſiones fiunt per membra contradictoriè exhaurientia totum diuiſum. Non pauciora, quia hæc membra eſſentialiter differunt, & in bona diuiſione nullum membrum diuidens debet in alio includi. Ergo hæc tantùm ſunt Prædicabilia, ſeù Vniuerſalia.

Obijcies primò. Illud, quod prædicatur vt aliquid eſſentiale, poteſt prædicari non ſolùm vt pars perfectibilis, & perfectiua, ſed etiam vt aliquid neutrum, ideſt quod neque perficiat, neque perficiatur. Sed hoc neque

quę eſt Genus, neque Species. Ergo eſt aliquid aliud medium inter hæc duo; & per conſequens erit ſextum Prædicabilę. Secundò. Omnia Prædicabilia poſſunt reduci ad duo tantum, videlicèt ad Prædicabile eſſentialiteŗ, & Prædicabile accidentaliter. Ergo non ſunt quin què. Tertiò. Prędicamenta ſunt decem. Ergo ętiam Prædicabilia. Quarto. Ratio prædicabilis in communi non poteſt reduci ad vllum ex his quinquè. Ergo erit ſextum Prædicabile. Probatur antecedens, quia ſi ad aliquod poteſt reduci, maximè ad Genus. Ad hoc autem reduci non poteſt, quia non poteſt dari Genus ſuperius Genere; alioquin contineret Genus ut ſui partem, uidelicèt ut unum Prædicabile, & contineretur ſub illo ut unum Genus. Sed eſt impoſſibile, quòd idem includat, & includatur ab alio. Ergo eſt impoſſibile, quòd iſthæc ratio reducatur ad Genus. Quintò. Indiuiduum uagum pròut abſtrahit à ſingularibus, & ſignificat uel hoc, uel illud, nullum determinatè ſignificando, eſt ſextum Prædicabile. Ergo &c. Sextò. Differentia generica, & ſpecifica conſtituunt duo Prædicabilia. Ergo cum alijs quattuor erunt ſex.

Ad primum nego maiorem. Nàm totum id, quod eſt intrinſecè ordinatum ad faciendum vnum per ſe cū alio, debet eſſe cum illo ità eſſentialiter connexum, vt talis connexio ſit bona toti, ad quod illa duo ſunt ordinata. Sed hæc connexio non poteſt eſſe bona toti, ad quod illa duo ordinantur, niſi per illam hoc totum perficiatur. Ergo debet aliquo modo perfici. Hæc autèm

per-

perfectio totius non poteſt formalitèr per aliud haberi, niſi per hoc, quòd vnum ex illis ab altero perficiatur, alioquin erit connexio accidentalis, & non eſſentialis. Ergo totum illud, quod eſt eſſentialiter ordinatum ad faciendum vnum per ſe cum alio, quod exprimitur per ly *prædicatur in quid* debet, uel perfici ab illo, uel illud perficere.

Ad ſecundum diſtinguo antecedens. Poſſunt reduci ad hæc duo tamquàm ad Species ſubalternas & immediatas, ſicut omne animal reducitur ad rationale, & irrationale, concedo; tamquàm ad Species infimas, nego antecedens, & cum illo conſequentiam. Ad hoc autèm ut habeatur eorum notitia clara, debent ſingula reduci ad ſuas Species infimas, ſeù athomas.

Ad tertium nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quià prædicamenta diſtinguuntur inter ſe ex diuerſo modo afficiendi ſubſtantiam; Prædicabilia uerò ex diuerſo modo inexiſtendi in pluribus. Ergo quamuis decem ſint modi, afficiendi ſubſtantiam, adeòque decem prædicamenta, non tamen proindè totidem erunt modi, inexiſtendi in pluribus, quos diximus eſſe tantùm quinquè, & per conſequens neque Prædicabilia.

Ad quartum tranſeat primò antecedens, & nego cõſequentiam, quià ratio *Prædicabilis in communi* eſt ratio analoga, & non uniuoca, ut uidebimus infrà; Prædicabilia verò debent eſſe uniuoca. Per hoc igitùr, quòd huiuſmodi ratio non reducatur ad ullum ex quinquè dictis, non ſequitur, ab illa conſtitui ſextum Prædicabile.

Dico

Dico tamen, quòd ſi accipiamus Genus non rigoroſè, ſed in aliqua latiori ſignificatione, ſub qua præſcindatur à ratione vniuoci, vel analogi, etiàm ratio *prædicabilis vt ſic* reducetur ad Genus, vt probabitur articulo ſequenti. Quarè vel hæc ratio non eſt prædicabilis, vel eſt Genus. Vndè poterit prò ſecunda reſponſione negari antecedens, accipiendo Genus lato modo, ſub quo comprehendatur etiam *prædicabile vt ſic*, & cum illo etiam negari conſequentia.

Ad quintum nego antecedens, primò quià indiuiduũ vagum non habet inferiora; adeòque non eſt propriè Vniuerſale. Ex eo enim quòd verificetur de indiuiduo hominis vago, quòd currat e. g., non proindè hoc verificatur de Petro, Paulo, &c. Superiora autem debent omnia communicare ſuis inferioribus; vt habetur 4. top. loco. 7. Ergo &c. Deindè quià indiuiduum vagum, cùm includat formaliter vltimas differentias, non eſt vniuocum, ſed analogum. Ergo non poteſt eſſe Vniuerſale, quod neceſſariò debet eſſe vniuocum, vt habetur 5. met. tex. 12. & 1. poſt. t. 25., propter cuius defectum Ariſtoteles 1. eth. c. 6. ait, *bonum vt ſic non eſſe Vniuerſale*, quià cùm inſit omnibus prædicamentis, eſt analogum; & 4. met. t. 6. ait, *ens vt ſic non eſſe vniuerſale* propter eamdem rationem.

Ad ſextum nego antecedens. Nàm vtraque habet rationem partis perfectiuæ, adeòque vtraque pluribus inexiſtit eodem modo. Quod idem proportionaliter dico de Genere ſummo, & ſubalterno, quià vtrumque

habet rationem partis perfectibilis. Præterea idem dico propter eamdem rationem de Specie ſubalterna, & infima; quia vtraque habet rationem totius eſſentię: de Accidente generico, & ſpecifico: de Proprio primo, & quarto modo, &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quid ſit Genus, & an benè definiatur?

Genus quadrupliciter dicitur penès Ariſtot. 5. met. c. 21. t. 33. Nàm aliquandò ſignificat primęuam originem, ſeu ſanguinem, ex quo ortum duximus; & ſic dicitur Romanorum Genus à ſanguine Romuli, quatenùs videlicèt omnes Romani ortum ab illo traxere; & Græcorum Genus à Greco primo illorum inſtitutore. Aliquandò ſignificat patriam, & parentes, ex quibus originem ducimus. Et ſic dicitur Iulius Cæſar genere Romanus, quia eius Patria fuit Roma; & Romulus dicitur genere martigenus, quia eius Pater dicitur fuiſſe Mars Deorum fortiſſimus, vt Veteres commenti ſunt. Aliquandò ſignificat materiam, & ſubiectum Phyſicum, vt eſt ſuperficies reſpectu figurarum ſuperficialium, & ſolidum reſpectu ſolidarum. Aliquandò demùm accipitur pro eo, quod eſt commune pluribus ſpeciebus, ſicut eſt *animal* reſpectu *leonis*, *equi*, &c.

&c. Genus ergo in hac quarta ſignificatione acceptum, de quo ſolùm loquimur, definitur in concreto 1. top. c. 4. hoc modo: *Genus eſt, quod de pluribus & differentibus ſpecie in eo, quod quid eſt prædicatur*. Quæ definitio ſolet communiter ità tradi. *Genus eſt illud, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid*. Hoc poſito, quæritur, an hæc ſit bona, & rigoroſa definitio; an verò ſolùm deſcriptio? Prò ſolutione ſit:

Prima concluſio. *Definitio Generis tradita, non eſt rigoroſa definitio*. Probatur, quià non ſit per Genus, & Differentiam rigoroſè; nam ly *quod prædicatur de pluribus*, quod ponitur loco Generis, cùm ſit ratio quædam analoga, rigoroſè non eſt Genus, vt ſuprà dictum eſt. Definitio autèm rigoroſa debet fieri per aliquam rationem communem, quæ rigoroſè ſit Genus. Ergo &c.

Secunda concluſio. *Hæc tamen definitio eſt bona in hoc ſenſu, quòd benè explicet eſſentiam, & naturam Generis, illudque diſtinguat ab omni alio*. Probatur, quià hæc definitio conuenit omni, & ſoli Generi. Nam nullum eſt Genus, quod non ſit aliquid prędicabile de pluribus differẽtibus ſpecie in quid, & nihil præter Genus eſt huiuſmodi. Præterea eſt clarior definito, illiuſque eſſentiam ſufficienter explicat. Ergo hæc definitio eſt bona, ſaltèm lato modo.

Obijcies primò. Omnis bona definitio debet explicare naturam definiti, vel per Genus rigoroſè, uel per aliquid, quod habeat rationem Generis, reſpectu definiti: patet ex Organo philoſophico. Hæc autèm non

eſt huiuſmodi, quia nihil poteſt inueniri, quod uel ſit Genus formaliter, vel habeat rationem Generis, ſeu ſuperioris, reſpectu ipſius Generis. Ergo non eſt bona definitio. Probatur minor. Quicquid enim aſſignetur, vel illud eſt Genus, vel non? Si eſt Genus. Ergo eſt pars definiti, quià definitur omne Genus. Si non eſt Genus. Ergo non habet rationem ſuperioris reſpectu Generis; & per conſequens non poteſt hoc per illud definiri.

Secundò. Pars non poteſt prædicari *in quid* de toto, ut ait Ariſt. 4. top. c. 5. Non enim poteſt dici, *homo eſt caput*. Sed Genus eſt pars Speciei; animal enim eſt pars hominis. Ergo Genus non poteſt prædicari de Specie *in quid*.

Tertiò. Genus eſt aggregatum per accidens ex natura, & vniuerſalitate. Ergo non poteſt vnica definitione definiri, vt habetur ex 7. met. tex. 42. Ergo hæc definitio nullo modo eſt bona.

Quartò. Genus non poteſt definiri in ordine ad Species ſubijcibiles, quià etiam hæ definiuntur in ordine ad Genus; dicitur enim Species ſubijcibilis, *quæ ſub Genere eſt*. Ergo per hanc definitionem committitur circulus vitioſus, & per conſequens non eſt bona.

Ad ſolutionem primi, duo præmitto. Alterum eſt, nullum eſſe abſurdum, quòd idem concipiatur ſub duplici formalitate, ſub quarum vna habeat rationem ſuperioris, & ſub alia rationem inferioris reſpectu eiuſdem. Nam *definitio vt ſic*, quatenùs eſt actus definiens;

ſeù

ſeù definitio, definit etiàm ſe ipſam, atque adeò eſt ſuperior, & inferior reſpectu ſui; ſuperior quatenùs definit, & inferior quatenùs definitur. Sic etiàm *cognitum vt ſic*, eſt ratio ſuperior, & inferior reſpectu ſui. Nàm cùm includat omne cognitum, & ipſum ſit vnum cognitum, includit etiàm ſe ipſum; atque adeò vt includens eſt ſuperius, & vt incluſum eſt inferiùs.

Alterum, quod præmitto eſt, rationem *prædicabilis vt ſic* eſſe aliquid tranſcendens per omnia Prædicabilia; adeòque habere rationem Generis, reſpectu ſingulorum, ſeorsìm, & diſtributiuè ſumptorum, quatenùs videlicèt in illa ità confunduntur omnia Prædicabilia, vt unum ab alio diſcerni non poſſit. Ex quò ſequitur, quòd cùm Genus ſit vnum prędicabile particulare, ſi applicetur illi hæc ratio *prędicabilis vt ſic*, verè Genus ut tale ſub illa comprehendatur tamquàm inferius. Quia tamen hæc eadem ratio vt applicabilis omnibus ſeorſim, eſt aliquo modo Genus, nam eſt aliquid prædicabile de pluribus differentibus ſpecie *in quid*; Ideò ſi conſideretur ut Genus, non eſt ratio ſuperior ipſo Genere ut ſic, ſed inferior. Nàm cùm Genus ut ſic includat omne Genus, includit etiam hanc, ſi Genus ſit. Quarè eadem ratio ſub conceptù prædicabilis ut ſic, præſcindendo ab hoc, quòd illa, de quibus eſt prędicabilis, differant ſolùm ſpecie, uel numerò, vel etiam genere, non eſt Genus formalitèr, ſed habet reſpectu illius rationem ſuperioris; ſub conceptu autem prædicabilis de pluribus differentibus ſpecie in quid, quià uerè eſt Genus, uerè quoquè

habet reſpectu illius rationem inferioris.

His præmiſſis, ad argumentum reſpondeo, negando minorem. Dico enim *Genus vt ſic* definiri per rationem *prædicabilis vt ſic*, quatenùs hæc præſcinditur formaliter ab hoc, quòd prædicetur de pluribus differentibus ſpecie, vel non. Quòd autèm hæc ratio ſub tali formalitate ſit ſuperior ipſo Genere, probatur euidentèr; nam vt talis tranſcendit per omnia Prædicabilia, & conuenit non ſolùm Generi, ſed etiàm Speciei, Differentiæ, &c. quod non habet Genus.

Dices primò. Quomodocumque accipiatur ratio prædicabilis vt ſic, ſemper eſt formaliter Genus, quià verè illi conuenit definitio Generis, quatenùs videlicèt poteſt prædicari de omnibus prædicabilibus, quæ differunt inter ſeſe ſpecie. Ergo ſemper continetur ſub Genere. Nego antecedens. Ad hoc enim vt aliqua ratio communis ſit formaliter Genus, non ſatis eſt, quòd quomodocumque ſit de pluribus prædicabilis in quid etiàm differentibus ſpecie, ſed inſuper debet vniuocè de illis prædicari, quod non conuenit rationi prædicabilis vt ſic. Pretereà debet eſſe tantùm præcabilis de ſpecie differentibus, & non de alijs, in quo cōſiſtit ratio ſpecificatiua Generis in eſſe Genus. Quarè ſi ratio prædicabilis vt ſic accipiatur pròvt reſtricta, & contracta ad ea ſolùm, quæ differunt ſpecie, tūc talis ratio eſt formaliter Genus, ſi ſupponatur uniuoca, & cōtinetur ſub illo tamquàm aliquid inferiùs. Sin autē accipiatur indefinitè cū tota ſuæ vniuerſalitatis latitudine, ità vt non ſolùm

ſigni-

ſignificet prædicabilitatem de pluribus ſpecie differentibus, ſed etiàm de pluribus differentibus numerò, immo, & Genere, & prædicabilitatem *in quale*, tàm *neceſſariò*, quàm *contingenter*, tunc hæc ratio non eſt formaliter Genus, quià illi non conuenit definitio Generis conſtituta eſſentialiter per ly *tantùm*, ſed eſt aliquid illo ſuperius. Quod autèm illi non conueniat definitio Generis, probatur, quià cum illa non conuertitur. Ex eo enim quòd aliquid ſit formaliter Genus, non ſequitur etiam quòd ſit prædicabile vt ſic.

Dices ſecundò. Ly *tantùm* eſt aliquid negatiuum. Ergo non pòteſt eſſe ratio conſtitutiua, & diſtinctiua Generis à ratione prædicabilis vt ſic; alioquin daretur diſtinctio ſpecifica per aliquid merè negatiuum, quod reiectum eſt in primo libro. Nego conſequentiam. Siquidem eadem particula eſt diſtinctiua Speciei à Genere, cùm illa ſit ſolùm prædicabilis de pluribus differentibus numero in quid, & Genus etiàm de pluribus differentibus ſpecie. Ex hoc tamen nihil derogatum volo doctrinæ ſuprà traditæ in primo libro. Nàm ibi locuti ſumus de totis per ſe, ſeu de compoſitis phyſicis, non autèm de totis metaphyſicis, ſeu compoſitis per accidens, qualia ſunt hæc Prædicabilia, reſpectu quorum non eſt abſurdū, aſſignare etiam aliquādò prò differentia ſpecifica, aliquod negatiuum. Nàm certè binarius diſtinguitur à ternario ſpecie, per ſolam negationem incluſionis tertiæ entitatis, quam includit ternarius, ut inibi diximus.

Dices tertiò. Ergo datur Genus Generis. Diſtinguo conſequens. Sub eadem formalitate, nego: ſub diuerſa, concedo conſequentiam. Sicut enim datur cognitum cogniti, ità & Genus Generis. Et hæc eſt ratio, quarè Diuus Thomas, dicat, *bonum vt ſic*, quod eſt obiectum adæquatum voluntatis, eſſe inadæquatum intellectus; & *verum vt ſic*, quod eſt obiectum adæquatum intellectus, eſſe inadæquatum voluntatis; quia videlicèt *bonum vt ſic*, quamuis habeat rationem Generis ſub ratione boni, habet tamen rationem Speciei ſub formalitate veri, ſub qua eſt vna tantùm Species veri, cùm etiàm malum ſit verum; & *verum vt ſic* ſub iſta formalitate ità eſt Genus, vt etiam ſit Species ſub alia, quatenùs videlicèt eſt vna tantùm Species boni, quia etiam non verum formaliter eſt bonum, vt patet in cognitione falſa, quæ quamuis formaliter in ſe non ſit vera, eſt tamen phyſicè bona.

Ad ſecundum diſtinguo maiorem. Pars in abſtracto non poteſt prædicari de toto *in quid*, concedo. Pars in concreto, nego. Quamuis enim dici non poſſit; *homo eſt caput*, *materia &c.* poteſt tamen dici *eſt capitatus*, *materialis &c.* Genus autem prædicatur in concreto, & ideò dicitur *homo eſt animal*, *non animalitas*; *eſt corpus*, *non corporeitas*, *&c.*

Ad tertium diſtinguo conſequens. Aggregatum per accidens non poteſt unica definitione uniuoca definiri, concedo: non poteſt definiri unica definitione analoga, nego conſequentiam. Hæc autem definitio Generis

non

Digitized by Google

non eſt uniuoca, quià non definit omnes partes Generis eodem modo, ut patebit infrà, nàm definit genereitatem *vt quo*; & naturam *vt quod*. Quarè dicendum eſt ibi Ariſtotelem loquutum fuiſſe tantùm de definitione uniuoca, & non de analoga, alioquin rerum proprietates, & opera artificiata per ipſum definiri non poſſent.

Ad quartum diſtinguo maiorem. Non poteſt Genus definiri in ordine ad Speciem ſubicibilem, materialiter ſumptam, nego; formaliter ſumptam, concedo maiorem. Quandò enim dicitur *Genus eſt id, quod prædicatur de differentibus Specie*, tunc ly *Species* non accipitur formaliter, ut ad Genus relata, ſed materialiter ut ultimus terminus relationis, ſicut diximus in primo libro, explicandò eſſentiam cognitionis practicæ. Quarè in hoc nullus eſt circulus uitioſus, quià in alio caſu, in quo definitur Species in ordine ad Genus, illa accipitur formaliter; & hoc materialiter. Sicut ergò nullus eſt circulus in hoc, quòd ſimilitudo Petri cum Paulo explicetur in ordine ad Paulum, cuius ſimilitudo explicatur in ordine ad Petrum, quià uidelicèt in primo caſu Petrus ut fundamentum talis relationis, accipitur formalitèr, & Paulus ut terminus, accipitur materialiter; & uiceuerſa in ſecunda relatione Paulus accipitur formalitèr, & Petrus materialiter. Quod idem dico de prædicato, quod explicatur in ordine ad ſubiectum, quamuis hoc explicetur in ordine ad prędicatum; & de omnibus alijs correlatiuis, vt diximus in primo libro. Sicut (inquam) non committitur circulus vitioſus in caſibus modò

modò allatis; ità neque committitur in re præſenti, cùm extrema formaliter ſumpta non ſint eadem cum extremis materialiter ſumptis.

Vndè patet, quàm immeritò hoc argumentum tanti fecerit Arriaga diſp. 7. log. ſect. 3. ſubſect. 2., vt illud ſoluere diffidens, Generis putauerit variandam definitionem, duplici alia allata definitione, quæ ſuas quoquè patiuntur difficultates, quamuis hìc eas examinare non vacet.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quid, & quomodò definiatur per definitionem Generis?

GEnus, & quodlibet aliud Vniuerſale, cùm ſint nomina concreta, vt ſuprà vidimus, duo dicunt in ſuo conceptu formali, ſcilicèt naturam, & vniuerſalitatem, illam vt ſubiectum, hanc vt formam. Nomine naturæ hìc intelligitur id, ſupra quod cadit denominatio Prædicabilis, Generis, Speciei, &c. Nomine autèm vniuerſalitatis, ſeù genereitatis intelligitur inexiſtentia naturæ vel actualis, vel aptitudinalis in multis Speciebus, ex qua reſultet prædicabilitas de illis per modum cuiuſdam totius. Ad hoc enim vt aliquid ſit aptum prædicari de pluribus Speciebus *in quid*, debet cum illis identi-

identificari, quæ identificatio dicitur inexiſtentia, eò quòd ſit ratio, quarè Genus pluribus inexiſtat. Quæritur ergò, an quandò definitur Genus, definiatur ſola natura, vel ſola genereitas; an verò vtraque ſimùl, & quomodo?

Prima concluſio. *Per definitionem Generis neque definitur ſola cognitio abſtractiua, neque ſola natura, neque ſola genereitas in abſtracto*. Probatur prima pars, quià alioquin, quandò dico, *Petrus eſt animal*, idem dicerem, ac ſi dicerem, *Petrus eſt conceptus, ſeù cognitio animalis*. Probatur ſecunda pars, quià ſi definiretur ſola natura, explicarentur eius prædicata eſſentialia, qualia ſunt *eſſe viuens, ſenſibile &c.* quod eſt falſum. Probatur tertia pars, quià genereitas in abſtracto neque eſt, neque poteſt eſſe in multis, neque de illis prædicari, Ergo definitio Generis non poteſt de illa verificari.

Secunda concluſio. *Per definitionem Generis definitur genereitas in concreto, ideſt ſimùl cum natura facta vna per cognitionem abſtractiuam; ità vt illa vt quo, & formaliter, natura verò ſolùm definiatur materialiter, & vt quod*. Probatur primò ex Ariſt. 7. met. cap. 3. & ſeqq. Deindè ratione, quià in definitione concreti, illud definitur formaliter, & *vt quo*, cuius prædicata eſſentialia explicantur. Sed in definitione Generis explicatur eſſentia genereitatis, & non naturæ. Ergo ſola genereitas definitur formaliter, & *vt quo*. Maior eſt euidens. Probatur minor, quià prædicabilitas de pluribus Speciebus *in quid*, per

quam

quam definitur Genus, non eſt prædicatum eſſentiale naturæ, quæ denominatur Genus, ſed ipſius genereitatis. E. g. prædicabilitas de leone, equo,& homine,non eſt prædicatum eſſentiale naturæ leoninæ, equinæ, humanæ, quæ denominantur *animal*, quod eſt Genus omnibus commune, ſed eſt prædicatum eſſentiale ipſius genereitatis, quæ eſt forma abſtracta huius concreti *animal*, ratione cuius hæ naturæ denominantur formaliter Genus. Sicut ergò viſibilitas, quià eſt ratio formalis, quarè paries videatur, dicitur videri *vt quò*, & non *vt quod*, ità & genereitas, quæ eſt ratio formalis, quarè natura poſſit de pluribus prædicari, & dicitur Genus, definitur *vt quo*,& non *vt quod*.

Obijcies. Si per definitionem Generis definiretur genereitas in concreto, definitio Generis verificaretur de toto concreto. Conſequens eſt falſum. Nàm de genereitate, quæ eſt forma talis concreti, non verificatur,eò quòd illa non ſit prædicabilis de pluribus. Ergo per definitionem Generis non definitur genereitas in concreto. Diſtinguo maiorem. Verificaretur de toto concreto eodem modo, nego: diuerſo modo, concedo maiorem. Nam verificatur de natura *vt quod*,& de genereitate *vt quo*. Sicut cum dicitur *album eſt diſgregatiuum viſus*, hæc definitio verificatur quidem de toto concreto, quod dicitur *album*, non tamen de omnibus eius partibus eodem modo; nam de albedine verificatur formaliter,& *vt quo*,quatenùs eſt illa forma,quæ efficit viſus diſgregationem, & de pariete verificatur ſolùm

lùm materialiter, & *vt quod*, quatenùs eſt ſubiectum talis formæ.

ARTICVLVS QVARTVS.

An ſit neceſſarium ad Genus formaliter, quòd dentur de facto plures Species?

MAlcus Porphirius natione Phœnix Platonis, & Ariſtotelis acerrimus propugnator, libro, cui nomen indidit *ab interrogando*, interrog. 39. ait, non poſſe ſaluari eſſentiam Generis formaliter, vt de Speciebus pluribus prædicabilis, niſi de facto detur huiuſmodi Species, de quibus prædicetur. Ratio, quæ illum mouet, eſt hęc, quià cùm Genus debeat prædicari *in quid* de Speciebus, debet illis formaliter inexiſtere. Non poteſt autem inexiſtere Speciebus non exiſtentibus; nihil enim poteſt identificari cum non ente. Ergo debent exiſtere plures Species. Quam opinionem ſecuti ſunt deindè multi alij Philoſophi cùm veteres, tùm recentes, illamque applicarunt etiam Speciei, cœteriſque Prædicabilibus reſpectu inferiorum. Quarè putarunt, nullum Prædicabile poſſe formalitèr retinere prædicabilitatem logicam de pluribus, niſi de facto exiſtant illa plura, in quibus formaliter inexiſtant.

Sed

Sed hi Auctores(quantùm ego arbitror) non bene diſtinxerunt inter totum actuale, & poteſtatiuum,ſeù potentiale. Nam ſi diſtinxiſſent, ſtatim deprehendiſſent, totum potentiale, ſeù poteſtatiuum dici à potentia, ſeù poſſibilitate partium, eò quod non debeat actu, vt totum actuale,ſed ſolùm potentia ineſſe partibus. Hoc autèm percepto, non potuiſſent aſſerere, Genus vt Prædicabile debere actu pluribus inexiſtere, poſito quòd ſit ſolùm totum poteſtatiuum reſpectu Specierum; ex quo ſolùm ſequitur ad ſummùm, requiri Specierum poſſibilitatem, non autèm actualitatem.

Vim conſequentiæ vſque adeò ſenſit Caiet. cap.4. de ente, & eſſentia,& c.4. de Specie, vt in oppoſitàm planè abierit opinionem. Siquidèm putat, poſſe optimè ſaluari eſſentiam Generis formaliter, etiàm vt logicè prædicabilis,per vnicam tantùm Speciem,ſicùt ait,Speciem ſaluari per vnicum indiuiduum, etiam ſi omnia alia tã Species reſpectu Generis,quàm indiuidua reſpectu Speciei,non ſolùm non exiſtant,ſed neque poſſint exiſtere. Eius rationes fusè proſequitur, & confutat Arriaga diſp.7. logicæ ſect. 3. ſubſect. 2. Quarè qui vòluerit illas uidere,conſulat hunc Auctorem in loco citato. Nos prò more potiſſimas tantùm afferemus, poſtquàm noſtram ſtatuerimus opinionem.

Prima concluſio. *Non poteſt ſaluari Genus formaliter, vt logicè prædicabile in vnica ſolùm Specie, ſi ſupponamus, cæteras implicare.* Eſt Ariſt. 3. met. tex. 10. & 4. top. loc.29. Probatur primò, quià ſi vnicã tantùm ſit poſſibilis

bilis Species, Genus non eſſet aliquid magis latè patens, quàm illa; nihil enim includeret, quod non includeretur in illa Specie. Non ergò eſſet Genus, ſed Species. Conſequentia eſt euidens: Nàm Genus vt includat Speciem tamquàm inferiorem, debet aliud includere præter illam, per cuius coniunctionem cum illa fiat aliquod totum reſpectu vtriuſque. Probatur antecedens, quià ſi *animal* e. g. nihil aliud includeret, prẹter *hominem*, & *homo* nihil includeret, præter *animam*, neque *animal* eſſet totum reſpectu *hominis*, neque *homo* eſſet totum reſpectu *animæ*. Probatur aſſumptum. Nam omnis pars dicit eſſentialiter compartem: Ad hoc ergò ut *homo* ſit pars reſpectu *animalis vt ſic*, & *anima* reſpectu *hominis*, debet dari aliquid aliud, quod habeat rationem compartis reſpectu utriuſque, quo non poſitò; neque homo; neque anima eſſent ſimpliciter partes, quià non eſſent compartes, ex defectu aliarum partium.

Probatur ſecundò, quià omne Vniuerſale, vt dictum eſt; debet eſſe vnum aptum eſſe in multis; & de illis prædicari. Ergo debent eſſe ſaltèm poſſibilia hæc multa, in quibus illud inſit, & de quibus prędicetur, cùm nihil poſſit, vel ſibi ineſſe, vel de ſe formaliter prædicari prædicatione vniuerſali.

Tertiò, quià alioquin etiam Deus eſſet logicè vniuerſalis. Ceſſaret enim illa vnica ratio, propter quam negatur illi communiter à Theologis logica vniuerſalitas, videlicet incommunicabilitas ad extrà, vt fusè proſequitur D. Tho. 1. par. q. 13. ar. 9. in corpore. Ergo

cùm

cùm hoc ſit falſum, erit etiam falſum id, undè ſequitur.

Secunda concluſio. *Non tamen eſt neceſſe ad rationem Generis formaliter, quòd actu exiſtant plures Species, ſed ſatis eſt, quòd vna exiſtat, & cæteræ cognoſcantur vt potentes exiſtere, ſeù vt poſſibiles, poſſibilitate ſiuè logica, ſiuè phyſica.* Probatur, quia quacumque exiſtente Specie, cæteris poſſibilibus, poteſt intellectus abſtrahere rationem aliquam omnibus communem, adeòque conſtituere genereitatem. Sed in tali caſu daretur aliquod unum aptum eſſe in multis, & de multis differentibus Specie prædicabile *in quid*. Ergo daretur Genus formaliter.

Tertia concluſio. *Non ſatis eſt tamen ad rationem Generis formaliter, quòd illæ Species ſint realiter poſſibiles, ſed debent cognoſci vt poſſibiles.* Probatur, quia niſi cognoſcantur ut poſſibiles, non poteſt ex illis abſtrahi ratio generica omnibus communis. Ergo neque poteſt fieri Vniuerſale. Conſequentia patet ex dictis in prima diſput. Antecedens probatur, quia ratio generica ut talis formaliter, dicit eſſentialiter ordinem, ſeù relationem ad pluralitatem Specierum. Poſito enim quòd Vniuerſale fiat cum fundamento in re, ad hoc ut aliquod fiat Vniuerſale, communicabile, ſeù prædicabile de pluribus, debet apparere eius communicabilitas, & inexiſtentia, ſaltem poſſibilis, in pluribus. Et ideò diximus in 1. diſput., multiplicabilitatem eſſe de eſſentia Vniuerſalis, ut apertè colligitur ex 3. met. tex. 10. & 4. topic. loco 29. & paſsim ferè ſingulis capitibus metaphyſi-

taphyſicæ. Præterea cum prædicabilitas proxima reſultet ex cognitione comparatiua naturæ cum pluribus, debent hæc apparere, vt patet. Ergo &c.

Neque obſtat, quòd Ariſtoteles dixerit, Solem eſſe vniuerſalem, & poſſe de eo dari ſcientiam, quamuis illum putauerit in ſua Specie immultiplicabilem. Nàm in hoc lòco Ariſtoteles locutus eſt de immultiplicabilitate extrinſeca, non autèm de intrinſeca, quia videlicèt ipſe falsò putauit, non dari cauſam potentem illum multiplicare. Hoc autem non obſtat eius intrinſecæ multiplicabilitati. Sicut enim paries eſt intrinſecè viſibilis, quamuis nullus detur de facto oculus potens illum videre, ità & Sol eſt intrinſecè multiplicabilis, quamuis in ſententia peripatetica non detur de factò cauſa potens facere alium Solem. Ad rationem ergo Generis ſufficit intrinſeca multiplicabilitas, dummodo cognoſcatur vt talis.

Obijcies primò cum Caietano. Poſita poſſibilitate ſolius hominis, adhuc poſſet ab illo abſtrahi ratio *animalis à rationali*. Ergo adhuc poſſet fieri natura generica, ſeù vniuerſalis. Secundò. Etiamſi ſolus homo eſſet poſſibilis, adhuc de illo verificarentur prædicata eſſentialia *animalis vt ſic*, videlicèt *viuens, ſenſibile* &c. Ergo adhuc *animal* eſſet formaliter Genus. Tertiò. Poteſt dari Species in vno indiuiduo, vt docentur Thomiſtæ in Angelis, & alij in Sole, Phœnice &c. Ergo etiam Genus in vna Specie. Quartò. Ariſtoteles, & alij egerunt de Genere, & Vniuerſali in ordine ad cognoſcendas res na-

turales. Ergo Genus ab illis definitum, debet eſſe illud; quod poteſt eſſe in pluribus, naturalitèr tantùm, vel exiſtentibus; vel poſſibilibus. Cum ergo Sol non ſit naturaliter multiplicabilis, non poteſt in illo ſolo dari Genus logicum.

Ad primum, nego conſequentiam. Hæc enim eſſet præciſio formalis ſingularis, non autem vniuerſalis, ſicut ſi ego abſtraham naturam diuinam à Perſonis, non proindè abſtraham naturam vniuerſalem, ſed ſingularem. Ratio eſt, quià adhùc poſita huiuſmodi abſtractione, ſeù præciſione formali, hæc natura diceret reſpectum ad vnicum tantùm, & non ad plures Deos.

Dices. Poteſt illa natura abſtracta *animalis* ità confusè cognoſci, vt non cognoſcatur, an ſit multiplicabilis, nec ne? In tali caſu cognoſceretur vt vniuerſalis. Ergo poteſt abſtrahi abſtractione vniuerſali. Nego minorem. Quomodò enim poſſet cognoſci, vt vniuerſalis illa natura, de qua ignoratur uniuerſalitas? Sicut ergo non poſſet cognoſci ut uiſibilis; niſi cognoſceretur ut colorabilis; ità neque poteſt cognoſci ut uniuerſalis, niſi cognoſcatur, vt in plura multiplicabilis.

Vrgebis. Hæc prædicatio; *hic Angelus eſt Michael* non eſt identica. Ergo ſpecifica. Sed hæc ſaluatur per vnicum indiuiduum. Ergo &c. Nego conſequentiam. Ratiò ſiquidem, quare non ſit identica hæc propoſitio, prouenit ex multiplicitate conceptuum, ſub quibus idem cognoſceretur, quæ obſtat identicæ prædicationi, non autem ex eo, quòd ſit prædicatio ſpecifica.

Ad

Ad ſecundum diſtinguo antecedens. Verificarentur in tali hypotheſi prædicata, quæ conſtituunt animal in eſſe Genus formalitèr, ſiuè Vniuerſale logicum, nego. Verificarentur prædicata, quæ conſtituunt animal in eſſe tale ens phyſicum, concedo antecedens. Et deindè nego conſequentiam.

Dices. Saltem daretur Genus fundamentaliter. Ergo adhùc poſſet abſtrahi ratio animalis abſtractione vniuerſali. Nego antecedens. Ratio eſt, quià fundamentum eſt correlatiuum ad formam, tamquàm potentia ad actum. Ergo vbicumque eſt impoſſibilis forma, eſt etiàm impoſſibile fundamentum, quià fundamentum eſt formaliter. Siquidem illud, quod exiſtit fundamentaliter, debet eſſe in potentia, ſaltèm remota, ad exiſtendum formaliter. Quis enim dicat, dari fundamentaliter e. g. relationem, quandò ipſa relatio eſt impoſſibilis? & dari fundamentaliter domum, quandò domus exiſtere non poteſt? In eo autem caſu Genus nullo modo eſſet in potentia, quià ſuppoſita Specierum impoſſibilitate nunquàm poſſet reduci ad actum ſecundum. Solùm ergo daretur fundamentaliter Genus quandò ità daretur aliqua Species, vt cæteræ eſſent quidem poſſibiles, non tamen cognoſcerentur vt tales, & per conſequens neque ab illis abſtraheretur de facto ratio omnibus communis. Quià tunc, quamuis non daretur formaliter genereitas, daretur tamen potentia ad illam, non ſolùm actiuè, ſed etiàm paſſiuè; adeòque daretur verè, & realiter ipſius fundamentum.

Ad tertium nego antecedens, cuius rationem afferemus interiùs.

Ad quartum reſpondeo, aliud eſſe motiuum, & occaſionem, quam habuerunt hi Auctores ad definiendū: & aliud id, quod definierunt. Quarè licèt ſol non ſit id quod mouit Ariſtotelem ad tradendam definitionem Generis, poteſt tamen eſſe id, quod fuit ab illo definitū.

ARTICVLVS QVINTVS.

Quid, & quotuplex ſit Species?

SPecies aliquandò ſignificat pulchritudinē, quæ ſita eſt in abſoluta partium proportione, vndè pulchri dicuntur ſpecioſi; Et in hoc ſenſu Speciei conſideratio non ſpectat ad logicum. Aliquandò ſignificat perfectionem, ſeù compoſitionem ſubſtantiæ, & hæc alia eſt logica, & alia phyſica. Species logica eſt aggregatum, ſeù compoſitum ex Genere, & Differentia, vt eſt *homo*, qui conſtat *ex animali* tamquàm genere, & ex *rationali* tamquàm differentia. Sed quià hæc duo verè, & phyſicè non ſunt duo, ſed vnum, & idem in eodē homine; ideò non conſtituunt compoſitum phyſicū, ſed ſolùm metaphyſicùm. Species Phyſica eſt compoſitum phyſicum ex materia, & forma, vt eſt idem *homo*, quatenùs conſtat ex anima, & corpore, quæ duo quià phyſicè,

phyſicè, & realiter ab inuicem diſtinguuntur, & verè ſunt duo; ideò conſtituunt totum aliquod phyſicum, & reale. Hac autem ſpecie ipſi phyſicæ omiſſa, de prima tantùm agimus in præſentia.

Species igitur logica alia eſt ſubalterna, & alia infima, ſeù athoma. Species ſubalterna eſt illa, quæ ità ſub aliquo determinato Genere cõtinetur, vt contineat ſub ſe plura Specie differentia; adeòque reſpectu ſuperiorum habet rationem Speciei, & reſpectu inferiorum rationem Generis, vt eſt *animal*, quod reſpectu *viuentis* habet rationem Speciei,& reſpectu *hominis* rationem Generis. Species infima, quæ dicitur etiàm *ſpecialiſſima* eſt illa, quæ ità ſub aliquo determinato Genere continetur, vt non ſit prædicabilis de pluribus inferioribus vniuerſalibus, quæ differant inter ſe pluſquàm numerò. Cuiuſmodi eſt *homo*; nàm omnia, quæ continentur ſub homine, ſolo numero differunt. Differre autèm numerò eſt, vnum non eſſe aliud, quoad numerationem, ſeù ordinem numeralem. Cæterùm non dicit differentiam in prædicatis eſſentialibus.

Species ſubalterna dicitur *ſubiicibilis*, quià vt Species eſt, verè, & propriè non habet inferiora, de quibus prædicetur, ſed ſolùm ſuperiora, quibus ſubijciatur. Siquidem *Animal*, quod eſt Species ſubalterna, ſubijcitur quidem vt Species ad ly *Viuens*; reſpectu autèm *hominis*, & *equi*, de quibus prædicatur, potiùs habet rationem Generis, quàm Speciei. Contra verò Species athoma dicitur *prædicabilis*, quià licèt etiàm ipſa ſit

ſubijcibilis, reſpectu Generis ſuperioris, ut patet in ly *homo* reſpectu *animalis*; accipit tamen denominationẽ *prædicabilis*, ab inferioribus, reſpectu quorum eſt formaliter Species, pròut eſt ſecundum Prædicabile, ſicut illa denominationem ſumit à ſuperioribus, quibus ſubijcitur, ut una diſtinguatur ab alia.

Dices primò. Vtraque Species habet ſuperiora, & inferiora. Ergo vtraque eſt prædicabilis, & ſubijcibilis; adeòque per hoc non poteſt una diſtingui ab alia. Nego antecedens. Quòd quamuis uideatur mirum, eſt tamen uerum. Siquidèm ſi conſideremus *Animal*, & præſcindamus ab illo ſubiectionem, quam habet ad *Viuens*, eſt purum Genus reſpectu *hominis*, *leonis* &c. Id ergò, per quod formalitèr conſtituitur in eſſe Speciem, eſt ſubijcibilitas *ad Viuens* ſibi ſuperiùs; atque adeò debet ab illa etiàm denominari. Quarè in ratione Prædicabilis, *animal* non eſt Species, ſed Genus. Et ideò non poteſt dici Species prædicabilis. At *homo* non ſolùm eſt Species in ratione ſubijcibilis, ſed etiàm in ratione prædicabilis, quià uerè ut prædicabilis de Petro, Paulo &c. eſt Species. Ergo benè poteſt, immò debet ab hoc denominari tamquàm à prædicato ſibi proprio, & ſpecialiſſimo, nulli alij communicabili. Adeòque benè dictum eſt, per hæc prædicata ab inuicèm diſtingui has duas Species.

Dices ſecundò, Species ſubalterna non eſt Species in ratione prædicabilis. Ergo ſimplicitèr non eſt Species. Neque ergò poterit dici Species ſubijcibilis. Nego conſe-

conſequentiam. Nam nomine Speciei intellexere philoſophi omnem illam rationem, quæ ex *æquo diuidit Genus*. Quarè cùm *animal* ex æquo diuidat Genus *viuentis* cum *planta*, uerè poteſt dici Species, quamuis inter Prædicabilia ſub nomine Speciei enumerari non poſſit. Quid autèm ſit *ex æquo diuidere Genus*, uidebitur in quarto libro. Hìc ergo ſolùm agimus de Specie athoma, ſeù prædicabili, & quærimus quomodò definiatur.

Vnica concluſio. *Benè definitur Species, eſſe id, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in quid*. Probatur, quià hæc definitio ex una parte conuenit omni, & ſoli Speciei, & ex alia benè explicat eſſentiam, & naturam illius. Ergo eſt bona, quamuis non ſit rigoroſa, propter rationem, quam attulimus in definitione Generis, & quam communem uolumus cum definitionibus infrà afferendis cæterorum Prædicabilium.

Obijcies primò. Hæc definitio conuenit etiàm Generi, quod etiã eſt prædicabile de pluribus differentibus numerò in quid. Ergo non eſt bona, quià conuenit alteri.

Secundò. Poteſt dari aliquod indiuiduum eſsentialiter immultiplicabile in ſua Specie. Ergo non eſt de ratione Speciei prædicabilitas de pluribus.

Tertiò. Propriũ prædicatur de pluribus differentibus numerò in quid; nã *riſibilitas*, quę eſt proprietas hominis quarto modo, prædicatur de *riſibilitate A.* exiſtente in Petro; *de riſibilitate B.* exiſtente in Paulo, &c. Immò *albedo* etiam, quamuis ſit Accidens, poteſt prædicari de *albedine A.*: de *albedine B.*, alijſque albedinibus. Ergo

hæc definitio conuenit tàm Proprio, quàm Accidenti.

Ad primum nego antecedens. Primò, quia Genus non eſt prædicabile de pluribus differentibus numerò, ſeu de indiuiduis immediatè, & proximè, ſicut poteſt prædicari Species, ſed ſolùm mediatè, & remotè. Nam de nullo indiuiduo poteſt prædicari Genus, de quo non poſſit prædicari aliqua è Speciebus ſub illo contentis. E. g. de nullo poteſt prædicari *animal*, de quo per prioritatem à ſubſiſtendi conſequentia non poſſit priùs prædicari, uel *homo*, uel *equus*, uel alia è Speciebus *animalis*. Sicut *viuens* non poteſt prædicari, niſi de illo, de quo poſſit prius prædicari, vel *planta*, vel *animal*, quæ ſunt Species *viuentis*, & idem dico de reliquis. Deindè quia in illa definitione Speciei ſubintelligenda eſt particula *tantùm*, quæ de Genere verificari non poteſt. Quarè duplex eſt diſcrimen Generis à Specie. Primùm eſt, quòd Genus prædicetur ſolùm vt pars Speciei; hæc autèm prædicatur vt totum, ſeù tota eſſentia de indiuiduis. Alterum eſt, quòd Genus ſit ſolùm immediatè prædicabile de Speciebus; Species verò de indiuiduis. In omnibus alijs conueniunt. Et ideò Species ſubalterna ſimùl & ſemèl eſt Genus, & Species reſpectu diuerſorum, vt ſuprà vidimus.

Ad ſecundum nego antecedens. Quocumque enim poſito ente, remanet ſemper omnipotentia Dei, à qua fuit poſitum. Ergo poteſt poni aliud illi ſimile. Verum de hoc infrà ſufficientèr, & fuſiùs in quæſtione de ente rationis.

Ad

Ad reſponſionem tertij vnum præmitto, videlicèt illud prædicari *in quid*, quòd prædicatur vt aliquid eſſentiale, & vt id, per quòd reſpondemus ad interrogationem *quid eſt?* Si enim interrogemur, *quid ſit Petrus?* e. g. benè reſpondemus, dicendo, *eſt animal, eſt homo*, &c. Illud autem prædicatur *in quale*, quo reſpondemus interrogationi, *qualis eſt?* & hæc reſponſio ſolet fieri per nomen adiectiuum. Vt ſi quis interrogetur, qualis *eſt Petrus?* benè reſpondetur, dicendo, *eſt riſibilis, albus*, &c. Hoc poſito, nego antecedens; nam *riſibilitas vt ſic*, reſpectu plurium riſibilitatum in abſtracto ſumptarum, non eſt Proprium, ſed Species; quod idem dico de *albedine vt ſic*, reſpectu omnium albedinum. Nàm prædicantur per modum per ſe ſtantium, & vt tota eſſentia, ſicùt Species, vt patet ex eo, quòd prædicentur per nomen ſubſtantiuum. Non enim dicitur *riſibilitas eſt riſibilis*, vel *albedo eſt alba*, ſed *riſibilitas vt ſic eſt riſibilitas A. riſibilitas B.* &c., & *albedo vt ſic eſt albedo A., albedo B.* &c. Non ergò eſt mirum, ſi de illis verificetur definitio Speciei.

ARTI-

ARTICVLVS SEXTVS,

An poſſit dari indiuiduum eſſentialiter immultiplicabile in ſua Specie? Vbi, an Angeli differant inter ſe Specie? & quomodo?

DIuus Tho. 1. par.q. 50. ar. 4. quem ſequuntur plerique ſuæ claſſis, reſpondet affirmatiuè. Ait enim, Angelos eſſe talis naturæ, ut nullus de facto conueniat; ſeù poſſit conuenire cum alio in ijſdem prędicatis eſſentialibus; adeòque putat, omnes, & ſingulos Angelos differre Specie infima,ſeù athoma ab omnibus alijs. Eius, aliorumque Thomiſtarum præcipua fundamenta ſunt hæc. Primò, quià diſtinctio purè indiuidualis, ſeù numerica ſumitur ex materia, ut habetur ex Ariſtot. 12. met. tex. 49. Cùm ergo Angeli ſint expertes materiæ, ſunt etiam expertes diſtinctionis numericæ, ſeù purè indiuidualis.

Secundò, quià omnis diſtinctio, quam poſſunt habere Angeli inter ſeſe, eſt per formam. Diſtinctio autem, quæ habetur per formam, non eſt purè numerica, ſed ſpecifica. Ergo &c.

Tertiò, quià cùm finis multiplicationis in eadem Spe-

Specie ſit, nè illa corrumpatur, cùm Angeli ſint incorruptibiles, neque indigent multiplicari, adhoc ut ſinguli conſeruentur in ſua Specie. Ergo non diſtinguuntur in ſua Specie, ceſſante in illis fine multiplicationis numericæ.

Quartò, quià multiplicitas indiuiduorum intrà eamdem Speciem, eſt adęquatè inſtituta, propter inſufficientiam vnius indiuidui ad omnes functiones Speciei vtiles Vniuerſo. Et hæc eſt ratio, quarè omnia corpora cæleſtia differant Specie, quià ſingula per ſe ſufficiunt ad operationes illius Speciei, vt patet in Sole, Luna, & Aſtris) Ergò cùm Angeli ſint perfectiſſimi, & ſufficientiſſimi, neque poſſunt, neque debent multiplicari. His tamèn non obſtantibus, ſit,

Prima concluſio. *Poßunt Angeli Specie inter ſe diſtingui, & de facto aliqui Angeli differunt inter ſe Specie athoma.* Probatur prima pars, quià nullus Angelus eſt perfectiſſimus omnium creabilium. Ergo quolibet aſſignato, poteſt dari alius Angelus perfectior, atque adeò Specie diuerſus ab illo. Probatur ſecunda pars, quià de facto Angeli vnius Hierarchię ſuperioris ſunt perfectiores Angelis alterius Hierarchiæ inferioris, videlicet Seraphim ſunt perfectiores Cherubim; & hi Virtutibus, &c. vt videre eſt penès D. Dionyſium in lib. de Cęleſti Hierarch., cuius doctrinam ferè omnes Theologi, vt optimam, & irrefragabilem amplexantur.

Secunda concluſio. *Angeli non ſolùm ſupernaturalitèr, verùm etiàm naturalitèr, ſunt in ſua Specie infima multipli-*

cabi-

cabiles. Probatur prima pars. Primò, quià quolibet poſito Angelo, Deus poteſt facere alium Angelum illi ſimillimum in proprietatibus. Sed hic eſſet cum illo eiuſdem Speciei infimæ. Ergo quolibet facto Angelo, poteſt Deus alium facere eiuſdem Speciei infimæ cum illo. Minor,& conſequentia patent. Maior probatur, quià ità ſe habent naturæ ſpirituales in ordine ad proprietates ſpirituales, ſicut materiales in ordine ad proprietates materiales. Sed poſſunt plures ſubſtantiæ materiales eſſe inter ſeſe ſimillimæ in ordine ad proprietates materiales. Ergo etiam poſſunt plures ſubſtantiæ ſpirituales eſſe inter ſeſe ſimillimę in ordine ad proprietates purè ſpirituales. Sed proprietatum ſimilitudo ſupponit ſimilitudinem in natura; nàm cognitio ſupponit potentiam intellectiuam,& volitio volitiuam. Ergo ſi Angeli poſſunt eſſe ſimillimi in proprietatibus,poſsūt etiàm eſſe ſimillimi in natura; atque adeò ſolo numero inter ſeſe diſtingui.

Secundò quià,vt obſeruat D. Tho. opuſc.16. §.vlt.ex 4. met. Vnicuique conuenit eſſe vnum, ſeù indiuiduum eadem ratione, qua illi conuenit eſſe, ſeù conceptus entis. Sed Angelis conuenit,eſſe ens independenter à materia,& per ſolam ſubſtantiam ſpiritualem. Ergo etiam illis conuenit,eſſe vnum,& indiuiduum independenter à materia, & per ſolam ſubſtantiam ſpiritualem. Sed quodlibet ens diſtinguitur ab alio per hoc, quòd ſit tale vnum,& tale indiuiduum,ut videbitur in metaphyſicis. Ergo poteſt Angelis conuenire diſtingui ab inuicèm,per ſolam

ſolam ſubſtantiam ſpiritualem independentèr à materia. Atquè adeò cùm hæc diſtinctio ſit penès indiuidua, eſt etiam purè indiuidualis, & numerica.

Tertiò, quià ſi Angeli non poſſent multiplicari in ſua Specie infima, vel hoc eſſet ratione perfectionis ipſorum, vel ratione imperfectionis? Non primum, quià eadem perfectio creata poteſt communicari, ſaltem perfectiori, eò quòd nulla bonitas creata exhauriat totam bonitatem poſſibilem ſui Generis, & qualibet creatura producta, poſſit Deus facere perfectiorem. Ergo quãuis Angeli ſint perfectiſſimi, adhùc poſſunt in ſua Specie multiplicari, neutiquàm illis officiente perfectione. Neque poteſt dici ſecundum, quià imperfectio potiùs confert ad multiplicabilitatem in ſua Specie; & omnes fatentur, ratione imperfectionis Specierum materialium, dari plura indiuidua in ſingulis Speciebus ad Species conſeruandas, vt benè ſupponũt Thomiſtæ in tertio argumento. Ergo ex nullo capite poteſt reddi ſimpliciter impoſſibilis huiuſmodi numerica Angelorum multiplicatio.

Probatur ergò ſecunda pars, quòd videlicèt etiàm in ſtatu puræ naturæ potuiſſent ſinguli Angeli in ſua Specie athoma multiplicari. Probatur, inquam, quià non obſtante qualibet, vel maxima ſimilitudine inter Angelos, adhùc poſſet dari diſtinctiuum ſufficientiſſimum, & facillimè diſcernibile vnius ab alio; atque adeò ceſſarent illa abſurda, quæ communiter enumerantur, videlicèt confuſionis vnius cum alio, incommodi in-

tractandis negotijs, &c. Ergo adhùc poſſent purè numericè diſtingui. Conſequentia eſt euidens. Probatur antecedens, quià quaſibet poſita conuenientia inter prædicata eſſentialia ſimillima, adhùc ſinguli Angeli naturalitèr cognoſcerent, ſe eſſe e. g. Angelum A., & non B., adeòque poſſent ſinguli formare denominationem *ego*, omninò diſtinctam ab aliorum denominationibus, per quas ſinguli ſe ab alijs diſcernerent. Sed hęc cognitio facillimè poſſet, immo deberet ab alijs obſeruari, propter mutuam vnius de alio cognitionem. Ergo hæc cognitio non ſolùm eſſet diſcerniculum, quo Angelus A. ſe ab alijs diſcerneret, ſed quo etiam omnes alij illum ab alijs diſcernerent. Cum ergò huiuſmodi cognitio, ſeù denominatio *ego*, inueniretur in omnibus, & ſingulis, reſpectu ſingulorum daretur diſcerniculum, & diſtinctiuum ſufficientiſſimum vnius ab alio, etiàm in pura na ura.

Tertia concluſio. *De facto fuerunt Angeli in ſua Specie athoma multiplicati*. Probatur primò, quià hoc maximè conducit ad concinnitatem Vniuerſi: ad decus, & magnificentiam Cæleſtis Curiæ: & ad ſplendorem ipſius Creatoris, vt poteſt colligi ex diuerſitate Hierarchiarum, & Ordinum, qui fuerunt à Deo deſtinati ad diuerſa munera, & functiones, vt ſuprà innuimus.

Secundò, quià ſi omnes Angeli eſſent diuerſæ Speciei, nullus poſſet habere cum alio communicationem perfectam omnium conceptuum internorum, quià nullus inferior poteſt perfectè percipere, & adæquatè conceptus

prius ſuperioris. Sed omnes Angeli eſſent reſpectu aliorum, vel ſuperiores; uel inferiores in perfectione. Ergo &c. Ex quo multùm imminueretur de mutua beneuolentia, quam inter ſe exercent; & de communicatione perfecta, quæ maximè conducit ad uitæ iucunditatem debitam Angelis in tali ſtatu.

Tertiò, quia cùm ex una parte Angeli ſint diſtributi in uarios ordines, ut omnes fatentur; & fungantur plurimis inter ſeſe muneribus diuerſiſſimis, debent aliqui inter ſeſe diſtingui Specie. Ex alia parte debent eſſe alij eiuſdem Speciei propter ſimilitudinem munerum, quibus funguntur; ut patet in ordine ad curam; & cuſtodiam illis traditam; non ſolùm hominum, ſed omnium aliarum ſubſtantiarum corporearum, ut plerique probabiliter admittunt cùm D. Dionyſ. in lib. ſupra citato. Ergo de facto tota Angelorum multitudo debet, non ſolùm diſtingui in plures Species, ſed etiam ſingulæ hæ Species diſtingui in plura indiuidua.

Quarta concluſio. *Nullum eſt poſſibile ſimpliciter indiuiduum, quod ſit in ſua Specie immultiplicabile.* Probatur, quia toties aliquid eſt poſſibile, quoties datur eius adæquata producibilitas. Sed poſito quolibet indiuiduo; datur adæquata producibilitas alterius illi ſimillimi in eadem Specie athoma. Ergo illud eſt etiam poſſibile. Maior eſt euidens. Minor probatur, quia quolibet producto indiuiduo; Deus remanet æquè potens, atque antea. Sed antea poterat producere aliquod indiuiduum de nouo intra hanc Speciem. Ergo etiam

poterit

poterit poſt primi productionem. Ex alia parte nulla datur cauſa potens Deo inijcere vllum impedimentum ad ponendum ſecundum indiuiduum primo ſimillimũ. Hoc enim neque eſſet ipſum indiuiduum productum, quia nullum ens creatum poteſt inferre Deo imperfectionem, ſicut faceret, ſi eius omnipotentiam ligaret, quò minùs in poſterum operaretur, quod anteà fuerit operata; neque poteſt aliud aſſignari, vt patebit ſolutione obiectionum. Ergo nihil obſtat. Et per conſequens, quolibet producto indiuiduo, poteſt aliud poni illi ſimillimum in ſua Specie.

Ad primum ergo argumentum Thomiſtarum reſpondeo, differentiam ſeu diſtinctionem numericam non haberi à ſola materia, cùm habeatur etiam ab ipſa ſubſtantia ſpirituali, vt probauimus in primo argumento. Ariſtoteles igitùr in loco ſuprà citato, vel locutus eſt ſolùm de diſtinctione ſpecifica rerum corporalium, & ordinis naturalis; vel nomine materiæ intellexit ſolùm potentialitatem, ſeu capacitatem paſſiuam, qua mediante, ſubſtantia perficiatur per aliud. Hanc autèm potentialitatem vltrò etiàm Angelis damus, cùm eorũ potentiæ tàm intellectiua, quàm volitiua perficiantur per actus volitiuos, & intellectiuos, adeòque ad illos sũt in potentia. Quarè cùm Ariſtoteles dixerit, diſtinctionem purè indiuidualem haberi à materia taliter intellecta, potiùs eius auctoritas nobis fauet, ex eiuſque doctrina colligitur poſſibilitas diſtinctionis purè indiuidualis inter Angelos.

Ad ſecundum nego maiorem. Nam cùm Angeli non habeant compoſitionem phyſicam ex materia, & forma, in illis eadem formalitas ex parte obiecti indiuiſim eſt Species, & indiuiduatio. Atque adeò diſtinctio numerica non habetur in Angelis per aliquod diuerſum ab eo, per quod habetur diſtinctio ſpecifica. Dicitur autèm diſtinctio ſpecifica *formalis*, & numerica *materialis*, non quià illa ſemper habeatur per formam, & hæc ſemper per materiam; ſed quià illa dicit perfectionem, quæ potiſſimùm habetur à forma, & hæc imperfectionem, quæ vt plurimùm habetur à materia. Cùm ergò Angeli loco formæ, ſeù quaſi formæ habeāt perfectionem, & loco materiæ, ſeù quaſi materiæ imperfectionem, & limitationem in eſſe (quæ duo ſunt idem in illis indiuiſibilitèr, eò quòd eadem perfectio ſit imperfecta, & limitata) ideò per illud idem planè diſtinguuntur numerò) per quod Specie diſtinguuntur. Sed differūt Specie per ſuam ſubſtantiam purè ſpiritualem. Ergo per eamdem, quatenùs affectam diuerſis proprietatibus, etiam numerò diſtinguuntur.

Ad tertium nego antecedens. Siquidem conſeruatio Speciei non eſt finis adæquatus multiplicitatis numericæ, quià hæc poteſt eſſe neceſſaria ex alio capite; cuiuſmodi eſſet ad munerum multiplicitatem, quæ poſſint aſſignari ſingulis Speciebus, præſertìm creaturarū rationalium, quibus vnicum indiuiduum non ſufficiat. Prætereà ad pulchritudinem Vniuerſi, alioſque fines Deo notos.

Ad quartum diſtinguo antecedens. Multiplicitas Indiuiduorum in eadem Specie eſt inſtituta ad hoc tantùm, quod innuitur in argumento, nego; Ad hoc, & ad alios fines etiam, quos nupèr innuimus, tranſeat antecedens; & nego conſequentiam. Quæ poſſet etiàm abſolutè negari ex eo, quòd argumentum nimis probet. Si quid enim probat, probat ſolùm, non eſſe poſſibilem, niſi vnicum Angelum perfectiſſimum, qui omnibus muneribus ſatisfaciat, quod vt falſum ab omnibus communiter in Scholis reijcitur.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Soluuntur alia argumenta contrà multiplicabilitatem numericam Angelorum, & prò poſſibilitate indiuidui in ſua Specie immultiplicabilis.

Obijcies quintò. Subſtantia ſpiritualis adæquatè diuiditur in intellectiuam rationalem, ideſt cum diſcurſu, & intellectiuam ſine diſcurſu, quià hæc ſunt membra contradictoria. Sed ſubſtantiæ rationali repugnat multiplicari ſpecie, & ideò omnes animæ ſunt eiuſdem ſpeciei; alioquin *rationale* non eſſet vltima hominis differentia, neque poſſet per illud homo definiri, Ergo

Digitized by Google

Ergo etiam repugnat ſubſtantiæ intellectiuæ ſine diſcurſu. Tùm ſic. Non poſſunt Angeli ſpecie multiplicari. Ergo multò minùs multiplicari numerò.

Sextò. Angeli ſunt omnium proximi diuinæ perfectioni. Ergo ſicut Deo repugnat omnis multiplicitas tam numerica, quàm ſpecifica, debet Angelis repugnare, ſaltèm ſpecifica, quæ eſt maxima.

Septimò. Indiuiduum, iuxtà communem Porphirij definitionem, eſt illud, cuius complexum proprietatum, & accidentium alteri conuenire non poteſt, quæ proprietates, & accidentia, ſaltem præcipua, continentur hoc verſu. *Forma, figurà, locus, ſtirps, nomen, Patria, tempus*. Sed huiuſmodi complexum Angelis conuenire non poteſt, cùm omnia hæc accidentia, vel ſint materialia, vel ſupponant ſubiectum materiale, in quo ſint. Ergo neque poſſunt habere rationem indiuiduationis, per quam ſinguli ab alijs indiuidualitèr diſtinguantur. Vel ergò diſtinguuntur Specie, vel nullatenus diſtinguuntur.

Octauò. Poteſt dari aliquis actus fidei, quo credatur Deo reuelanti, ſe nolle concurrere ad alios actus fidei ſibi ſimiles. Hic autem actus, cùm eſſet eſſentialiter verus, non eſſet coniungibilis cum ſibi ſimili, & eiuſdem ſpeciei, Ergo eſſet eſſentialiter, & intrinſecè immultiplicabilis.

Ad quintum nego conſequentiam. Sicut enim non valet (& erit argumenti retorſio.) *Subſtantia adæquatè diuiditur in corpoream, & incorpoream. Sed corporea eſt*

multiplicabilis in ſua Specie. Ergo etiam incorporea. Sicut, inquam, non valet hæc conſequentia per Aduerſario; ità neque valet illa per nos. Deindè aſſigno diſparitatem, quarè non poſſint animæ in plures Species multiplicari, quià videlicèt cùm ſint actus corporis, ſine quo operari non poſſunt, meritò ſunt in vltimo, ſeu infimo gradu inter ſubſtantias intellectiuas poſſibiles; At Angeli cùm ſint ſubſtantiæ intellectiuæ non diſcurſiuæ, nullam habent alligationem ad corpus, & operantur independentèr ab omni materia. Ergo poteſt vnus alio perfectiùs operari, quæ perfectiò, cùm ad organum, quo ipſe vtatur, non poſſit refundi, debet refundi ad ipſum principium operatiuum perfectius, quod videlicet ſit Speciei perfectioris, vt de facto conceditur inter diuerſas Angelorum Hierarchias.

Ad ſextum, primò nego antecedens. Siquidèm Angeli dicuntur Deo proximi in perfectione, non quià ſit impoſſibile medium inter Deum, & Angelos, quod videlicèt ſit imperfectius Deo, & perfectiùs Angelis; ſed quià inter omnes perfectiones de facto creatas ſupremum Angeli obtinent locum. Hoc tamèn nòn tollit infinitam perfectionis diſtantiam inter ipſos, & Deum. Adeòque ex diuina immultiplicabili vnicitate non valet conſequentia ad Angelicam immultiplicabilitatem; ſicut non valet conſequentia in ordine ad omnipotentiā, & cætera diuina attributa. Secundò nego conſequentiam, quæ ſi valeret quoad immultiplicabilitatem ſpecificam, valeret etiam quoad numericam, cùm vtraque repu-

repugnet Deo. Atque adeò cùm probet, vnicum tantùm eſſe poſſibilem Angelum, nihil probat.

Neque obſtat, quòd aliqui ex Doctoribus Eccleſiæ Angelos dixerint Deo ſimillimos in natura. Nàm huiuſmodi Doctores (ſi qui ſunt) exponi debent in ordine ad conuenientiam genericam, & analogam Spiritualis intellectiui, non autem in ordine ad vltimas differentias, & intimam quidditatem.

Ad ſeptimum dico, hanc definitionem indiuidui eſſe logicam, non autem metaphyſicam. Definitionem autèm metaphyſicam indiuidui affert D. Thomas in pluribus locis *id quod eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio*. Quarè poſſunt dari plura indiuidua Angelica metaphyſicè loquendo, idèſt quorum ſingula ſint in ſe indiuiſa, & diuiſa à quolibet extra ſe, quamuis logicè non ſint plura, ſed vnum. Vndè autèm habeant hanc indiuiſionem in ſe, & diuiſionem à quolibet alio, allatum eſt ſuprà in probatione ſecundæ concluſionis.

Dices. Omnes proprietates, & accidentia in Angelis ſunt omnibus communia. Ergo nulla eſt proprietas apta ad conſtituendam indiuiduationem, etiam metaphyſicam vnius Angeli, per quam ab alijs numericè diſtinguatur. Probatur antecedens; Nàm ſi aliquam haberent propriam, & indiuidualem, maxime ex loco, tempore, alijſque ſuprà relatis. Sed proprietates ex loco non habent, quià ſunt inuicèm penetrabiles. Neque ex tempore, quià cùm producantur in inſtanti, ſimùl omnes creantur; & quamuis diuerſo tempore crearen-

tur, hoc illis daret ſolùm denominationem aliquam extrinſecam, non autèm aliquod intrinſecum neceſſariò diuerſum, eò quòd neque habeant formam, neque Patriam, neque alia ſuprà relata propter defectum materiæ, in qua hæc fundantur. Ergo neque poſſunt habere indiuiduationem metaphyſicam.

Nego maiorem. Ratio eſt, quia, cùm Angeli ſe penetrent, & ſinguli cognoſcant cognitiones alterius, ad quem dirigunt conſenſum voluntatis, vtiquè cùm ſinguli habeant peculiares cognitiones ſibi ſoli poſſibiles, quibus ſe cognoſcant, dicendo *ego*; & ad peculiares actus cognitionis correſpondeant etiàm peculiares volitiones, habent ſufficientiſſimè, vndè ſingulorum conſtituantur indiuiduationes metaphyſicæ. Prætérquamquòd hoc argumentū, ſi quid probat, probat ſolū contrà diſtinctionem numericā Angelorum naturalitèr habitam non autèm contrà diſtinctionem etiàm metaphyſicam. Nam poſſunt à Deo ſinguli ſupernaturalitèr determinari ad certas quaſdam proprietates alteri non communicatas, vt multi probabilitèr opinantur. Ergo nihil probat quoad multiplicabilitatem ſimplicitèr Angelorum.

Ad octauum conceſſis præmiſſis, diſtinguo conſequens. Ergo eſſet eſſentialiter immultiplicabilis potentia ſimultatis, concedo: ſimultate potentiæ, nego conſequentiam. Prò intelligentia aduertendum eſt, aliud eſſe, quòd hic actus excluderet eſſentialiter exiſtētiam, ſiuè coexiſtentiam cuiuſcumque alterius actus

ſibi

ſibi ſimilis, & aliud quòd excluderet poſſibilitatem. Nam etiàm poſſet Deus decernere, ſe nolle creare, niſi vnum hominem, in quo caſu, ſi ſupponamus Petrum creari, nullus alius homo poterit cum illo creari, nè fruſtretur efficacitas diuini decreti. Quis autèm dicat, in tali caſu alios homines eſſe ſimpliciter impoſſibiles? Idem dicito de tali actu fidei.

Dices. Actus fidei reſpicit eſſentialitèr, & intrinſecè tàm obiectum, quàm motiuum. Ergo ſi hic actus non poſſet coniungi cum alio actu ſibi ſimili, hoc ideò eſſet, quià nullus alius eſſet poſſibilis, qui haberet eumdem reſpectum ad tale obiectum, & tale motiuum. Ergo eſſet intrinſecè immultiplicabilis, quod non accideret Petro in ſuppoſito caſu, cuius incõiungibilitas, cum alijs hominibus, haberetur adæquatè à decreto Dei illi prorsùs extrinſeco. Ergo nulla eſt paritas.

Nego conſequentiam. Ratio eſt, quià quilibet alius actus fidei reſpiciens ſimile obiectum, & motiuum eſſet eiuſdem ſpeciei cum dicto actu. Cùm ergò ſit poſſibile aliud decretum Dei, quo efficaciter decernat, ſe nolle concurrere, niſi ad actum fidei B., eſt etiàm ſimpliciter poſſibilis actus fidei B. ſimillimus, adeòque eiuſdem ſpeciei cum actu A. Verùm quidem eſt, quòd hic actus B. non eſſet poſſibilis in ſenſu compoſito cum actu A., quià cùm hic ſupponat decretum excluſiuum ipſius actus B., non poteſt cum illo coniungi; eſt tamen poſſibilis in ſenſu diuiſo, quatenùs videlicèt ità Deus efficacitèr decreuit de ponendo actu A, & omittendo B., vt

potuiſſet decernere de ponendo ipſo B., omiſſo A. Ergo vterque eſt ſimplicitèr poſſibilis, & per conſequens currit optimè paritas in ordine ad quodcumque aliud indiuiduum excludens, coexiſtentiam cuiuſcumque alterius.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Quid ſit differre Specie? Vbi, an poſſint duo diſtingui Specie mere negatiuè?

STatuta iàm non ſolùm poſſibilitate, verùm etiàm actualitate tam ſpecificæ, quàm numericę diſtinctionis in Angelis,& in omnibus alijs entibus creabilibus, certa quædã ſtatuenda eſt regula, qua tutò, & facilè cognoſcatur, an vnum ens ab alio ſolùm Specie; an verò etiàm numerò diſtinguatur?

Ad aſſignandam autem rationem formàlem ſpecificæ diſtinctionis, non omnes conueniunt. Nàm aliqui dicut, Differentiam ſpecificam deſumi ex Differentia notabili; atque adeò putant, ea omnia differre Specie, quæ differunt notabiliter. Differentiam verò notabilem, dicunt, eſſe illam, quæ eſt facilè ab omnibus diſcernibilis, vt videre eſt in homine reſpectu leonis, & in leone reſpectu equi. Fundamentum huius diſſimilitudinis, ſeù notabilis Differentiæ dicunt, eſſe entitates ipſa-

ipſarum rerum diſſimilium. Eo enim ipſo, quòd aliqua duo habeant entitates diuerſas, exigunt cognoſci, vt notabiliter diſſimilia. Et hoc aiunt colligi, vel immediatè, vt inter apprehenſionem, & iudicium; vel mediatè ex proprietatibus, vt ex diſcurſu, & rugitu colligitur diuerſitas inter leonem, & equum. Dicunt inſuper, poſſe aliqua duo ſecundũ vnã conſideratione notabilitèr differre, & ſecundùm aliã non differre. Nã triangulũ aureum e.g. differt notabiliter à triãgulo ferreo ſecundũ conſiderationem phyſicam; ſecundùm autèm conſiderationem mathematicam, & geometricam non differt.

Si quis autèm illis objiciat, notabiliùs differre vaporem ab aqua, quàm ab aere, eo quòd vapor ſit rarus, & leuis, ſicut aer, non verò grauis, & denſus, ſicut aqua, cùm tamen ab aqua non differat Specie, ſicut differt ab aere. Si quis, inquam, illis hoc objiciat, reſpondent, negando maiorem. Nàm dicunt, raritatem, & leuitatem prouenire vapori extrinſecè à Sole, & aſtris, adeòque non poſſe conſtituere notabilem Differentiam, quæ deſumenda ſemper eſt à qualitatibus naturalitèr debitis, non autèm à qualitatibus violenter impreſſis; ſicut nemo deſumit Differentiam aquæ calidæ à calore illi violenter ab igne impreſſo. Cùm ergò ex vapore, & aere connaturaliter procedant proprietates inter ſe diuerſiſſimæ, hinc aiunt, deſumendam vtriuſque diſſimilitudinem. Præterquàm quòd dicunt, hanc objectionem eſſe ab omnibus ſoluendam, cùm difficultas proueniat ex materia, non autèm ex qualitate doctrinę.

Ve-

Verùm hæc ſententia in duobus diſplicet. Alterum eſt, quòd confundat diuerſitatem quantitatiuam, & extrinſecam, cum diuerſitate quidditatiua, & intrinſeca prædicatorum eſſentialium. Quis enim dicat, quercum palmarem differre Specie à quercu centumpalmari, à qua tàm enormiter differt quoad molem, & extenſionem quantitatiuam? Alterum eſt, quòd Differentia notabilis eſt quid indifferens ad diſtinctionem genericam, & ſpecificam. Si enim Petrus differt à leone, multò magis differt à planta. Ergo deberet aſſignari, quantanàm debeat eſſe hæc notabilis Differentia, vt intrà terminos ſpecificæ diſtinctionis coerceatur, neque vlteriùs ad genericam progrediatur. Hoc autèm non poteſt facilè aſſignari, cùm nobis ſubſtantiæ immediatè non innoteſcant. Ergo aliundè deſumenda eſt ratio formalis diſtinctionis ſpecificæ.

Alij dicunt, ea differre Specie, quæ ſunt inter ſeſe eſſentialitèr diſſimilia; atque adeò explicant ſpecificam diſtinctionem per diſſimilitudinem eſſentialem. Hanc autem explicant per ſimilitudinem contrariam, cuius conceptum tradunt & ab intrinſeco, ſeù à priori, & ab extrinſeco, ſeù à poſteriori. Ab intrinſeco dicendo, ſimilitudinem eſſe reſpectũ fundatum in vnitate extrẽmorum ab illis contradiſtinctum; & ab extrinſeco, dicendo, ſimilitudinem eſſe illud, quod eſt difficilè diſcernibile, ſaltèm ab intellectu creato.

Sed hæc quoquè ſententia, præterquàmquòd videtur coincidere cum prima, peccat in hoc, quòd explicet

plicet ignotum per ignotius. Si quis enim neſciat, quid ſit differre Specie; multò magis neſcit; quid ſit eſſe diſſimile. Præterea ſupponit, relationem prædicamentalem eſſe aliquid ab extremis cõtradiſtinctum, quod à nobis infra reijcietur vt falſum. Ergo ſubſiſtere non poteſt.

Non deſunt ex Recentioribus aliqui; qui dixerint, eã differre inter ſe Specie, quæ differunt ſub aliquo conceptu communi pluribus applicabili. E. g. *homo* differt Specie à *leone*, quia ſub conceptu *hominis* diſtinguuntur. Hic enim conceptus ita eſt vni applicabilis, vt alteri applicari non poſſit, quod idem dicunt de conceptu *leonis*, qui eſt applicabilis *leoni*, non *homini &c.*

Hi tamen Auctores vt vitent abſurda ſuprà relata, incidunt in peiora. Primò quia confundunt diſtinctionem ſpecificam cum generica; nam etiam *homo* differt à *lapide* ſub conceptu *hominis*, & tamen differt ab illo Genere. Secundò quia multò obſcurius eſt, differre ſub aliquo conceptu communi pluribus applicabili, quàm differre Specie. Ergo explicant ignotum per ignotius.

Alij dicunt, Differentiam Specificam haberi per aliquod merè negatiuum, videlicet per priuationem, ſeu negationem alicuius prædicati eſſentialis, quòd ita ſit in vno ex pluribus poſitis ſub aliquo communi Genere proximo, vt illud idem in alijs non ſit.

Hæc tamen ſententia eſt falſa primò, quia quælibet

res

res habet aliquod prædicatum proprium poſitiuum, quod non habent aliæ, vt alibi diximus & fuſiùs probabimus in 3. diſp. Nam *equus* e. g. ità caret rationalitate, quam habet *homo*, vt loco illius habeat hinnibilitatem, qua homo caret; & *Canis* latrabilitatem, *leo* rugibilitatem, &c. Ergo ſingula habent aliquod prædicatum proprium poſitiuum, per quod Specie à cæteris diſtinguantur. Secundò quià, quandò natura voluit leonem e. g. pròut diſtinctum ab equo, & ab omni alio, vtiquè noluit inducere negationem in mundum, ſeù priuationem in *animal*, ſed uoluit aliquam perfectionem peculiarem, quæ in alijs non habeatur, ſicut eſt rugibilitas, quæ ità eſt in leone, vt in nullo alio ſit. Vt meliùs tamen pateat hæc doctrina ad confirmationem eorum, quæ ſupra diximus ſit.

Prima concluſio. ***Differentia, ſeù diſtinctio ſpecifica non poteſt haberi per aliquid merè negatiuum.*** Probatur primò ex ijs, quæ diximus in primo libro diſp. 3. art. 12. Nàm omnis Differentia Specifica, debet conſtitui per diuerſitatem formarum, ſeù quaſi formarum ex æquo diuidentium idem Genus proximum. Formæ autem, ſeù quaſi formæ ſunt aliquid poſitiuum, quià perficiunt, & ornant. Ergo & diſtinctio ſpecifica debet haberi per aliquod poſitiuum. Vnde colligit Ariſt. 10. met. cap. 11. fæminas non diſtingui Specie à maribus, quià ab illis non differunt, niſi in materia. Dixi ***quaſi formarum***, quià Angeli quamuis non habeant veras

ras formas, poſſunt tamen Specie diſtingui, ratione diuerſitatis in perfectionibus eſſentialibus, quæ tamquam formæ illos metaphyſicè componunt, vt ſuprà vidimus.

Probatur ſecundò, quià, vt videbimus in ente rationis, per eadem res diſtinguuntur, per quæ conſtituuntur in eſſe tales. Cùm ergo nullum ens poſitiuum poſſit formaliter conſtitui tale per aliquod negatiuum, vt egregiè probat Ariſtot. lib. 1. de part. animal. c.3. & 6. top. cap.3., neque poteſt diſtingui ab alijs per aliquod negatiuum.

Tertiò quià non dantur Differentiæ negatiuæ, vt infra videbimus. Ergo neque diſtinctio ſpecifica negatiua. Vndè obiter infer quàm parum ſolidè, nè dicam gratis aſſeruerit Arriaga in diſp.1. metaph. ſect.4. *eſſe ex ipſis terminis ità notum* (quæ ſunt uerba ipſius) *vt ampliùs declarari non poſſit, diſtinctionem eſſe carentiam identitatis inter duo extrema*, ideſt quòd hoc non ſit illud. Quomodò enim poteſt eſſe ex terminis adeò notum, quod eſt omnino falſiſſimum, & à pleriſque negatur? Verùm de hoc ſuo loco.

Neque obſtat, quod *animal* benè diuidatur in *rationale*, *& irrationale*. Quamuis enim *irrationale* explicetur per actum negatiuum, non tamen proindè eſt aliquod negatiuum, ſed poſitiuum, cùm aliud non ſit, quā *hinnibile*, *rugibile*, &c. Explicatur autem per actum negatiuum duplici de cauſa. Primò quia tot ſunt Differentiæ animalis, quæ non ſunt homo, ut longiſſimum eſſe-

eſſet ſingulas recenſere ſeorſim; adeòque cùm ſatis nobis ſit ad hominem definiendum, quòd illæ excludantur ab homine, benè poſſumus de illis loqui aliquo vocabulo negatiuo, quod habeat rationem excluſionis reſpectu illarum, ſicuti eſt *irrationale*, quod idem ſonat, atque non *rationale*, oppoſitum videlicèt *rationali*. Deindè quia multæ ſunt Differentiæ poſitiuæ nobis occultæ, ſicut fuit antiquis Differentia hominis. Ergo cùm non poſſimus illas poſitiuè diſtinguere, debemus illas diſtinguere, ſaltèm negatiuè. Et hæc eſt ratio (ni fallor) quarè Plato, Porphirius, & alij admiſerint differentias aliquas priuatiuas, quià earum prædicata poſitiua non agnouere. Ex quo collige, omnem Differentiam eſſe poſitiuam, quià cùm cõponat Speciem ſimul cum Genere, & hæc ſit poſitiua, etiàm partes debent eſſe poſitiuæ, vt patet. Et ideo Ariſtoteles ait lib. primo de par. animal. c.3. *priuationis quà priuatio eſt nulla eſt Differentia. Non enim fieri poteſt, vt Species eius ſit, quod non eſt, velut impedati, aut impennati, ſicut pennati, & pedati*.

Secunda concluſio. *Ea differunt Specie, quæ ſub eodem Genere proximo diuerſas habent definitiones eſſentiales*. Elicitur ex Ariſtotele 10. met. cap. 11. vbi ait, *quæcumque in ratione contrarietates ſunt, Speciè differentiam faciunt*. Nomine autèm *rationis* benè poteſt intelligi definitio eſſentialis. Cùm enim hæc habeatur à forma, & forma ibi vocetur ratio, utiquè etiàm definitio eſſentialis, ſaltèm obiectiua, erit formaliter ratio. Probatur igitùr, & explicatur concluſio, quià *homo* e. g. in tantùm

differt

differt ab *equo* Specie, inquantùm vterque continetur *ſub animali*, & ſub illo *homo* definitur *eſſe animal rationale*, & *equus eſſe animal hinnibile*, quæ ſunt diuerſæ definitiones eſſentiales. Petrus autèm, & Paulus, quamuis ſint ſub eodem Genere, non tamèn habent ſub illo diuerſas definitiones eſſentiales, cùm uterque ſit eſſentialitèr animal rationale, ſed ſolùm accidentales, ratione uidelicèt accidentium, & proprietatum accidentalium, quorum diuerſa complexio conſtituat duo diuerſa indiuidua, penès quæ diſtinguuntur; Et ideò non diſtinguuntur Specie, ſed ſolo numerò.

Addidi in concluſione illas particulas, *proximo*, & *eſſentiales*, vt uidelicèt per primam excludatur diſtinctio generica, & per ſecundam numerica. Nàm etiàm *homo*, habet diuerſam definitionem à *planta*, & uterque continetur ſub eodem Genere *Viuentis*, & tamen non differũt propriè Specie, ſed Genere: & *Petrus* habet diuerſam definitionem accidentalem à Paulo, ut nuper diximus, et tamen ab illo Specie non differt.

Sed quià Species alia eſt ſubalterna, & alia ſpecialiſſima; ideò alia eſt diſtinctio ſpecifica per Speciem ſubalternam, & alia per ſpecialiſſimam. Vt autèm vnam ab alia diſtinguamus, dicendum eſt cum Toleto quæſt. 4. in caput de Genere, tripliciter poſſe aliquid differre Specie ab alio, vt habetur expreſsè ex Ariſt. 5. met. cap. 10. Primò quandò ſub eodem Genere habent diuerſas definitiones eſſentiales, vt modò diximus, ità vt in alias Species inferiores diuidi nequeant; & hæc diffe-

differunt Specie athoma, ſeu ſpecialiſſima, quæ dicitur Differentia ſpecifica, vt *homo*, & *leo*. Secundò quandò habent diuerſas definitiones eſſentiales ſub eodem Genere, ſub quo ità ex æquo continentur, vt poſſint adhùc diuidi in alias Species ſub ſe, eo quòd Genus non ſit proximum; & hæc differunt Specie ſubalterna, vt *corpus animatum*, & *corpus inanimatum*. *Corpus* enim, ſub quo continentur tamquàm Species, æqualitèr diuiditur per *animatum*, & *inanimatum*, quæ adhùc ſubdiuiduntur in alia inferiora, reſpectu quorum habent rationem Generis.

Tertiò quandò habent diuerſas definitiones eſſentiales ſub eodem Genere, ſub quo inæqualitèr continētur, quià videlicèt vnum eſt communius alio, non quidèm quòd vnum ſit alio ſuperiùs (tunc enim unum eſſet Genus reſpectu alterius, & non differrent Specie inter ſe; Siquidem Genus, ut ait Ariſt. 10. met. cap. 11. non differt Specie à Specie ſub ipſo contenta) ſed quòd unum contineat ſub ſe plures Species, quàm aliud, ſicut ſunt *planta*, & *homo*. Nam *planta* ſub Genere *Viuentis* continet ſub ſe plures Species, quàm *homo*, & hæc dicuntur etiam differre Specie ſubalterna. Noſtra igitùr regula ualet uniuerſalitèr in ordine ad omnes dictas diſtinctionum Species, quamuis propriè ualeat ſolùm de prima, de qua primariò hìc agimus.

ARTI-

ARTICVLVS NONVS.

Quid & quotuplex ſit Differentia? Vbi, an dentur Differentiæ vltimæ ſimplices?

PORphirius in capite de Differentia, tres aſſignat Differentiæ ſpecies, videlicèt communem, propriam, & proprijſſimam. Differentia communis eſt illa, quæ quomodocumque diuerſificat ab alio, à quo eſt ſeparabilis, vt eſt motus reſpectu mobilis; nàm corpus dùm mouetur, differt à corpore quieſcente. Differentia propria eſt illa, quæ habetur à quocumque accidente inſeparabiliter affixo, vt eſt *cæcitas oculorum, aut naſi curuitas, aut cicatrix, cùm ex vulnere obcalluerit*. Hæc enim omnia, quamuis ſint accidentia, eò quòd potuerint non eſſe in tali ſubiecto, tamen poſito quòd in illo ſint, non poſſunt, ſaltèm naturaliter, ab illo ſeparari, ſicut poteſt ſeparari motus à corpore mobili, quod poteſt non moueri. Differentia proprijſſima, ſeu ſpecifica eſt illa, quę habetur ex prædicato aliquo ſpecifico, & eſſentiali, vt eſt *rationale* reſpectu *hominis*, & *hinnibile* reſpectu *equi*. Primæ duæ differentiæ (vt cum Porphirio loquar) faciunt alterum, ſeu alteratum, poſtrema verò facit aliud,

nam illæ primæ non conſtituunt eſſentiam intrinſecam, ſed ſolum accidentia, & proprietates accidentales, tertia verò conſtituit eſſentiam rei, & dicitur ſpecifica per hoc, quòd rem formaliter conſtituat ſub tali Specie entis, & de hac tantùm agimus in præſentia.

Differentia ergo propriiſſima fundamentaliter accepta ſic primò definitur. *Differentia eſt, qua abundat Species à Genere*. In qua definitione ly *abundat*, idem ſignificat, atque *excedit*; Nam id, propter quod Species excedit Genus, eſt Differentia. Secundò *Differentia eſt, per quam Genus ſeparatur in partes, ſeù diuiditur*; nam *animal* e. g. diuiditur in partes ab *hinnibili*, *rationali* &c. Tertiò *Differentia eſt, ſecundùm quam vna Species ab illa differt*; nam *homo* e. g. differt ab *Equo* per *rationale*, & *hinnibile*, quæ ſunt vtriuſque Differentiæ. Quartò *Differentia eſt, qua vna Species ab alia ſeparatur cùm ſit pars Speciei eſſentialis*, vt eſt *rationalis*, per quod *homo* ſeparatur ab *equo*. Quintò dicitur *actus vltimò adueniens, & complens Genus*, nam *rationale* e. g. eſt actus quidam metaphyſicus adueniens *animali*, tamquàm illius complementum. Sextò dicitur ab Ariſt. 5. met. t. 19. & 33. *qualitas Generis, & quidditas Speciei*, quià videlicèt Differentia reſpectu Generis ſe habet ad modum qualitatis perficientis, non autèm ad modum actus ſubſtantialis. Siuè enim ponatur e. g. *rationale*, ſiuè non, ſemper retinetur eadem eſſentia *animalis*; reſpectu autem Speciei dicitur *quidditas*, quià Differentia conſtituit eſſentiam Speciei, & ideò ſine *rationali* non daretur eſſentia *homi-*

hominis. Et præterea multis etiam alijs nominibus nũcupatur, vt videre eſt paſſim in metaphyſicis. Nos igitùr hìc non agimus de Differentia fundamentalitèr, ſeù metaphyſicè, ſed de illa formaliter, & logicè ſumpta, quatenùs eſt tertium Prædicabile.

Prima concluſio. *Benè definitur Differentia logicè ſumpta, eſt illud, quod prædicatur de pluribus differentibus Specie, vel numerò in quale quid, ideſt per nomen concretum, eſſentiale, adiectiuum*. Probatur, quià huiuſmodi definitio conuenit omni, & ſoli Differentiæ, eiuſque eſſentiam ſufficienter explicat. Ergo eſt bona. Quòd ſi illa, de quibus prædicatur, differant inter ſe numerò, erit Differentia numerica, vt ſunt *Petreitas*, *Pauleitas* & per quas *Petrus* differt à *Paulo*. Quòd ſi differant etiàm Specie, erit Differentia ſpecifica, vt *rationalitas*, & *hinnibilitas*, per quas *homo* differt ab *equo*. Quòd ſi differant etiàm Genere, erit Differentia generica, vel ſpecifica ſubalterna, vt ſunt *corporeitas*, & *ſpiritualitas*, per quas Angelus differt ab homine. Quòd autèm hæc definitio non conueniat alteri, probatur, quià Genus, & Species prædicantur ſolùm *in quid*; Proprium, & Accidens prædicantur ſolùm *in quale*, vel neceſſarium, vel contingens. Sola ergo Differentia prædicatur in *quale quid*. Dicitur autèm prædicare *in quale quid*, quià quamuis Differentia ſit aliquid eſſentiale, tamen prædicatur per modum qualitatis, ſeù adiacentis alteri, quæ prædicatio exprimitur per nomen concretum adiectiuum. E. g. non dicitur *homo eſt rationalitas*, ſed *rationalis*.

 Obij-

Obijcies. Differentia non prædicatur immediatè de pluribus inferioribus, ſed ſolùm de Specie. Nam *rationale* e.g, immediatè prædicatur ſolùm de *homine*, quo mediante, prædicatur etiam de *Petro*, & *Paulo*. Ergo Differentia non eſt vniuerſalis, quià non habet ſub ſe plura immediatè, de quibus prædicetur, & per conſequens recenſeri non debet inter Prædicabilia.

Aliqui cum Burleo reſpondent huic argumento diſtinguendo antecedens, ſcilicèt concedendo, verificari quidem illud de Differentia vltima, & ſpecialiſſima, negant autem verificari de ſubalterna, ſeu generica, quam ſolùm dicunt fuiſſe hìc à Porphirio definitam, quippè qui non cognouit vltimas Differentias. Sed hæc reſponſio non videtur ſufficiens, quià cùm hìc Porphirius definiat Differentiam, pròut tertium Prædicabile eſt, debet omnem Differentiam definire, ſicut cùm definit Speciem, definit omnem Speciem, & per definitionem Generis omne Genus.

Alij cum Caietano hìc, Auicenna, alijſque reſpondent, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens. Differentia non eſt vniuerſalis poſitiuè, concedunt; negatiuè, negant. Dicunt enim hanc definitionem tradi in ſenſu negatiuo, ideſt quòd Differentia ſit talis, vt illi non repugnet de pluribus differentibus Specie prædicari. Quarè licèt non ſit neceſſarium ad eſſentiam Differentiæ, quòd ſit aliquid Prædicabile de pluribus, neque aiunt, eſſe neceſſariam negationem huius prædicati ad illam conſtituendam; atque adeò putant, poſſe dari aliquam

quam Differentiam, quæ ſit talis, & aliam, quæ non ſit talis. Sed hæc quoque reſponſio eſt falſa. Primò quià vel repugnat Differentiæ prædicari in pluribus, vel nõ? Si primùm. Ergo non eſt vniuerſalis, quià prædicatur de vno tantùm ſubiecto. Si ſecundum. Ergo eſt etiam vniuerſalis poſitiuè; nam ſingulari repugnat prædicari de pluribus. Deindè quià Differentia conſideratur hìc vt vnum Prædicabile. Ergo non poteſt abſtrahi à prædicabilitate, quæ conſtituit illam formalitèr in eſſe talem.

Reiecta igitur hac etiàm reſponſione, priuſquàm noſtram afferamus, videndum eſt, an dentur Differentiæ ſimplices, ex quo maximam partem pendet ſolutio difficultatis.

Platonici, vt refert, & confutat Ariſtoteles 6. top. cap. 2. & 3. componebant omnes vltimas differentias ex duobus Generibus ſimplicibus, adeòque definiebant hominem *animal viuum, rationale, mortale*, vbi ly *rationale mortale* ſunt loco Differentiæ. Prætereà ipſemet Ariſtoteles videtur alicubi cum Platone ſentire, vt multi obſeruant ex lib. 2. poſt. cap. 14., vbi ait. *Singulas Differentias per ſe competere multis Speciebus, tamèn aliquæ ſimul iunctæ vnam rem componunt*. Ex quibus videtur colligi, omnes, & ſingulas Differentias eſſe genericas, adeòque non dari vltimas. Et ex 1. top. cap. 3. vbi ait, problema Differentiæ ad problema Generis reducendum. Et ex 4. top. cap. 6., vbi ponit diſcrimen inter Genus, & Differentiam, quòd illud prædicetur

de pluribus, quàm hæc; adeòque ſit vniuerſaliùs, quamuis etiàm vltima Differentia de pluribus prædicetur. Ex quibus, aliiſque locis deducunt aliqui, nullam dari vltimam Differentiam ſimplicem, ſed omnes eſſe genericas, & communes, fieri autèm vltimas per compoſitionem duarum, vel trium ex illis: & ſic Differentiam vltimam *hominis* dicunt eſſe *rationale mortale*, vt aſſerebant Platonici, quià quamuis *mortale* etiam bruto conueniat; & *rationale* etiàm Angelo, in ſententia Porphirij putantis, Angelum eſſe animal rationale, immortale; complexum tamen ex vtroquè conuenit ſoli homini. Præterea Toletus hìc ait, Porphirium fuiſſe in eadem ſententia, ut optimè cenſet, deduci poſſe ex capite de Differentia.

Prò ſolutione aduertendum eſt primò, quòd ſicùt datur compoſitum phyſicum ex partibus ſubordinatis, ut *homo* ex *anima*, & *corpore*, & ex partibus diſparatis, ut eſt *continuum*; ità datur compoſitio metaphyſica, non ſolùm ex partibus ſubordinatis, quales ſunt *animal*, & *rationale* reſpectu *hominis*, uerùm etiàm ex partibus diſparatis, quales ſunt principium ſenſitiuum, & principium diſcurſiuum reſpectu eiuſdem hominis.

Secundò aduertendum eſt, quòd ſicut prædicata, & perfectiones diſtinguuntur à nobis per ordinem ad diuerſos effectus, & operationes principales; ità etiàm Differentiæ. Quarè ſicut eſſentia dicitur ſimplex, ſi unicum tantùm poſſet præſtare effectum, & proprietatem, ità & Differentia dicitur ſimplex, ſi poſſit in-

ueniri

ueniri aliquod prædicatum in ordine ad quod poſſit ſufficienter prædicari, & diſtiugui à quolibet alio.

Tertiò, quòd ſicut non ſufficit quælibet diuerſitas numerica proprietatum ad arguendam diuerſitatem potentiarum, & prædicatorum, alioquin cùm quælibet potentia ſit conceptibilis, in ordine ad effectus penè infinitos numerò diſtinctos, ab illa producibiles, quælibet potentia eſſet compoſita ex infinitis formalitatibus; Ità etiàm non ſufficit, ad arguendam diuerſitatem Differentiarum, quòd concipiatur diuerſitas quælibet earum proprietatum, ſed debet conſiderari diuerſitas aliqua notabilis proprietatum principaliorum. Sic Differentia *aeris*, in ſententia probabili, explicatur ſolùm per *calorem*, & *humiditatem*, non uerò per leuitatem, aùt raritatem, quià leuitas, & raritas nón profluunt immediatè ex ipſa ſubſtantia aeris, ſed à calore, & humiditate; adeoque non ſunt proprietates primariæ, ſeù principales aeris, ſed ſecundariæ. His poſitis, ſit

Secunda concluſio. *Dantur de facto Differentiæ ſpecificæ, ſeù vltimæ ſimplices, & in complexæ.* Probatur, quià rugitus, hinnitus, rugitus, &c. ſunt proprietates ſimplices, & conuertibiles cum ſuis Speciebus. Ergo etiàm mugibilitas, & rugibilitas, quæ ſunt principia taliũ proprietatum ſunt Differentiæ ſimplices. Antecedens patet. Conſequentia probatur, quià vt vidimus in ſecundo aduertendo, ſimplicitas, vel compoſitio Differentiæ deſumitur ex ſimplicitate, vel compoſitione proprietatum, quæ ſunt illius effectus principales. Cùm ergò mugitus,

gitus,rugitus,hinnitus,&c. ſint proprietates ſimplices, rugibilitas,hinnibilitas, &c. quæ ſunt earum principia, ſunt etiam ſimplices. Et huic opinioni ſubſcribunt ferè omnes Philoſophi, ac Theologi, vt videre eſt apud Conimbr. q.2. de Different. art. 2. & Fonſec. 5. met. c. 28. q.17. ſect.2. ex Ariſt.7.met. cap.12,tex.42. & ſeqq. vbi ait, vltimas Differentias conuerti cum Specie: & ex. 1. de part. animal. c.2. & in ante prædicam.c.4., vbi ait,aliquas Species non habere,niſi vnicam Differentiã. Quod ſi vnicam. Ergo ſimplicem.

Neque obſtant loci Ariſtotelici ſupra relati. Nam in illis (vt obſeruat Toletus hìc) Ariſtoteles loquitur quidem de Differentijs genericis, quæ ſunt magis communes,& notæ, non tamen negat Differentias ſimplices vltimas, de quibus utpotè nobis ignotis, & occultiſſimis,non eſt ità paſsim loquendum.

Tertia concluſio. *Dantur etiàm Differentiæ vltimæ compoſitæ ex pluribus Differentiis ſpecificis*. Probatur, quià multæ ſunt proprietates, quarum ſingulæ ſeorſim conueniunt pluribus Speciebus, & niſi coniungantur, unicam Speciem non conſtituunt. Ad hoc ergò ut cõſtituant Differentiam aliquam ultimam, debent ſimùl uniri, ut patet in principio dulcedinis, & albedinis, quæ niſi uniantur non conſtituunt lac. Quod idem dico de principijs caloris, & humiditatis, quæ niſi coniungantur, non conſtituunt gradum corporis corruptibilis; vel in probabili ſententia Speciem infimam aeris.

Dices. Deus,& Angeli diſtinguunt eſſentias,& vltimas

mas omnium rerum indiuiduationes. Sed hæ ſunt ſimplices, & indiuiſibiles. Ergo numquàm cognoſcunt Differentias vltimas compoſitas, & per conſequens hæ non dantur. Nego ſubſumptam conſequentiam. Quãuis enim reſpectu Dei, & Angelorum non detur huiuſmodi Differentiarum compoſitio, non tamen proindè ſequitur, illam ſimplicitèr non dari, etiam reſpectu noſtri, qui propter imperfectionem non poſſumus perfectè cognoſcere eſſentias rerum, vt ſunt in ſe.

Quarta concluſio. *Non poteſt dari Differentia vltima compoſita ex pluribus Differentiis genericis ſimplicibus.* Probatur primò, quia omnis Differentia debet diuidere Genus, vt dictum eſt. Hæc autèm Differentia non diuideret Genus, quia ipſa eſſet formalitèr Genus, & nihil ſe ipſum diuidit. Ergo &c.

Secundò quia Differentia eſt id, quod Species habet præter Genus. Ergo non poteſt includi in ipſo Genere. Nullum enim incluſum eſt aliquid pretèr includens. At ſi componeretur ex pluribus Generibus, includeretur in illis, ſicut *homo*, quia componitur ex *animali* tamquàm ex Genere, includitur in *animali*. Ergo &c.

Ex quibus patet ſolutio ad argumẽtum ſuprà allatũ contra primam concluſionem, deductum ex eo, quòd Differentia non prædicetur immediatè, niſi de Specie. Nam ſi loquamur de Differentia vltima ſimplici, profectò illa non eſt prædicabilis de pluribus differentibus Specie, ſicut eſt prædicabilis Differentia generica. Ad hoc autem vt definitio Differentiæ conueniat vtriquè, debet

debet apponi illa particula *vel numerò*, niſi velimus recurrere ad definitionem Toleti, quòd videlicèt Differentia ſit *id, quod prædicatur in quale quid*. Quæ definitio conuenit omnibus Differentijs, quæcumque ſint. Porphirius autem, vel quià verè non cognouerit vltimas Differentias, vt videntur innuerè S. Thomas 2. poſt. lect. 3. & Simplic. c. 3. ante prædicam. reg. 2., vel quià illarum vtpotè non ità facilè cognoſcibilium, (vt ijdem aſſerunt) non meminerit, ideò omiſiſſe fertur illam aliam particulam, quam nos addidimus, *vel numerò*.

Sed quià adhùc videtur recurrere difficultas; nàm ſemper poſſet vrgeri. Differentia vltima ſiuè ſimplex, ſiuè compoſita, non eſt de pluribus differentibus numerò prædicabilis, quià poteſt tantùm immediatè prædicari de vna numerò Specie. Ergo quacumque appoſita particula, illi non conuenit definitio Differentiæ, quatenùs prædicabilis eſt. Ideò reſpondeo ſecundò, cum Toleto, ad rationem Vniuerſalis *in prædicando*, non eſſe neceſſarium, quòd illud immediatè de pluribus prædicetur, ſed ſatis eſſe ſi prædicetur immediatè de ſubiecto aliquo uniuerſali, quo medio, deindè de alijs prædicetur. Hoc autem conuenit cuicumque Differentiæ, ſiuè ſimplici, ſiuè compoſitæ. Nàm *rationale* prædicatur immediatè de *homine*, qui eſt ſubiectum uniuerſale, eoque mediante, prædicatur de Petro, Paulo &c. & *hinnibile de equo*, & per illum de bucefalo &c. Ergo adhùc ſemper Differentię retinetur uniuerſalitas,

quià

quià ſemper prædicatur de Specie, ut uniuerſali, non autèm ut particulàri. Atque adeo ſicut negatur conſequentia poſtremi enthymematis, ita & primi.

ARTICVLVS DECIMVS.

De Proprio, & Accidente.

PRoprium fundamentaliter ſumptum eſt quadruplex. Primum eſt illud, quod ità conuenit alicui tantùm Speciei, vt non tamen conueniat omnibus ſub illa contentis, vt eſt *eſſe Philoſophum*. Quamuis enim ſolus homo ſit Philoſophus, non tamen omnis homo eſt philoſophus. Secundùm, quòd conuenit omnibus contentis ſub aliqua Specie, ſed non illis tantùm, *vt eſſe bipedem*, quod ità conuenit omnibus hominibus, vt conueniat etiàm auibus. Tertiùm, quod conuenit omnibus, & ſolis contentis ſub aliqua Specie, non tamèn ſemper, vt eſt canities, & ſenectus, quæ quamuis conueniant omnibus, & (in ſententia peripatetica) ſolis hominibus, non tamen cōueniunt illis ſemper; nàm homo non ſemper eſt canus, vel ſenex. Quartùm, quod conuenit omnibus contentis ſub aliqua Specie, ſolis, & ſemper, quantùm eſt ex principijs intrinſecis, & eſſentialibus ſubiecti, vt eſt riſibilitas reſpectu hominis. Addidi illam limitationem, *quantum eſt*, &c. quià frigus eſt proprium aquæ quarto modo, quamuis

quamuis hæc poſſit illo violenter priuari. Dicitur prætereà, *quod conuenit*, ideſt *accidit*, eò quòd Proprium non conſtituat vnum per ſe, ſicut facit Differentia, quià non eſt pars eſſentialis. Dicitur, *contentis ſub aliqua Specie*, nàm reſpectu inferiorum non datur Proprium. *Riſibile* enim nō eſt proprietas Petri, ſed hominis, & ideò Ariſt. 1. top. c. 4. & 5. top. c. 1. & 2. dicit, Proprium quarto modo conuerti cùm Specie, vel cum Genere, cuius eſt Proprium.

Proprium ergo quarto modo formaliter, quatenùs eſt aliquid vniuerſale, & commune pluribus, definitur hoc pacto. *Eſt illud, quod prædicatur de pluribus differentibus Specie, vel numerò in quale neceſſarium, ideſt tamquàm aliquid neceſſariò connexum cum eſſentia*. Dicitur *prædicari de pluribus*, quià vt vniuerſale conſideratur in ordine ad inferiora, quorum eſt Proprium, & reſpectu quorum dicitur accidens neceſſarium, quod explicatur per ly *in quale neceſſarium*. Neque obſtat, quòd prædicetur immediatè ſolùm de Specie, quià (vt nuper diximus de Differentia) ad ſaluandam ipſius vniuerſalitatem, ſatis eſt, quòd prædicetur de aliquo ſubiecto uniuerſali, cuiuſmodi eſt Species.

Accidens aliud eſt metaphyſicum, & aliud logicum. De primo agemus in metaphyſica, & definitur, *quod poteſt adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionem*. In qua definitione obſeruandum eſt primò, per *corruptionem* intelligi non diſpoſitiuam, ſed formalem. Nàm poteſt aliquod accidens diſponere ſubiectum ad corruptionē,

ut

ut calor in aqua, uulnus in homine, quamuis non poſſit eſſe cum eius formali corruptione. Secundò per ly *ab-eſſe* intelligi abſentiam, & ſeparabilitatem phyſicam, & non ſolùm intentionalem.

Neq; obſtat, quòd Porphirius admiſerit etiã Accidẽs phyſicè inſeparabile. Nàm quamuis aliquod Accidẽs ſit phyſicè inſeparabile ab aliquo ſubiecto, hoc tamèn illi accidit contingẽtèr; adeòq; hoc ipſum eſt illi accidẽtale, & per conſequens ipſa inſepabilitas eſt Accidens. Non n. e.g. neceſſarium eſt Aethiopi ſimplicitèr, & de intrinſeca ſui conſtitutione, quòd ſit niger, ſed ſolùm hoc illi conuenit inſeparabilitèr ex aliqua ſuppoſitione, accidẽtali; quatenùs illi cõtingenter conuenit, ortũ habuiſſe in Aethiopia, undè talem habuit humorum complexionem. Quarè ad tollendum omne dubium, addenda eſt definitioni ſuprà traditæ particula *connaturalitèr*, ideſt *quantùm eſt ex principijs intrinſecis ipſius ſubiecti*, vt diximus de Proprio, cum ſtatuimus, frigus eſſe proprium aquæ, & non merum accidens, quamuis ab illa poſſit ſeparari, ſaltèm uiolentèr. Prætereà obſeruandum eſt, per ly *adeſſe* intelligi, non ſolùm inhærentiam, ſed etiàm adiacentiam, ut comprehendantur etiàm accidentia adiacentia, cuiuſmodi eſt Angelus reſpectu Cęli, & nauta reſpectu nauis, eò quòd de his quoquè Accidentibus formari poſſint prædicationes ſcientijs utiles.

In quo obitèr obſerua diſcrimen inter Proprium, & Accidens, quòd uidelicèt hoc habeat connexionem non cum eſſentia, ſed cum indiuiduatione ſubiecti, nàm

nam conuenit immediatè indiuiduis, & mediatè eſſentijs; ideò enim *homo eſt albus, quia Petrus eſt albus*. Contrà uerò Proprium conuenit immediatè eſſentiæ, & mediatè indiuiduis; Ideò enim *Petrus eſt riſibilis, quia homo eſt riſibilis*. Hinc eſt, quòd Accidens connaturalitèr poſſit ſeparari, Proprium uerò non poſſit.

Vndè patet reſponſio ad illud uulgare argumentum de morte, quàm multi ut Accidens conantur adſtruere reſpectu hominis, quamuis illi adeſſe non poſſit, abſque illius corruptione formali. Nam ſi uerè mors comparetur cum materia prima, quæ eſt ſubiectum inhæſionis, uerè mors eſt Accidens reſpectu illius, eò quòd illius præſentia materiam non tollat; reſpectu autèm hominis, qui dicitur mori, & eſt ſubiectum denominationis mortis, hæc nullatenùs habet rationem Accidentis, propter hoc ipſum, quòd illum deſtruat. Et ideò dicitur Accidens ab Ariſt. 1. top. cap. 4. & lib. 4. c. 1. & 1. phiſ. tex. 28. & ſeqq. *id quod contingit eidem ineſſe, & non ineſſe*. Vnde ſumpta eſt uulgaris illa definitio, ſeù deſcriptio, quam nupèr attulimus, *quod poteſt adeſſe, & abeſſe &c.*

Omiſſa ergo Accidentis conſideratione ſub iſta formalitate ad diſputationem afferendam in 4. lib. de ſubſtantia, & fuſiùs ad metaphyſicam, ità ſolet, & benè definiri Accidens ſub ratione Prædicabilis, quatenùs eſt unum Vniuerſale logicum. *Accidens eſt illud, quod prædicatur de pluribus differentibus Specie in quale contingentèr*. Vndè patet, illud diſtingui à Proprio per ſolam

hanc

hanc ultimam particulam *contingentèr*, qua excæpta, in omnibus alijs conueniunt. Quarè una ſit communis utriuſque definitionis probatio, quam etiam attulimus in probatione definitionum aliorum Prædicabilium, quòd uidelicèt ſicùt hæc poſtrema definitio conuenit omni, & ſoli Accidenti; ità & illa paulò ſuperiùs allata omni, & ſoli Proprio, quorum utraque quia utriuſque eſſentias explicat ſufficienter, ideo eſt etiam ſufficienter bona. Probatur aſſumptum. Nàm Genus, & Species prædicantur *in quid*, & Differentia *in quale quid*. Ergo ſola poſtrema hæc duo prædicantur abſque ly *quid*, ſed ſolùm *in quale*, illud *neceſſarium*, hoc uerò *contingens*. Sicut ergo per ly *in quale* à cæteris, ita per ly *contingens*, & *neceſſarium* ab inuicem diſtinguuntur.

Atque hæc de Prædicabilibus dicta ſufficiant, cùm cætera, non ſolùm breuitatis gratia, ſed etiam ut omnibus obuia, & nullam ſecum includentia difficultatem, omittenda putauerim.

DISPV-

DISPVTATIO TERTIA:

De præciſionibus obiectiuis.

SVPPOSVIMVS in art. 7. diſp. 1. huius libri, admittendam nullatenus eſſe, ſaltèm in creatis, obiectiuam præciſionem, per quam videlicèt, ex duabus formalitatibus realitèr inter ſeſe identificatis, vna cognoſcatur, & alia non cognoſcatur. Tractatum huius materiæ difficillimæ promiſimus vſque ab initio huius libri, & in hunc locum tranſtulimus de induſtria, vt videlicèt ad abſolutam Vniuerſalium, adeòque totius Scientiæ cognitionem nihil deſit omninò.

ARTICVLVS PRIMVS,

Proponitur ſtatus quæſtionis, & examinatur doctrina P. Antonij Perez.

IN hac materia plerique, nè dicam omnes, ſupponentes, præciſionem obiectiuam eſſe omninò chimæricam in creatis, illam admittunt ut neceſſariam in diuinis. In aſſignanda autem ratione, cur idem planè cognoſcendi modus

modus applicatus uni obiecto ſit impoſſibilis, & applicatus alteri, non ſolùm ſit poſſibilis, ſed neceſſarius, non parùm vſque adhùc tàm Philoſophorum, quàm Theologorum deſudauit ingenium. Nullus tamen ex Veteribus (quem ego viderim) difficultatem verè exhauſit, quia nullus attulit conuincentem diſparitatem, cùm ferè omnes vel illam omninò neglexerint, vel verbis eluſerint, dicendo, in Deo multa admittenda eſſe, quamuis nobis videantur intellectu difficillima, propter eius illimitatam perfectionem, quæ in creatis admittere non debemus propter eorum imperfectionem. Perindè quaſi diuinæ perfectionis infinitas conſiſtat in hoc, quòd Deum euehat extrà cancellos totius realitatis, Deoque ſoli vt proprium referat quod in ſe ipſo ſe ipſum deſtruens, vſque adeò imperfectum, & contemptibile ducimus, vt nihil planè perfectionis includat, vel includere poſſit. Ex Recentioribus aliqui huiuſmodi diſparitatem inuenire non valentes, præciſionem obiectiuam vt ſimplicitèr impoſſibilem, etiàm in diuinis; & alij vt ſimplicitèr poſſibilem, etiam in creatis, nulla habita ratione diuerſitatis, admittere conati ſunt.

Solus P. Antonius Perez, quem iure tamquàm ingeniorum Phœnicem, vniuerſa litteratorum Reſpublica docentem coluit, & ſubſecutura poſteritas viuentem adhùc, ſcriptis immortalitate digniſſimis, admirabitur; cuius ego glorior Auditorem fuiſſe, dum Romæ Scholaſticæ Theologiæ operam darem; Solus, inquam, hic

 tantus

tantus Vir in aſſertionibus Theologicis, in materia de attributis diuinis, num. 146. huiuſmodi nodum pluſquàm Gordianum, ingenij gladio planè diuini, noua quidem, & ſuprà fidem omnem ingenioſa doctrina, viaque alijs vſque adhùc imperuia, reſcindere conatus eſt. Sic ergo philoſophatur.

In diuinis non ſolùm eſt poſſibilis, ſed etiam de facto admitti debet præciſio obiectiua, ſine qua ſaluari non poſſunt prædicata contradictoria, quæ communiter Deo à Catholicis tribuuntur, videlicèt quòd eſſentia ſit filiatio, & paternitas, quæ realiter eſt eſſentia, non ſit filiatio: quòd Pater diuinus non ſit incarnatus, & filius ſit incarnatus, quamuis vterque ſit realiter identificatus cum eadem eſſentia, ſeù natura diuina: & multa alia, quæ admiſſa in diuinis diſtinctione virtuali intrinſeca, facillimè ſoluuntur à Theologis. Ait ergò, totam difficultatem eſſe in creatis, in quibus ex vna parte videtur, negari nō poſſe præciſio obiectiua, poſito quòd illa ſimplicitèr nō implicet; & ex alia videatur durum admittere in illis prædicata contradictoria, ad quorum ſolùm admiſſionem, in Deo ponit obiectiuam præciſionem. Putat ergo afferre euidentem diſparitatem dicendo, in diuinis dari diſtinctionem virtualem intrinſecam, conſiſtentem in diſcrepantia qualibet in prædicatis, etiam non perfectiuis, quam diſtinctionem in creatis impoſſibilem putat, ratione infrà afferenda. Illa enim admiſſa in diuinis, neceſſariò ſequitur præciſio obiectiua, inter formalitates, realitèr quidē idētificatas, virtualiter tamē intrinſece

cè inter ſeſe diſtinctas.

Ad hoc autèm vt probet, repugnare in creatis diſtinctionem virtualem intrinſecam tamquam omninò abſurdam, & impoſſibilem; quæ nullo modo repugnet in diuinis, tali pacto ratiocinatur.

Diſtinctio virtualis intrinſeca, inter formalitates creatas realitèr inter ſeſe identificatas, trahit ſecum neceſſariò earum diſtinctionem realem, quam non trahit in diuinis. Sed eſt impoſſibile, dari diſtinctionem realem inter ea, quæ ſunt realiter identificata. Ergo eſt impoſſibile, dari diſtinctionem virtualem intrinſecam inter formalitates creatas. Minor, & conſequentia ſunt euidentes. Ad maiorem probandam tria ſupponit.

Primum eſt, omnem identitatem realem eſſe vnitatem intrinſecam, & ſummam communicationem prædicatorum in eo genere, in quo eſt identitas. E. g. *homo* ideò dicitur eſſe idem realitèr cum *animali rationali*, quià omnia illa prædicata, quæ poſſunt affirmari, vel negari de *homine*, poſſunt etiàm affirmari, vel negari de *animali rationali*. Contrà verò *homo* non eſt idem realitèr cum *animali vt ſic*, ſecundùm totum illud, quod dicit *animal*, quià poteſt affirmari de *animali vt ſic*, quòd ſit *rugibile*, *hinnibile*, &c., quæ non poſſunt affirmari de *homine*. Ex quo deducit, omnia ea, quæ ità ſe habent, vt vnum habeat aliquam perfectionem, quam non habet aliud, diſtingui realitèr inter ſe, eò quòd non habeant ſummam communicationem prædicatorum perfectiuorum.

Alterum, quod ſupponit, eſt, omnem entitatem oppoſitam alicui defectui, ſeù defectuoſo, ideſt habêti defectum, eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem. Ex quo infert, omnem creaturam habere perfectionem aliquam poſitiuam, per quam formalitèr diſtinguatur ab omni alia, quam excludit à ſe per phyſicam diſtinctionem. Nam ſemper melius eſt, non habere defectum, quàm illum habere. Tertium eſt, omne creatum per diſtinctionem à Deo eſſe ratione ſui formalitèr imperfectum, & includere imperfectionem conſiſtentem in hoc, quòd non ſit idem cum Deo.

His ſuppoſitis, ità argumentatur. Dentur duæ formalitates creatæ A., & B. realitèr inter ſe idêtificatæ, & virtualitèr intrinſecè diſtinctæ, vtiquè A cùm diſtinguatur à B; illam à ſe excludit, nàm excludere aliud à ſe, eſt idem, atque ab illo diſtingui. Sed illa cùm ſit creata, eſt imperfecta. Ergo A. per excluſionem illius, excludit à ſe aliquid imperfectum, ſeu defectuoſum. Sed excluſio defectus, ſeù defectuoſi eſt perfectio ſimpliciter ſimplex in excludente, vt ſupponit ſecundo loco. Ergo perhoc ipſum, quòd A. diſtingueretur virtualitèr intrinſece à B., cum qua eſt idem realitèr, haberet aliquam perfectionem ſimplicitèr ſimplicem, quàm non habet formalitas B. Ergo diſtingueretur ab illa realiter propter diſcrepantiam in perfectionibus ſimplicitèr ſimplicibus, vt neceſſariò ſequitur ex primo ſuppoſito. Hoc verò putat, nō ſequi ex diſtinctione virtuali intrinſeca in diuinis, quià cùm omne diuinum ſit ſummum, &

æter-

æternum, vel ratione ſui formaliter, vel ratione identitatis cum eſſentia diuina, excludit omnem defectum, & per conſequens nulla formalitas diuina eſt defectuoſa, per cuius excluſionem refundatur perfectio in aliam formalitatem, à qua excluditur.

Quòd ſi aliquis illi obijciat ad hominem, de terminationibus liberis diuinis, quarum vna excludit aliam ratione diſtinctionis virtualis intrinſecæ, reſpondet, iuxta ſua principia, argumentum de illis verificari non poſſe. Primò quia ipſæ terminationes liberæ Dei ratione ſui formaliter neque dicunt perfectionem, neque imperfectionem; atque adeò per hoc, quòd vna excludat aliã, non ſequitur, quòd excludatur aliquis defectus. Secundò quia omnis defectus ſupponitur in illis excluſus ab eſſentia diuina, cum qua ſunt idem realiter. Ergo quãuis ſe inuicem excludendo, excluderent aliquid defectuoſum, non tamen proindè terminatio excludens haberet aliquam perfectionem, quam non habet excluſa, eò quòd ratio formaliter excluſionis defectus non haberetur per illam formalitèr, ſed per diuinam eſſentiã, cum qua eſt idem, & per conſequens etiam perfectio excluſionis eſſet formaliter perfectio diuinæ eſſentiæ, & non ipſius terminationis excludentis.

Sed hæc doctrina quamuis ingenioſa, & probabilis, quam aliàs vt talem propugnaui, & ampliaui, re tamen ipſa multiplici ratione mihi redditur difficilis in præſentia, immò & falſa. Primò quia poteſt contra ipſum retorqueri de terminationibus liberis, non illas inter ſe-

ſe (vt ipſe ſibi obijcit) comparando;ut modo diximus, ſed cum rebus creatis tali pacto. Excludere à ſe imperfectionem alterius eſt perfectio. Sed terminatio libera Dei excludit à ſe imperfectionem rerum creatarum, à quibus diſtinguitur. Ergo ex hoc capite dicit ratione ſui formaliter perfectionem, contrà illud, quod ab eo ſupponitur. Et per conſequens cum hæc vtraque aliā inuicem excludat, utrumque ſequitur, & quòd utraque ſit imperfecta,immò & alia imperfectior, propter perfectionis excluſionem alterius; & quòd utraque ſit perfecta,immò & alia perfectior,propter incluſionem perfectionis,excludentis à ſe imperfectionem alterius; quæ ſunt formalitèr contradictoria.

Quòd ſi dicat, toties imperfectionem excluſionis non eſſe perfectionem excludentis, quotiès huiuſmodi imperfectio præſupponitur excluſa à radice, & principio adæquato talis excludentis, cuiuſmodi eſt eſſentia, ſeù entitas diuina reſpectu terminationis liberæ. Cùm ergo excludere omnem imperfectionem creatam, ſit perfectio propria ipſius diuinæ eſſentiæ, quamuis terminatio A. haberet hanc perfectionem, illam tamen acciperet ab eſſentia, cuius eſſet propria, & à qua ſibi communicaretur; adeòque non poſſet per illam diſtingui realitèr ab alia terminatione B.,quæ propter identitatem cum eadem eſſentia, illam quoquè haberet perfectionem. Hoc autèm non valet in creatis, quià formalitas A. non ſolùm habet perfectionem excluſiuam imperfectionum omnium entium creatorum, à qui-

quibus realiter ipſa diſtinguitur (quia hæc perfectio eſſet etiàm communis entitati, cum qua eſt idem realitèr, & quoad hoc eodem modo ſe haberet, ac terminatio libera Dei); ſed etiam haberet perfectionem excluſiuam ipſius entitatis, quia etiàm ipſa entitas eſſet imperfectio, eo quòd eſſet creata. Cùm ergò hanc perfectionem ipſi entitati communicare non poſſet, ratione ſui formalitèr, haberet aliquam perfectionem, per quam ab illa realitèr diſtingueretur.

Hæc tamen quoquè reſponſio validè vrgetur ex eo, quòd quomodocumque explicetur, ſemper terminatio libera Dei, ſaltèm excludit à ſe diuinam eſſentiam, à qua (vt ipſe ſupponit) virtualitèr intrinſecè diſtinguitur. Sed excluſio perfectionis eſt imperfectio. Ergo ratione ſui formalitèr dicit imperfectionem, adeoque eius excluſio dicit perfectionem in excludente. Quo admiſſo, redit argumentum ſuperiùs factum contrà hanc doctrinam. Quòd autèm hæc formalitas, ſeù terminatio libera Dei (hoc enim intelligit nomine terminationis liberæ Dei, videlicèt aliquam formalitatem virtualiter intrinſecè diſtinctam ab eſſentia diuina, in qua formalitate, dicit formalitèr conſiſtere actus liberos Dei, cuiuſmodis ſit volitionis mundi, nolitionis alterius mundi &c.) quòd, inquã, hæc terminatio excludat à ſe perfectionem eſſentiæ, probatur primò ad hominem, quià, vt ipſe fatetur, ratione ſui formaliter, terminatio libera Dei, nullam dicit perfectionem. Ergo excludit à ſe omnem perfectionem, quam de facto non habet.

Secundò quià terminatio libera Dei, ità eſt idem uirtualitèr intrinſecè ſecum, ut non ſit idem uirtualitèr intrinſecè cum diuina eſſentia. Ergo ſicut per hoc præcisè, quòd formalitas creata ſit idem ſecum uirtualitèr intrinſecè, & non cum alia, excludit à ſe imperfectionem alterius, cum qua non eſt idem; Ità etiàm diuina terminatio per hoc, quòd ſit idem uirtualitèr intrinſecè ſecum, & non ſit idem uirtualitèr intrinſecè cum eſſentia, excludit à ſe omnem illius perfectionem.

Neque poſſet eludere hanc retorſionem dicendo, à terminatione libera Dei excludi, per identitatem cum eſſentia, omnem imperfectionem; adeòque non poſſe aliundè accipi imperfectionem. Non poſſet (inquam) hoc dicere, in omnibus ſemper ſibi præſentiſſimus Perez. Primò quià ſi ſupponamus, quòd terminatio libera Dei per identitatem cum eſſentia excludat à ſe omnem imperfectionem, uerificaretur ex una parte, quòd nullam haberet imperfectionem; & ex alia, quòd haberet aliquam imperfectionem, excludendo ipſam eſſentiam, à qua diſtinguitur uirtualiter intrinſecè, quę ſunt formalitèr contradictoria. Secundò quià, ſi ſemèl concedatur (ut concedi debet, poſita uirtuali diſtinctione intrinſeca) quòd hæc terminatio excludat à ſe diuinam eſſentiam, debet etiàm concedi, quòd excludat à ſe omnem perfectionem eſſentiæ; non enim poteſt ex pluribus realitèr identificatis unum excludere, quin excludat & aliud. Sed inter perfectiones eſſentiæ eſt etiam excluſio omnium imperfectionum creatarum.

Ergo

Ergo excludendo eſſentiam, excluderet a ſe hoc ipſum, quod eſt formalitèr excludere omnem imperfectionem creatam. Ex quo ſequitur, uel quòd hæc terminatio ſit undequaque imperfecta per incluſionem omnium imperfectionum creatarum, quarum excluderet excluſionem, uel quòd huiuſmodi excluſio non ſit perfectiò in excludente.

Vndè ualidiſſimè impugnatur hæc doctrina, quam obitèr tetigi de terminationibus liberis diuinis ab illo admiſſis, ut ſaluet, actus liberos Dei eſſe illi adæquatè intrinſecos. Impugnatur, inquam, primò, quià uidetur non ſolum indignum Deo admittere in illo aliquid, quod perfectum non ſit, ſed prorsùs impercæptibile. Quì enim fieri poteſt; ut aliquid ſit adæquatè diuinum, & tamèn ſit nullo modo perfectum? Secundò, quià ſi hoc ſit verum, ipſum Deum faceret chimæricum vt acutè obſeruat Pallauicinus lib. 8. qui eſt de Deo cap. 38. num. 284. Quomodò enim poteſt aliquod ens eſſe principium primum totius realitatis, & ſimùl includere prædicata contradictoria, quorum incluſio eſt formale principium totius impoſſibilitatis?

Dices. Hoc eſt proprium entis infinitè perfecti, & non alterius finiti, & limitati quòd uidelicet poſſit in ſe admittere prædicata contradictoria. Verùm hæc reſponſio videtur omninò indigna Philoſopho, ne dùm uiro ſapiente, & Chriſtiano Theologo. Ratio eſt primò, quià includere contradictoria eſt formalitèr imperfectio; nam eſt includere duo ſe mutuò deſtruentia.

Er-

Ergo quò aliquid eſt perfectiùs, eò minus poteſt illi hoc competere. Quantò igitùr minùs competet Deo, qui eſt omnium tàm exiſtentium, quàm poſſibilium perfectiſſimus?

Secundò quià includere contradictoria, eſt includere compoſitionem duorum, vt ipſemet ait in tractatu de ſcientia Dei num. 98. vnum videlicèt, ex quo ſequitur vna pars contradictionis, & aliud, ex quo ſequitur alia. Sed Deus eſt ens ſimpliciſſimum. Ergo illi non poſſunt competere prædicata contradictoria.

Tertiò, quià ſi incluſio contradictionis Deo conueniret, non traheret ſecum impoſſibilitatem exiſtendi, immo potiùs fundaretur in ſumma exiſtendi neceſſitate. Ergo de facto daretur chimæra, videlicet ens non ens. Vt quid igitùr tàm aſſeuerantèr aſſerere, vna omnium voce, chimæram eſſe impoſſibilem, cùm illam debeamus admittere ut exiſtentem, & vt diuinam etiàm adorare?

Quartò quià hoc eſſet augere difficultatem, cùm exiſtentiæ, tùm libertatis diuinæ, & non illam explicare, cùm ad illam ſaluandam admittatur in Deo contradictio, ad quàm ſolam euitandam negarunt Athei, Deum exiſtere, illique, cum Ariſtotele, Philoſophi Ethnici negarunt libertatem.

Vt autem pateat huius doctrinæ falſitas, in ipſum inuehor illius fundamentum; & probo efficaciter articulo ſequenti, falſum eſſe id, quod ſuprà vt euidens, & veriſſimum ſupponit, videlicèt, quòd omnis excluſio entitatis

tatis vtcumque defectuoſæ, ſit perfectio in excludente.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An excluſio entitatis vtcumquè defectuoſæ, ſit formalitèr perfectio in excludente? Vbi an omne creatum ſit purus defectus? Et quomodo dicatur defectuoſum per oppoſitionem cum Deo?

SVpponendum primò, identitatem realem opponi contradictoriè, ſaltèm virtualitèr, phyſicæ, & reali diſtinctioni, quæ vel eſt formalitèr negatio realis identitatis, vel illam eſſentialitèr trahit. In tantùm enim *homo* non eſt idem realitèr cum *lapide*, in quantùm realiter ab illo diſtinguitur, & viceuerſa in tantùm non diſtinguitur ab *animali rationali*, in quantùm eſt idem cum illo.

Supponendum ſecundò, non poſſe de aliquo negari vnum ex his duobus oppoſitis, quin etiam aliud affirmetur, & viceuerſa; quia cùm contradictoria non poſſint ſimùl verificari, & vnius non exiſtentia ſit exiſtentia alterius, per hoc ipſum formaliter quòd de aliquo veri-

verificetur alterutrius non exiſtentia, ſequitur neceſſariò, de illo eodem verificari alterius illi oppoſiti exiſtentiam. E. g. quià *homo : non homo* ſunt contradictoria, per hoc ipſum, quòd negetur de *Petro* hoc ſecundum *non homo*, debet de illo affirmari primùm, videlicèt *homo*; & per hoc quòd negetur de *cane homo*, debet affirmari *non homo*.

Prima concluſio. *Excluſio entitatis vtcumque defectuoſæ, non eſt ſemper perfectio in excludente, cùm aliquandò ſit etiàm imperfectio*. Probatur primò, quià tota ratio, quarè omne creatum ſit imperfectum, eſt, quià non eſt Deus, ideſt quià habet negationem identitatis, ſeù oppoſitionem cum Deo. Sed negatio identitatis cum Deo non poteſt excludi, niſi per ipſam formalem cum Deo identitatem, cui tantùm illa contradictoriè opponitur, vt primo loco ſuppoſuimus. Ergo imperfectio, ſeù defectus entis creati, ut creati, non poteſt excludi, niſi per identitatem cum Deo. Quidquid enim aſſignetur extrà Deum, cùm illud ſit creatum, habet etiàm oppoſitionem, adeòque negationem identitatis cum Deo, & per conſequens non poteſt habere eius formale excluſiuum, quod eſt unicum eius contradictorium, uidelicèt identitatem cum Deo. Quamuis igitùr unum ens creatum excludat à ſe aliud ens creatum, per phyſicam ab illo diſtinctionem, non tamen excludit hanc imperfectionem illius, uidelicèt eſſe *creatum*; adeòque non includit oppoſitam illi poſitiuam perfectionem, immò neque poteſt includere. Probo conſe-

conſequentiam, quia ſi illam includeret, eſſet Deus,& non eſſet aliquod creatum propter phyſicam identitatem cum aliquo, quod opponeretur omni enti creato; niſi uelimus dicere, illud ſimul eſſe creatum, & diuinum, quod repugnat.

Probatur ſecundò, quià quòd *Canis* e. g. diſtinguatur ab *Angelo*, non ſolùm non eſt perfectio ipſi Cani, ſed maxima imperfectio, eò quod per hujuſmodi diſtinctionem Canis careat multis Angeli perfectionibus, quibus non careret, ſi eſſet cum illo identificatus, & non diſtinctus. Probo conſequentiam, quià diſtingui ab aliquo, dicit in ſuo conceptu formali non eſſe idem cum illo. Sed identitas eſt ſumma communicatio perfectionum, ut benè ſuppoſuit ipſe Perez. Ergo ab alio diſtingui, dicit formalitèr non habere ſummam communicationem cum illo in perfectionibus, quam cæteroqui haberet, ſi ab illo non diſtingueretur. Sed Angelus, ut creatus, eſt imperfectus, propter negationem identitatis cum Deo. Ergo diſtingui ab aliquo defectuoſo, & imperfecto, non eſt formaliter perfectio in excludente.

Dices. Si Canis non diſtingueretur ab Angelo,haberet quidem perfectionem ipſius Angeli propter identitatem cum illo,non tamen haberet perfectionem latrabilitatis, per quam formalitèr conſtituitur in eſſe Canem, tamquàm per propriam, & vltimam ipſius differentiam. Ergo per diſtinctionem ab Angelo; atque adeò per excluſionem defectuoſi habet aliquam perfectionem,

ctionem, quam non haberet, ſi illum à ſe non excluderet.

Sed contrà eſt, nàm perfectio latrabilitatis in Cane non habetur ex eo, quòd opponatur cum Angelo, ſeù ab illo realitèr diſtinguatur, ſed per hoc quòd ſit Canis. Antecedenter enim ad omnem diſtinctionem, ſeù oppoſitionem cum Angelo, intelligimus in Cane latrabilitatem. Quòd autèm latrabilitas non habeatur à Cane formaliter per oppoſitionem cum Angelo, probatur euidenter, alioquin in quocumque daretur hæc oppoſitio, daretur latrabilitas; atque adeò lignum propter oppoſitionem, quam habet cum Angelo, eſſet latrabile, quod eſt ridiculum. Et ratio à priori eſt, quià diſtingui ab alio, eſt prædicatum ſecundarium ſupponens fundamentum diſtinctionis. Prius enim debemus intelligere eſſentiam Canis, quàm illam ab alio diſtingui. Sed eſt impoſſibile, quòd prædicatum ſecundarium conſtituat formalitèr primum, ad quod conſequitur. Ergo eſt impoſſibile, quòd diſtinctio ab Angelo conſtituat formalitèr in Cane latrabilitatem.

Probatur tertiò, quià vel Canis habet perfectionem excluſionis Angeli, per hoc, quòd illum à ſe excludat, vt eſt aliquod creatum; vel per hoc, quòd illum excludat vt Angelus eſt? Non primùm, quià hoc idem eſt etiàm in ipſo Cane. Neque ſecundum, quià hoc potiùs refundit Cani imperfectionem. Ergo nulla exindè reſultat Cani perfectio.

Quartò quià defectus in aliquo ordine, non poteſt excludi

excludi per alium defectum in eodem ordine. E.g. defectus rationalitatis, quem habet *equus*, non poteſt excludi per rugibilitatem à *leone*, quæ vel eſt formalitèr idem defectus, vel illum formalitèr includit. Ità etiam *eſſe nigrum*, quod eſt defectus in *Petro Aethyope*, non poteſt excludi à *Paulo Aethyope*, per hoc præciſè, quòd hic non ſit Petrus, eò quòd vterque ſit niger. Ratio à priori eſt, quia excluſio diſtinctiua Petri Aethiopis, facta à Paulo Aethyope, non terminatur ad defectũ nigredinis, qui eſt utrique cõmunis, ſed ad entitatem præciſè ipſius Petri, quæ non eſt entitas Pauli. Ergo ſi *eſſe creatum* eſt defectus, non poteſt hic excludi ab vllo ente creato, quod vel ſit, vel includat formalitèr hunc eumdem defectum. Quamuis ergo ſupponamus, quòd Canis excludat à ſe identitatem cum Angelo, ex hoc tamen non ſequitur, quòd Canis excludat à ſe hunc defectum, videlicet quòd excludat Angelum, vt eſt aliquod creatum, ſed ſolùm quòd excludat entitatem Angeli vt Angelus eſt. Excluſio autèm entitatis Angeli, vt Angeli, non eſt perfectio in Cane, ut dictum eſt. Ergo nulla ex hoc arguitur perfectio in excludente. Quod autèm excluſio Angeli à Cane non ſit excluſio illius defectus, quem dicit vt creatus, probatur, quià defectus non poteſt excludi, niſi per oppoſitam perfectionem, vt ipſemet fatetur Aduerſarius. Sed perfectio oppoſita tali defectui eſt identitas cum Deo. Ergo talis defectus non poteſt excludi, niſi à Deo, ſeu ab habente identitatem cum Deo, cuiuſmodi non eſt Canis. Quarè à Cane excluditur quidem iden-

identitas Angeli, quatenùs hæc dicit perfectiones proprias, & differentiales Angeli, hic tamen illius defectus non excluditur.

Probatur quintò, quià id, quod eſt duobus commune, non poteſt eſſe ratio conſtitutiua ſpecificæ, & numericæ diuerſitatis vnius ab alio ex illis duobus; alioquin poſſet *homo* diſtingui ſpecie à *leone* per hoc, quòd ſit *animal*, & *Petrus* diſtingui numero à *Paulo* per hoc, quòd ſit homo. Sed eſſe creatum tranſcendit per omnes creaturas. Ergo excluſio huius defectus non poteſt eſſe perfectio ſpecifica, ſeù differentialis in ulla creatura, alioquin illud idem, quod eſt defectus in una, eſſet perfectio in alia. Atque adeò cùm omnes creaturæ, ſe mutuò excludant propter mutuam diſtinctionem, una, eademque oppoſitio cum Deo, eſſet in omnibus perfectio, & defectus, quià per illud idem, per quod A. excluderet B., & eſſet perfectio ipſius A., ipſum B. excluderet A, adeòque eſſet perfectio ipſius B. Sed eſt impoſſibile, quòd prædicatum omnibus commune, fiat vnius proprium. Ergo eſt impoſſibile, quòd huiuſmodi oppoſitio cum Deo, ſit ſimul in omnibus ratio defectus, & in aliquo ratio perfectionis.

Dices. A excludit oppoſitionem cum Deo, quam habet B. Non per oppoſitionem cum eodem Deo, quam habet ipſum A; ſed per ſuam entitatem formaliter. Ergo non per illud idem, quod excludit in B. Nego conſequentiam. Cùm enim hæc entitas eſſet formaliter *non Deus*, adhùc eſſet formaliter idem defectus,

ſeù

ſeù oppoſitio cum Deo. Quidquid enim aſſignetur in A., illud eſt creatum, adeòque eſt formalitèr oppoſitũ cum Deo. Ergo ſi per hoc A. excludit à ſe oppoſitionem cum Deo, quam habet B, illam excludit per oppoſitionem cum Deo, quam habet ipſum A.

Vndè elicio ſextum argumẽtum, quià defectus creaturæ, vt creaturæ formaliter, quamuis in obliquo dicat negationem identitatis cum Deo, tamen in recto dicit perfectionem, ſeù entitatem poſitiuam talis creaturæ vt talis, per quam formalitèr diſtinguatur ab omni alio. Cùm ergo creaturæ ab inuicèm diſtinguantur per oppoſitionem, quam habent in poſitiuis quæ important in recto; non diſtinguuntur per obliquum talis defectus. Et per conſequens vnius excluſio per actualẽ diſtinctionem, cum non ſit defectus, ſed perfectionis excluſio, non arguit perfectionem in excludente, ſed potiùs aliquando, argueret imperfectionem, vt ſuprà diximus.

Probatur ſeptimò, & principaliter ex abſurdo, quià ſi excluſio entitatis creatæ eſſet perfectio in excludẽte, quò aliquid eſſet formaliter imperfectius, eò eſſet ex hoc ipſo ſimùl perfectiùs; adeòque omnium imperfectiſſima quæquè eſſent ſimùl omnium perfectiſſima. Impoſſibile autèm eſt, quòd ex ipſa ratione formali imperfectionis, & defectus, acquiratur perfectio illi oppoſita; hoc enim eſſet accedere formalitèr ad perfectionem Dei, per receſſum ab illo. Ergo eſt impoſſibile, quòd excluſio alicuius entitatis creatæ ſit perfectio in excludente. Minor, & conſequentia ſunt claræ. Pro-

batur ſequela maioris, quia quò aliquid creatum eſt imperfectiùs, eò minùs habet entitatis creatæ, vt creatæ, quia pauciora includit prædicata creata. Sed ea, quæ non includit, à ſe excludit. Ergo ex hoc ipſo, quòd pluribus careret perfectionibus, excluderet à ſe plura prædicata creata; atque adeò plures includeret perfectiones oppoſitas.

Probatur octauò, quia ſingula entia tot haberēt perfectiones, quot eſſent entia creata, à quibus diſtinguerentur. Sed hæc ſunt infinita. Ergo ſingula haberent infinitas perfectiones, vel vnam infinitam infinitis æquiualentem, quæ ſunt abſurda.

Dices. Excludere defectum eſt perfectio, quià meliùs eſt non habere defectum, quàm illum habere. Sed omnis creatura eſt defectus, propter identitatem negationis cùm Deo. Ergo illam à ſe excludere eſt perfectio. Diſtinguo maiorem. Excluſio defectus, vt defectus formalitèr, eſt perfectio, concedo; excluſio defectus, vt ens eſt, eſt perfectio, nego. Nàm ſi creatura excluderet defectum, ut defectum, illum eumdem non includeret, alioquin ſimùl includeret duo oppoſita, videlicèt perfectionem, & eius defectum, quod eſt impoſſibile. Et diſtinguo minorem. Creatura eſt purus defectus, & nihil aliud habet, quàm eſſe defectum, nego: non eſt purus defectus, ideſt habet aliquid aliud præter defectum, videlicèt propriam entitatem, concedo minorem; & nego conſequentiam.

Quòd autèm omnis creatura vt creatura dicat, non

purum

purum defectum, ſed cum illo admixtam formalitèr etiam perfectionem, probatur non ſolùm ex ijs, quæ diximus in primo lib. diſp. 1. ar. 11. & lib. 2. diſp. 2. ar. 8. verum etiam, quià melius eſt, creaturam exiſtere, quàm non exiſtere, & omne creatum exiſtens præponderat ſuo contradictorio, videlicèt omni non exiſtenti. Sed non exiſtentia creaturæ eſt imperfectio, & defectus. Ergo eius contradictorium eſt perfectio, alioquin daretur defectus oppoſitus defectui, videlicèt negatio negationis, quod eſt abſurdum. Illud ergò, in quo vna creatura diſtinguitur ab alia, eſt talis præponderantia ad ſuum contradictorium, videlicèt perfectio poſitiua, vt ipſe quoque fatetur Aduerſarius.

ARTICVLVS TERTIVS.

An verè poſſit dari præciſio obiectiua? Vbi aſſertur diſparitas, quare debeat in Deo admitti, non autem in creatis.

Reiecta doctrina P. Antonij Perez, remanet in ambiguo difficultas ſuprà propoſita de præciſionibus obiectiuis, an videlicèt illæ poſſint ſimplicitèr dari etiàm in creatis? Prò quo ſit.

Prima concluſio. *Præciſio obiectiua (quod idem aſſere*

de diſtinctione virtuali intrinſeca) de ſuo conceptu formali non implicat contradictionem;adeoque eſt ſimpliciter poſſibilis. Probatur, quia ſi implicaret contradictionem, eſſet ſimpliciter impoſſibilis. Id autem, quod eſt ſimpliciter impoſſibile, nullo modo dari poteſt. Ergo ſimpliciter dari non poſſet. Atqui datur de facto in diuinis. Ergo non implicat de ſuo conceptu formali. Quarè ex iſto capite poſſet ſuſtineri vt probabilis opinio adſtruens vt poſſibilem præciſionem obiectiuam, etiam in creatis. Quæ ſi admittatur, poſſet reſponderi facillimè argumentis, quibus communitèr illa impugnatur, ſingula in Deo retorquendo, tali pacto, contrà Arguentes. Vel ſunt contradictoria, quod ex duobus realitèr identificatis, vnum cognoſcatur, & aliud non cognoſcatur, vel non? Si primum. Ergo neque poſſunt in Deo verificari; alioquin in Deo darentur contradictoria, quod eſſe abſurdum ſuprà probauimus; & per conſequens neque in illo poterit admitti diſtinctio virtualis intrinſeca, & præciſio ab illa conſequens obiectiua. Si non ſunt contradictoria, ſed poſſunt aliquo modo explicari abſque contradictione, eodem modo poterunt etiàm explicari in creatis, & in illis admitti vt poſſibilis præciſio obiectiua. Vt quid ergo tot clamoribus vrgere hoc argumentum tamquam omnibus inſolubile, & euidentiſſimum, quod ipſi quoquè arguentes tenentur ſoluere vt falſum, variata materia ex creata in increatam? Argumentum eſt hoc. *Admiſſa præciſione obiectiua in creatis, animal cognoſceretur in homine,*

&

& rationale non cognoſceretur. Sed animal, & rationale ſunt idem realitèr. Ergo idem realiter cognoſceretur, & non cognoſceretur. Eodem modo ego dico. *Poſita præciſione obiectiua in diuinis, eſſentia diuina cognoſcitur, paternitas non cognoſcitur. Sed eſſentia diuina eſt idem realiter cum paternitate. Ergo idem realiter cognoſcitur, & non cognoſcitur.*

Poſſet ergò dici, quòd *cognoſci, & non cognoſci*, non eſſent in tali caſu contradictoria, quià non ſupponerent prò eodem. Hoc autèm tali modo probari poſſet. Suppoſita virtuali intrinſeca diſtinctione inter *hominem*, & *animal*, vnum non eſſet aliud, virtualitèr intrinſecè, ſed ſolùm realitèr. Ergo non eſſent omninò idem. Non eſt autem contradictio, quòd vnum ex duobus intrinſecè diſtinctis cognoſcatur, & aliud non cognoſcatur; Eò quòd contradictio (vt vidimus in Organo) debeat eſſe circà talia extrema, quæ in vtraquè propoſitione ſint omninò idem formalitèr, ità ut ly *idem* dicat identitatē omnibus modis, videlicèt tàm realem, quàm virtualem intrinſecam. Quæ reſponſio, cùm admittatur de facto vt legitima, & ſufficiens ad propugnandam præciſionē obiectiuam in diuinis, quæ communitèr admittitur, non poſſet, vt inſufficiens reijci, etiàm in alio caſu.

Quòd ſi quis vrgeret, ergo ſaltèm admiſſa præciſione obiectiua in creatis, ſequeretur hoc abſurdum, quòd idē realitèr cognoſceretur, & non cognoſceretur, adeoque ſequeretur contradictio. Si quis, inquam, hoc vrgeret, poſſet argumentum validè retorqueri. *Eſſentia cogno-*

ſcitur in Deo, Paternitas non cognoſcitur. Sed hæ ſunt idem realiter. Ergo idem in Deo realitèr cognoſcitur, & non cognoſcitur. Sicut ergò hoc non putatur abſurdum in Deo, poſita diſtinctione virtuali intrinſeca; ità neque eſſet abſurdum in creatis, hac eadem admiſſa, intrinſeca virtuali diſtinctione. Hanc autem eſſe poſſibilem etiam in creatis, patebit infra.

Vndè obitèr infer, quàm parùm ſolide impugnetur communitèr hæc opinio huiuſmodi argumentis, quæ niſi ad radicem difficultatis permeent, vel nihil probāt, vel probant etiàm, illam neque eſſe poſſibilem in diuinis. Quarè ſit.

Secunda concluſio. *Non poteſt admitti de facto ſiue diſtinctio virtualis intrinſeca, ſiue præciſio obiectiua in diuinis, quin admittantur etiam in creatis, niſi aſſignetur in his peculiaris repugnantia.* Probatur ex dictis, quià poſito quòd admittantur in diuinis, iàm vtraque eximitur ab omni contradictionis labe, & aſſeritur ſimplicitèr ut poſſibilis. Niſi ergò aſſignetur peculiaris repugnantia in creatis, vt creatis, ratione ſui formalitèr, neque in illis repugnant. Semper enim poſſet formari hoc ualidum argumentum. *Illud, quod eſt ſimplicitèr impoſſibile, in nullo caſu poteſt exiſtere,* alioquin poſſemus dicere, quòd etiàm Chimęra poſſet exiſtere in aliquo caſu. *Sed tam diſtinctio virtualis intrinſecat, quàm præciſio obiectiua poſſunt exiſtere in aliquo caſu, ſicut de facto admittuntur in diuinis. Ergo non ſunt ſimplicitèr impoſſibiles.*

Tum ſic. Quoties habemus eumdem operandi modum,

dum, eamdemque cauſam operatricem neceſſariam, toties debemus dicere, ſequi eumdem effectum, ſi nihil obſtet. Sed eodem modo tendit intellectus in formalitates creatas, atque tendat in diuinas, per cognitiones præciſiuas, & abſtractiuas. Ergo niſi aſſignetur peculiaris obex, vtrinque ſemper ſequetur idem effectus. Sed ſequitur de facto in Deo præciſio obiectiua. Ergo etiā in creatis, adeoque cùm hæc ſupponat diſtinctionem virtualem intrinſecam, etiam illa debet ſupponi. Quòd autem intellectus tendat eodem modo in vtraſque formalitates, patet. Nam ſicut ait *Eſſentia communicatur filio*, illam obiectiuè præſcindendo à paternitate, quę non communicatur, quamuis cum illa realiter identificata. Ita ait, *animal eſt contrahibile ad equum animal, à rationali*, quod non eſt contrahibile, obiectiuè præſcindendo, non obſtante vtriuſque identitate reali. Ergò pariformiter vtrobique procedit, ſi nihil obſtet ex parte obiecti creati vt creati.

Ad aſſignandam igitùr peculiarem repugnantiam, ſeù diſparitatem, in quo conſiſtit punctum difficultatis & in quo multi vſq; adhùc cùm Philoſophi, tùm Theologi, immo etiam ipſa Philoſophiæ, & Theologiæ ſuprema lumina, improbo labore incaſsùm deſudarunt; conabimur & nos, non fuga, vel terminis obſcuriſſimis, & imperceptibilibus, vt multi faciunt, eludere difficultatem, ſed vltimas ipſius paritatis fibras penetrantes, appoſitæ diſparitatis luce, tenebras tot ſæculi habitas inacceſſas, diſpergere in auras. Sit ergò

Tertia concluſio. *Non poteſt dari præciſio obiectiua, niſi circà tales formalitates, quæ cum identitate reali, antè omnem operationem intellectiuam, aliquam in ſe admittant, vel realem, vel ex natura rei obiectiuam plurium diſtinctionem. Quod idem aſſero de diſtinctione virtuali intrinſeca.* Probatur prima pars primò, quià præciſio obiectiua ideò dicitur talis, quià præſcindit obiectum; ideſt intentionalitèr ſeparat vnum illius prædicatum ab alio. Eſt autèm impoſſibile, quòd ſeparetur inſeparabile, & præſcindatur impræſcindibile. Ergo priuſquam fiat huiuſmodi intentionalis ſeparatio, afficiens intrinſecè ipſum obiectum, & non merè extrinſecè, vt facit præciſio formalis; debet obiectum intrinſecè eſse in plura ſeparabile, & præſcindibile. Sed niſi habeat in ſe realem aliquam intrinſecam prædicatorum pluralitatem, antecedentèr ad ipſam actualem ſeparationem, eſſet omninò inſeparabile, & impræſcindibile. Ergo ad hoc vt fiat præciſio obiectiua, debet præſupponi in obiecto pluralitas intrinſeca prædicatorum ſeparabilium, ſeù ſaltèm præſcindibilium. Maior primi argumenti patet ex ijs, quæ diximus in diſput.1. de Vniuerſal. art.7. & ex ipſa definitione præciſionis obiectiuæ: Minor probatur, quià ſicut non poteſt dari combuſtio, niſi priùs detur combuſtibile, neque viſio, niſi priùs detur viſibile;Ità neque poteſt dari præciſio ex parte obiecti, niſi priùs ipſum obiectum ſit præſcindibile; alioquin ſi poſſet dari præciſio ſine præſcindibili, poſſet etiā dari actio ſine paſſione, & paſſio ſine potentia paſſiua,

quod

quod implicat in terminis.

Confirmatur, quia ita ſe habet hæc præciſio ad obiectum, ſicut vnio ad extrema; ſunt enim ſibi inuicèm oppoſita, ſuppoſito quòd præciſio ſit diuiſio, ut ſuprà dictum eſt: Sed unio dari non poteſt, niſi inter vnibilia, adeòque niſi ſupponat primò extremorum diſtinctionem in eo genere, in quo eſt vnio, quia nihil ſibi ipſi vnitur; & deinde, eorum aptitudinem ad hoc, vt vniantur. Ex cuius defectu vnio non poteſt dari inter contradictoria, quia non ſunt vnibilia. Ergo neque poteſt dari præciſio circà obiectum intrinſecè illud afficiens, niſi obiectum ſit in ſe intrinſecè præciſibile. Non eſt autèm intrinſecè præciſibile, niſi habeat intrinſecam prædicatorum pluralitatem; Id enim, quod eſt omninò ſimplex, in plura nullatenùs poteſt ſeparari ſeparatione obiectiua, alioquin poſſet à ſe ipſo ſeparari. Ergo ad hoc vt præſcindatur obiectiuè, debet præſupponi in ipſo obiecto multiplicitas intrinſeca prędicatorum pręſcindibilium.

Dices. Hoc argumentum valet ſolùm in ordine ad præciſionem phyſicam, ad quam ſolam prærequiritur potentia paſſiua in ipſo obiecto, non autèm in ordine ad præciſionem metaphyſicam, ſicut eſt illa, de qua loquimur, & dicitur obiectiua. Ergo nihil probat.

Nego antecedens. Vel enim nomine præciſionis metaphyſicæ intelligimus illam, quæ ſiſtat in ipſis conceptibus formalibus, & ſolùm denominatiuè cadat in obiectum denominatione extrinſeca; vel intelligimus

illam

illam præciſionem, quæ tranſeat ad ipſas formalitates obiectiuas, illas intrinſecè ſeparando vnam ab alia, ità vt per talem præciſionem verè de vna verificetur ex parte obiecti, quòd ſit terminus cognitionis præciſiuę, & de alia, quòd non ſit illius terminus? Si primum, Ergo non eſt præciſio, de qua loquimur, videlicèt obiectiua, eò quòd ſit solùm præciſio formalis, de qua non eſt quæſtio. Si ſecundum, quamuis hæc præciſio fiat per intellectum, vel ſit in ordine ad intellectum, quià tamèn dicitur obiectiua, ex eo, quòd intrinſecè afficiat ipſum obiectum, verè vnam illius formalitatem attingendo, & aliam non attingendo, ideò in hoc æquiualet præciſioni phyſicæ, quamuis verè phyſica non ſit.

Ratio eſt, quià huiuſmodi præciſio non ſiſtit in ipſis formalitatibus metaphyſicis, ſed tranſit in obiectiuas, Sicut ergò non poteſt aliquid metaphyſicè præſcindi ab alio præciſione formali, niſi verè, & phyſicè creſcat pluralitas formalitatum formalium, quibus obiectum præciſum, extrinſecè denominetur multiplex, multiplicitate conceptuum, quibus attingitur; Ità neque poterit fieri præciſio in ipſo obiecto, niſi verè, & phyſicè creſcant obiectiuæ formalitates, quorum pluralitate ipſum obiectum intrinſecè denominetur præciſum in plura, & intrinſecè multiplicatum.

Vrgebis. Hoc totum poteſt ſaluari per diſtinctionē virtualem intrinſecam. Ergo non eſt neceſſaria alia phyſica obiectiuarum multiplicitas formalitatum.

Nego conſequentiam. Ratio eſt, quia cum diſtinctio virtualis intrinſeca ſit adinuenta à Theologis ad ſaluandam præcisè obiectiuam in Deo præciſionem, idem omnino, quod diximus de hac, dicendum puto de ipſa intrinſeca virtuali diſtinctione. Probatur aſſumptum (& erit probatio ſecundę partis concluſionis allatæ). Nam hæc diſtinctio ideo dicitur virtualis intrinſeca, quià cùm ex vna parte ſit inter formalitates obiectiuas, eſt verè intrinſeca obiecto; Et ex alia cùm ſit inter tales formalitates, quæ ſint realiter idem, non poteſt eſſe diſtinctio realis, alioquin vna, eademque obiectiua formalitas diſtingueretur ab alia, cum qua eſſet realiter idem, quod repugnat. Ergo debet eſſe talis diſtinctio, quæ vel habeatur formaliter per intellectum, vel ſaltèm in ordine ad illum tantùm, hoc eſt, quòd faciat, vt intellectus perinde ſe gerat in ordine ad formalitates obiectiuas phyſicè identificatas, ac ſi verè illæ non eſſent identificatæ. Sed hoc fieri verè non poſſet, niſi verè obiectum admitteret aliquam prædicatorum pluralitatem, ratione cuius poſſit intellectus illud inadæquatè cognoſcere, inadæquatione ſe tenente ex parte ipſius obiecti, vt probauimus hùc vſque; alioquin poſſemus dicere, quamlibet rem habere diſtinctionem virtualem intrinſecam, per quam poſſet à ſe ipſa præſcindi, quod eſt ridiculum. Ergo dari non poteſt diſtinctio virtualis intrinſeca, niſi in ordine ad ea, in quibus vnà cum identitate reali, eſt inuenire aliquam etiam realem pluralitatem, ſicut diximus de præciſione obiectiua.

iectiua. Verum de hoc fuſiùs infrà in art. 4. in reſponſione ad ſecundum.

Probatur ſecundò vtraque pars à poſteriori, quià tota ratio, quarè admittatur communitèr in diuinis præciſio obiectiua, adeoque diſtinctio virtualis intrinſeca, eſt, quià eſſentia diuina ità eſt in ſe ſimplex, vt tamen admittat cum idẽtitate reali diſtinctionem aliquã realem intrinſecam, ratione videlicet fæcunditatis intrinſecæ, trium ſuppoſitorum realiter inter ſe diſtinctorum, in quibus ipſa nullatenùs multiplicata ſubſiſtit. Vt quid enim admittitur præciſio obiectiua in Deo, niſi ad ſaluandum, quòd eſſentia communicetur filio, & Paternitas cum illa realitèr identificata, non communicetur; quòd Verbum fuerit incarnatum, & Pater cum eius eſſentia realiter identificatus, non fuerit incarnatus; & alia huiuſmodi, quæ ſunt de fide? Sed omnes huiuſmodi prædicationes ſupponunt realem aliquam diſtinctionem intrinſecam in ipſo obiecto, uidelicèt in ipſa diuina eſſentia aliquorum prædicatorum, quibuſcum eſt realiter identificata, cuiuſmodi ſunt diuinæ relationes, ſeù perfectiones relatiuæ. Ergo niſi daretur in Deo pluralitas horum prædicatorum, quæ uerè inter ſeſe realitèr diſtinguantur, ſed eſſet ſolùm ſimpliciſſima eſſentia per ſe ipſam, & in ſe ipſa formaliter ſubſiſtens, nulla eſſet neceſſitas, admittendi in illo obiectiuam præciſionem. Ergo illa admitti non poteſt, niſi ut fundata in aliqua priori obiectiua pluralitate prædicatorum realium illius obiecti, quod dicitur ob-

iectiuè

iectiuè præſcindi, cum illis tamèn realitèr identificari. Ex his facilè erit conijcere quam ſuprà innuimus quæſitam diſparitatem. Prò qua ſit.

Quarta concluſio. *Poteſt admitti in Deo præciſio obiectiua, quin admittatur de facto in creatis, niſi ſupponamus, potentias animæ inter ſeſe diſtingui ex natura rei, & realiter cum ſubſtantia animæ identificari.* Probatur, quià in Deo (vt diximus) datur cum identitate reali obiectiua pluralitas prædicatorum realitèr inter ſe diſtinctorum. Sed hæc in creatis non datur, niſi admittamus vt probabilem nonnullorum Thomiſtarum opinionem de diſtinctione ſpecifica potentiarum animæ inter ſe, quamuis habeant cum illa communem aliquam phyſicam identitatem. Ergo neque poteſt dari præciſio obiectiua. Dixi *niſi ſupponamus* quia in eo caſu poſſet etiam admitti obiectiua præciſio inter eſſentiam animæ rationalis, eiuſque potentias. Poſſet enim e. g. ità cognoſci intellectus, vt nullo modo obiectiuè cognoſceretur eſſentia animæ cum illo realitèr identificata, quatenùs videlicèt hæc diceret potentiam volitiuam, ex natura rei, vel realiter ab intellectu diſtinctam. Quòd quià videtur duriuſculum, ideò ex hoc ipſe capite validè impugnatur vt falſa huiuſmodi opinio. Qua reiecta, vniuerſaliter aſſero, numquàm poſſe dari in creatis de facto exiſtentibus obiectiuàm præciſionem, quià videlicèt in illis non contingit, neque poteſt contingere in hoc ordine rerum, phyſica, & realis identitas alicuius entitatis ſimplicis cum reali multorum ad inuicèm obiectiua di-

ſtin-

ſtinctione. An autem poſſit contingere abſolutè loquendo, eſt alia quæſtio, prò quà inclino ad partem affirmatiuam propter rationes allatas in prima, & ſecunda cōcluſione. Et ideo numquā aſſerui, præciſionē obiectiuam in creatis eſſe ſimpliciter impoſſibilem, ſed illā ſolùm de facto admittendam non eſſe. Verū quia potiſſima difficultas verſatur circa ipſam virtualem diſtinctionem intrinſecam, quare ſcilicet illa in creatis admitti non poſſit, poſito quòd neceſſariò admittatur in diuinis? Ideo ſit.

Quinta concluſio. *Poteſt in Deo admitti diſtinctio virtualis intrinſeca, quin admittatur in creatis de facto exiſtentibus.*

Probatur ex dictis, quia diſtinctio virtualis intrinſeca eſt diſtinctio in ipſo obiecto. Sed eſt impoſſibile, quòd obiectum admittat intrinſecam formalitatum diſtinctionem, ſeu formalitates obiectiuè diſtinctas, niſi habere phyſicam illarum intrinſecam multiplicitatem. Ergo eſt impoſſibile, quòd admittatur diſtinctio virtualis intrinſeca, vbi ſimul cum identitate reali, non datur in ipſo obiecto aliquā intrinſeca multiplicitas prædicatorum. Atquì hæc intrinſeca multiplicitas cum eiuſdem ſimplicitate, de facto non datur, niſi in Deo, in quo ſolo eſſentia in ſe ſimpliciſſima ſubſiſtit in tribus ſuppoſitis ſecum ita realiter identificatis, vt tamen inter ſeſe realiter diſtinguantur. Ergo in ſolo Deo eſt admittenda diſtinctio uirtualis intrinſeca. Quòd autem in Deo eſſentia ſubſiſtat tribus ſuppoſitis, hoc habemus ex fide, &

non probamus. Sicut neque probamus, nullum ens creatum defacto aliquam admittere cum identitate reali realem pluralitatem, ſed ſupponimus ex omnium conceſſione, ipſaque experientia, inductione facta per omnia, quorum nobis notitia uſque adhuc affuſſit. Nam ſi hoc reuocaretur in controuerſiam, & cenſeretur probabile; dari de facto in aliqua creatura huiuſmodi identitatem cum phyſica pluralitate; aliter quoque philoſophandum putarem; ut diximus in limitatione quartæ concluſionis.

ARTICVLVS QVARTVS.

Soluuntur Argumenta contrà diſparitatem allatam ad probandam præciſionem obiectiuam in Diuinis, illamque vt improbabilem reijciendam in creatis.

Contrà ea, quæ diximus, multa poſſunt obijci, ſi quis uellet in unum coaceruare, quæ communiter à Recentioribus congeruntur; contrà negantes præciſionem obiectiuam. Nos de more, uulgaribus prætermiſſis obiectionibus, ijs tantùm reſponſionem hic afferemus, quæ neque ſunt ita omnibus obuia, & aliqua ex parte uidentur labefactare doctrinam, quam tradidimus

dimus in art. 3. Primum igitur argumentum eſt hoc contrà quartam concluſionem. Totum in ſententia probabili, eſt aliqua tertia entitas partibus ſuperaddita, ità in ſe ſimplex, ut tamen admittat partium multiplicitatem. Ergo poteſt ab illis obiectiuè præſcindi.

Secundum eſt. Ad ſaluandam præciſionem obiectiuam ſufficit in ipſo obiecto diſtinctio uirtualis intrinſeca. Sed hæc datur per ipſum intellectum, ſeù in ordine ad intellectum. Ergo nullam ſupponit obiectiuam pluralitatem, antecedenter ad omnem operationem intellectiuam.

Tertium. Si admittatur hæc doctrina myſterium Trinitatis eſſet aliquid repugnans, eò quòd falſificaret illud principium, *quæ ſunt eadem in vno tertio, &c.* Sed hoc eſt abſurdum. Ergo &c.

Quartum. Non implicat præciſio obiectiua de ſuo conceptu formali, vt dictum eſt concl. 1. art. 3. Ergo non poteſt inuoluere implicantiam in creatis ut inibi conceditur, adeoque poteſt in illis admitti etiam de facto.

Quintum eſt. Quando à longè uidetur Petrus ex.g., cognoſcitur, eſſe animal ex motu progreſſiuo, non tamen cognoſcitur eſſe hominem, eo quòd non præbeat ſignum rationalitatis. Ergo cognoſcitur eius animalitas, non autem rationalitas, de qua nulla poteſt reddi ratio; adeoque præſcinditur obiectiuè.

Sexto. Voluntas poteſt præſcindere obiectiuè, eo quod poſſit ex. g. amare medicinam ut bonam, non

autem

autem vt amaram. Ergo etiam intellectus.

Septimum poſſunt in Deo obiectiuè præſcindi perfectiones abſolutæ, in quibus nulla ineſt virtualis diſtinctio. Ergo etiam poſſunt obiectiuè præſcindi formalitates creatæ. Probatur antecedens; nam poteſt Deus cognoſci vt omnipotens, non autem vt ſapiens. Ergo poteſt cognoſci eius omnipotentia, non cognita ſapientia.

Octauum. Dum cognoſco ens *vt ſic*, cognoſco aliquam rationem identificatam cum omni re poſſibili, non tamen proinde cognoſco quid Petrus cogitet, quid Deus decernat &c. Ergo cùm hæc ſint identificata cum ratione entis, quam cognoſco, obiectiuè præſcindo.

Nonum. Non admiſſa præciſione obiectiua, tollitur diſtinctio inter conceptus vnitatis, identitatis, & entis; omnibus enim correſponderet idem obiectum. Sed hoc eſt falſum. Ergo datur præciſio obiectiua.

Ad primum nego conſequentiam. Cùm enim huiuſmodi totalitas, vt partibus phyſicè ſuperaddita, realitèr ab illis omnibus, & ſingulis diſtinguatur, in ſententia illam admittēte, eſt extra omnem iactum obiectiuæ præciſionis, de qua loquimur, quæ ſolùm conſideratur in ordine ad id, quod cum prædicatorum pluralitate admittit etiam eorum phyſicam identitatem cum obiecto præciſo, vt contingit in diuina eſſentia, quæ phyſicè eſt identificata cum omnibus, & ſingulis perſonis diuinis, quamuis hæ inter ſe phyſicè diſtinguantur.

Ad ſecundum nego minorem, cuius rationem affe-

ram in metaphyſica. In præſentia ſufficiet hoc vnum argumentum ad probandum, diſtinctionem virtualem intrinſecam neceſſariò importare obiectiuam aliquam phyſicam pluralitatem. Vel hæc diſtinctio virtualis intrinſeca datur formalitèr per operationem ipſius intellectus, vel non? Si primum. Ergo eſt diſtinctio rationis,& præciſio ſolùm formalis illa,quæ ad hanc conſequitur,adeòque, intellectu non operante,non datur in Deo, quod eſt ſi non hæreticum, ſaltèm temerarium,& erroneum. Nam antecedentèr ad omnem noſtram operationem intellectiuam datur in Deo obiectiua, & realis diſtinctio perfectionum relatiuarum. Si ſecundùm; eſt realis. Ergo à primo ad vltimum intantùm datur in Deo præciſio obiectiua, in quantùm datur aliqua diſtinctio realis. Nequè obſtat,quòd hæc diſtinctio ſit in ordine ad intellectum; nàm vel hoc facit,quòd diſtinctio virtualis intrinſeca ſit in obiecto, vel ſiſtat in ipſis formalitatibus metaphyſicis? Quicquid dicatur, ſemper redit idem argumentum. Ergo &c.

Ad tertium nego antecedens. Nam illud principiū debet intelligi de identitate non ſolùm reali, ſed etiam virtuali intrinſeca, vt intulimus ex prima concluſione art.3. Quarè cùm diuinæ perſonæ ſint ſolùm identificatæ cum eſſentia identitate reali, non autèm virtuali intrinſeca,mirum non eſt, ſi non ſint idem inter ſe.

Quòd ſi vrgeas. Debent eſſe idem inter ſe in eo ordine, in quo ſunt idem cum tertio. Sed ſunt idem cum eſſentia realitèr, Ergo debent eſſe realitèr idem inter

ſe.

ſe. Nego maiorem. Cuius rationem ſuppono ex fide, & Theologia, videlicèt in huiuſmodi ſanctiſſimo myſterio dari vnitatem eſſentiæ cum Trinitate perſonarum; & hoc ſcio, non ex claritate obiecti in ſeſe obſcuriſſimi, ſed ex diuina reuelatione expoſita per propoſitionem Romanæ Eccleſiæ, quam vt omnium magiſtram, & fidei petram veneror, & colo. Quarè meum non eſt probare, vt dixi in probatione quintę concluſionis, vel Trinitatem perſonarum in Deo, vel earum diſtinctionem, ſeù identitatem cum eadem eſſentia, cum qua omnes faciunt vnum tantùm Deum, ſed ſolùm ſuppoſitis ijs, quæ docet fides, congruentèr, quantùm poſſum, philoſophari, non ad intelligendum myſterium, quod eſt ineffabile, ſed ad ſaluandam diſparitatem, quarè in illo contingat præciſio obiectiua, quæ in creatis non contingit. Quarè ego ſuppono ex Theologia, in diuinis diſtinctionem realem mutuam, ſeù ex natura rei diuinarum perſonarum, & diſtinctionem virtualem intrinſecam inter illas, & eſſentiam, & ſolùm probo, illam non dari in creatis, vndecumque proueniat, quòd Deus ità ſit vnus, ut ſit etiam Trinus, qui ideò dicitur *Adonai*, quià eſt ineffabilis, & nullis rationibus phyſicis comprehendibilis.

Ex dictis patet, quarè argumentum illud, quo ſolet uulgò impugnari præciſio obiectiua, uim habeat maximam in creatis, & nullam in diuinis, uidelicèt *quòd illa admiſſa, idem realitèr cognoſceretur, & non cognoſceretur*. Nàm *cognoſci*, & *non cognoſci* non ſunt formalitèr

contradictoria, niſi ſint de eodem omninò, ut diximus in illatione primæ concluſionis. Non ſunt autèm de eodem omninò, niſi id, quod cognoſcitur, habeat cum eo, quod non cognoſcitur, omnimodam identitatem; nempè præter realem, etiam uirtualem intrinſecam. Formalitates creatæ, ſaltem de facto exiſtentes, quià non poſſunt uirtualiter intrinſece inter ſeſe diſtingui, ut dictum eſt, eò ipſo quòd habeant inter ſe identitatem realem, habent omnimodam identitatem; formalitates uerò diuinæ propter uirtualem diſtinctionem, non obſtante identitate reali, poſſunt adhùc obiectiuè diſtingui, adeòque non ſunt omninò idem.

Ad quartum diſtinguo primum conſequens. Præciſio obiectiua non poteſt inuoluere implicãtiam in creatis, quà præciſio obiectiua eſt, concedo; Ex alio capite, quatenùs videlicèt eſt in creatis, nego conſequentiam, ſi loquamur de ijs, quę ſunt de facto. Cùm enim ad præciſionem obiectiuam requiratur ex parte obiecti identitas fundata in aliqua pluralitate, & hæc in creatis non detur, ſi admitteretur in illis præciſio obiectiua, verificaretur vtraque pars contradictionis, nempe, quòd in illis detur huiuſmodi pluralitas cum eorumdē vnitate, & non detur. Quare nego ſecundam partem conſequentis. Non valet igitur conſequentia: *Præciſio obiectiua non implicat; creatum nō implicat. Ergo neq; implicat præciſio obiectiua in creatis*; Eo quòd fiat tranſitus à ſenſu diuiſo ad compoſitum, quod diximus in Organo repugnare bonæ illationi. Alioquin ualeret etiam

hæc

hæc: *omnipotens non implicat; homo non implicat. Ergo non implicat homo omnipotens*, quod eſt falſum.

Dices. Ergo implicat præciſio obiectiua in creatis, ſaltèm quatenùs eſt in creatis. Sed hoc repugnat ijs, quæ ſupra ſtatuta ſunt in articulo antecedenti. Ergo &c. Diſtinguo conſequens. Implicat in creatis de facto exiſtentibus, concedo: in alijs poſſibilibus, nego conſequentiam. Quamuis enim nullum de facto detur ens creatum quod intrinſecè in ſe ſit unum aliquod cum pluribus realiter diſtinctis identificatum; non tamen ullam uideo ratione, quare à Deo per abſolutam ipſius potentiam poni non poſſit. Quare cum aſſeruimus, præciſionem obiectiuam eſſe poſſibilem in creatis, locuti ſumus de creabilibus, non autem de exiſtentibus.

Ad quintum diſtinguo antecedens. Nō cognoſcitur, eſſe hominem clarè, & explicitè, concedo: nullo modo cognoſcitur, nego conſequentiam. Quòd ſi vrgeas, videri contradictoria, quod idem cognoſcatur clarè, & non clarè, ſicut contingeret, ſi animal cognoſceretur in Petro clarè, & rationale obſcurè, diſtinguendum eſt illicò antecedens. Sunt contradictoria ſi ly *clarè* in utraque propoſitione ſupponat formaliter prò eodem, conceditur; Si prò diuerſo genere claritatis, negatur. Cùm enim cognitio clara ſit cognitio diſtinguens (vt diximus in Vniuerſalibus,) quando dicimus, quòd animal cognoſcatur clarè, ly *clarè* ſupponit prò cognitione diſtinguente ab omni non animali. Quando autem dicimus, quòd *rationale* non cognoſcatur clarè, ly *clarè* ſuppo-

ponit

venit prò cognitione diſtinguente non ſolùm ab omni *non animali*, ſed etiam ab omni *nòn homine*. Cùm ergo multò plura ſint hæc,quàm illa,non erit utrobique eadem cognitio propter diuerſitatem obiectorum, ſed una conceſſa per propoſitionem affirmatiuam, & alia negata per negatiuam, adeoque non ſunt contradictoria. Neque obſtat,quòd non poſſit reddi ratio de *rationali*; Hoc enim prouenit ex defectu ſecundæ claritatis, non autem ex defectu primæ, adeoque ex parte obiecti utraque formalitas eodem modo cognoſcitur. Semper ergo totum obiectum cognoſcitur,quamuis non ſemper ueſtitum eadem cognitione,ſed modò clariore, & modò obſcuriore. Vnde patet etiam reſponſio ad ſextum,ſeptimum,& octauum. Siquidem in caſibus allatis cognoſcitur quid Petrus cogitet obſcurè,& confusè, ut diximus ſupra de rationali reſpectu animalis; quod idem dico de ſapientia prę omnipotentia; de amaritie pharmaci prę bonitate eiuſdem &c.

Ad nonum diſtinguo ſequelam. Tolleretur diſtinctio horũ conceptuũ,ſi loquamur de formalibus, nego: Si de obiectiuis,concedo. Tantùm enim abeſt, ut hoc ſit abſurdum, ut àdmiſſa etiam prçciſione obiectiua, hi omnes conceptus aſſerantur reſpicere idem omninò obiectum. Quare nego minorem, & conſequentiam.

His ità ſtatutis in præſentia, probatum ſequitur, quod in prima diſputatione ſuppoſuimus, uidelicèt Vniuerſale non fieri per præciſionem obiectiuam. Cùm enim hæc non admittatur, niſi circà Deum, qui eſt eſ-

ſentialitèr unicus, non poteſt eſſe utilis ad abſtrahendam unitatem uniuerſalis, quæ ſolùm fingi poteſt in rebus, uel in ſe formaliter pluribus, uel formalitèr multiplicabilibus.

Cętere obiectiones uel recidunt in has, uel nullam trahunt conſiderabilem difficultatem, ut ſunt illę potiſſimum, quę coaceruantur à pluribus Recentioribus.

Finis Libri Secundi.

Digitized by Google

LIBER TERTIVS LOGICAE

De Interpretatione, ſeu Perhiermenias.

Authòre.

D. PETRO DE COMITIBVS ROMANO

Artium, & Sacræ Theolog. Doctore.

P*Ræcipuas huius libri diſputationes, & potiſſimas difficultates attulimus in Organo philoſophico, ideo non eſt opus ea repetere. Solùm hìc ergo examinanda ſuperſunt ea pauca, de quibus ibi non egimus, videlicet de vocum ſignificatione, earumque veritate. Dicuntur autem hi libri ab Ariſtotele* de Interpretatione,

eo quod in ijs agatur de terminis, ſeu vocibus, & propoſitionibus externis, quæ ſunt velut interpretes noſtrorum conceptuum. Et ideo hîc interpretatio eſt idem, atque vox externa, ſeu terminus vocalis. Cùm enim ſyllogiſmus, qui eſt præcipuus finis logicæ, materiam, & formam habeat, eiuſque materia proxima ſint propoſitiones, & remota ipſi termini, ex quibus conſtant propoſitiones, fuit neceſſe, vt priuſquam ageretur de forma, & effectibus ſyllogiſmi, de quibus agitur in libris priorum, & poſteriorum, ageretur hîc de terminis, & propoſitionibus. Quare duplicem inſtituemus diſputationem, alteram de vocum ſignificatione, & alteram de propoſitionum veritate. Queis etiam tertiam addere cogitaueram de futuris contingentibus. Verùm quia ſeptennium ipſum aduerſante fortuna, neceſſe habui vniuerſum philoſophicum Curſum, meque ipſum (vt ita dicam) inuertere, rationibus, quas adduximus in diſputationibus metaphyſicis. Ideo quæſtionem hanc neceſſariam, & ſubtilem, alibi legitimè approbatam, & impreſſam, ad calcem huius primi tomi transtulimus, nè doctrinæ defectu paſſim ab omnibus agitatæ, contemptibilis & meritò redderetur.

DISPV-

DISPVTATIO PRIMA:

De Vocum Significatione.

ARTICVLVS PRIMVS.

An voces ſignificent naturaliter, vel ad placitum?

TErminus vocalis, ſeu vox non accipitur hìc quatenus eſt actus vitalis, proueniens ex alliſione aeris, facta per motum labrorum, & linguæ ad arteriam aſperam, cum repercuſſione palati, quattuor dentium &c. nam hoc modo accepta, ſpectat ad libros de Anima. Neque accipitur prout ſignificat quamcumque externam ſoni prolationem factam vel ab ore brutorum, vel inarticulatè; hoc enim modo ſpectat ad metaphyſicam, vel aliam ſcientiam ſuperiorem; ſed quatenus eſt interpretatio, ſeu ſignum noſtrorum conceptuum. Vox igitur taliter accepta definitur ab Ariſtotele 1. perhier. c. 1. *Earum, quæ ſunt in anima, paſſionum nota*. Verùm quia hæc definitio non eſt ſufficiens, eo quòd includat etiam voces brutorum, quæ ſunt in illis notæ paſſionum animę; Ideo ſolet communiter hæc alia tradi, *Vox eſt ſonus prolatus ore animalis, cum imaginatione aliquid ſignificandi*. Dicitur *ſonus prolatus ore animalis*, vt diſtinguatur à ſono, qui fit ex alliſione duorum corporum inanimatorum, vt ſo-

nus cytharæ, tympani &c. Reliqua ſunt loco differentiæ, à voce brutorum, quæ non profertur cum imaginatione aliquid ſignificandi. Sed quia etiam inter ipſas voces humanas, non omnes ſunt interpretationes conceptuum internorum, quia non omnes ſunt aptæ illos ſignificare, ideo preſſiùs, & propriùs definitur, *vox articulata, per ſe ſignificatiua ad placitum, interiores paſſiones manifeſtans*. Dicitur *ſignificatiua*, quia voces non ſignificatiuæ, non ſunt interpretationes, ſicut neque inarticulatę, vt ſuſpiria, & ideo dicitur *vox articulata*. Dicitur *ſignificatiua per ſe*, quia coniunctiones, præpoſitiones, & ſinchathegoremata nō ſunt interpretationes. Dicitur *ſignificatiua ad placitum*, quia voces (vt infrà probabitur) non habent ex ſe, ſed ex hominum placito, quòd hoc, vel illud ſignificent, cùm potuerint diuerſa, vel etiam nihil ſignificare. Et poſtremò dicitur *manifeſtans paſſiones interiores*, vt excludantur voces pſittacorum, picarum, coruorum, aliorumque huiuſmodi brutorum, quæ quamuis articulatæ, & aliquando etiam ad placitum ſignificatiuæ per ſe, tamen non ſunt interpretationes, quia non ſignificant conceptus, ſeu paſſiones internas ipſius proferentis, ſicut voces humanæ. Nam *vox panis* e.g. ſi proferatur à pſittaco, ſignificat quidem panem, non tamen ſignificat conceptum vllum, quem de pane formet ipſe pſittacus proferens. Si verò proferatur ab homine, præter panem, ſignificat etiam conceptum, quem format de pane talis homo loquens. Vtrùm autem voces ſignificent priùs conceptum, & deinde rem, an vtrumque eodem modo, videbitur in articulo 3.

Ex his triplex oritur difficultas. Prima eſt, an voces

ſint

ſint ſigna naturalia, vel ad placitum? Secunda in quo conſiſtat earum ſignificatio? Tertia an ſignificent immediatè rem, vel conceptum, & quomodo? Nos hìc examinabimus primam, & alias articulis ſequentibus. Priuſquam tamen quidquam ſtatuam de hac difficultate, præmitto nonnulla ſpectantia ad rationem ſigni *vt ſic*, ex quorum notitia dependet exactio difficultatis.

Primum eſt, nomine ſigni communiter intelligi cum Auguſtino totum *id, quod præter ſpeciem ſui, quam ingerit ſenſibus, facit aliquod aliud in cognitionem venire*. Dicitur *præter ſpeciem ſui*, quia omne ſignum debet manifeſtare ſeipſum, & per ſui manifeſtationem, ducere in notitiam ſignati; Et ideo debet eſſe omnibus notum. Quare verba Gallica non ſunt ſigna reſpectu Hiſpani, cui eorum vis non innoteſcit, & viceuerſa neque verba Hiſpanica ſunt ſigna Gallo, ſed hæc Hiſpanis, & illa Gallis, quibus patet eorum ſignificatio. Dicitur *quam ingerit*, quia ſignum debet immittere ſpecies obiecti ſignati, percipientibus tale ſignum. Dicitur *ſenſibus*, non quia omnia ſigna debeant eſſe ſenſibilia, hoc enim eſt falſum, alioquin reſpectu Angelorum, qui carent ſenſibus, nullum poſſet adhiberi ſignum, & tamen eorum voces, quidquid tandem ſint, verè ſignificant vnius locutionem ad alium, adeoque ſunt ſigna. Dicendum igitur eſt, vel quòd hìc non definiatur ab Auguſtino, niſi ſignum ſenſibile; adeoque ad hoc vt talis definitio extendatur ad omne ſignum, etiam metaphyſicum, debet tolli illa particula *ſenſibus*; Vel quòd nomine ſenſuum intelligatur hìc cum communi, notitia experimentalis, ideſt cognitio, quæ acquiratur per

tale ſignum, quod certè non habet rationem ſigni, niſi cognoſcatur. Et ideo additur *facit aliquid aliud in cognitionem venire*, quia ſcilicet debet manuducere, ex cognitione ſui, ad cognitionem ſignati.

Alterum, quod præmitto, eſt ſigna alia eſſe naturalia, alia ex conſuetudine, alia ex lege, & alia ad placitum. Naturalia ſunt illa, quæ habent connexionem naturalem cum re ſignata, ſeu à priori tamquam cauſæ, vt nubes cum pluuia; ſeu à poſteriori, tamquam effectus, vt fumus cum igne; ſeu concomitanter, tamquam proprietates, vt eſt ſingultus, reſpectu doloris interni. Signa ex conſuetudine ſunt illa, quæ habent connexionem cum re ſignata, ex eo quòd paulatim inducta fuerit conſuetudo, illa non adhibendi, niſi quando datur tale obiectum, cuius ſunt ſigna, vt eſt paludamentum purpureum, ad ſignificandam regiam dignitatem. Signa ex lege (quæ coincidunt cum ſequentibus) ſunt illa, quæ aliquid ſignificant, ex eo quòd lata fuerit lex, per quam adhiberi non poſſint, niſi ad hoc, vel illud ſignificandum, vt eſt e.g. pileus croceus Romæ, ad exprimendos Hebræos, vel Zona penès Romanos veteres ad exprimendos milites, & toga nobiles &c. Signa ad placitum ſunt illa, quæ connectuntur cum re ſignata, non ex natura ſua, ſed ex hominum placito, id eſt quia ita placuit hominibus. Vt ſunt caracteres, & notæ, quæ dicuntur arbitrariæ, quæ in tantùm ſignificant, in quantùm homines ita pepigerunt; cæterùm ex ſe nullam habent connexionem cum tali obiecto.

Prima concluſio, *Omnis locutio externa, ſiue fiat per voces, ſiue per nutus, ſeu quocunque alio modo, eſt in genere ſi-*

re ſigni. Probatur, quia omnis huiuſmodi locutio, præter ſpeciem ſui, quam ingerit illam percipientibus, illos inducit in cognitionem conceptuum, ſeu locutionis mentalis. Ergo eſt ſignum illius.

Secunda concluſio, *Omne ſignum eſt argumentum indicans exiſtentiam ſignati.* Probatur ex Ariſtotele 2. prior. c.27. & Vaſquez tom.2. in 1.2. quia per ſigna pateſcit exiſtentia illius, cuius ſunt ſigna, quod cæteroqui non caderet per ſe hic & nunc immediatè ſub experiẽtiam, & hoc propter connexionem, quam habet cum ipſo ſigno. Ergo ſignum debet eſſe tale, vt non ſolùm faciat, nos venire in ſimplicem apprehenſionem, ſeu cognitionem ſui, & ſignati, ſed etiam debet facere, vt nos veniamus in iudicium, quo affirmemus exiſtentiam illius, cuius eſt ſignum; Atque adeo debet habere rationem præmiſſæ, in ordine ad iudicium, quo inferimus, tale obiectum exiſtere. Sed hoc eſt eſſe formaliter argumentum, cuius nomine intelligimus id, ex quo aliud inferimus. Ergo &c. E.g. fumus in tantùm eſt ſignum ignis, in quantùm non ſolùm excitat cognitionem ſimplicem ſui, & ignis, ſed etiam determinat intellectum, ad affirmandam exiſtentiam ipſius ignis, quo non exiſtente, neque fumus exiſteret. Quare valet argumentum, *eſt fumus, ergo ignis*, quod non valeret, ſi ille non haberet rationem præmiſſæ, reſpectu huius ſecundi.

Tertia concluſio, *Omne ſignum ad placitum, eſt rigoroſè locutio*. Probatur, quia per omne ſignum ad placitum manifeſtatur aliquis internus conceptus adhibentis tale ſignum. Nam ramus poſitus prò foribus à caupone, manifeſtat conceptum internum, quem ha-

bet caupo de vino, quod vult ibi vendere. Sed omnis manifeſtatio conceptus, eſt formaliter locutio. Ergo omne ſignum ad placitum, eſt formaliter, & rigorosè locutio. Confirmatur, quia matrimonium poteſt fieri, per ſolos nutus, abſque vlla voce, quamuis (vt definitum eſt in Florentino) debeat conſtare ex rebus, & verbis. Ergo ipſi nutus, quippe qui ad placitum ſignificant, ſunt formaliter verba, quibus ipſi contrahentes loquuntur, manifeſtando internum conſenſum, & per conſequens ſunt formaliter locutio.

Quarta concluſio. *Aliquod etiam ſignum naturale eſt rigoroſa locutio*. Probatur, quia multi probabiliter aſſerunt, Patrem æternum in diuinis loqui ad intrà per Verbum, vnde hoc ſumpſit nomen. Sed verbum independenter ab omni placito, ſeu pacto, eſt imago perfectiſſima ſcientię Patris. Ergo eſt veriſſima illius locutio. Præterea multi etiam, nec improbabiliter aſſerunt, viſionem beatificam eſſe veram, & propriam locutionem, per quam Deus loquitur cum Beatis, quāuis hæc abſque vllo pacto, ſed ratione ſui formaliter, ſit repræſentatiua conceptuum diuinorum.

Confirmatur, quia aliquando oculorum obtutus, capitis agitatio, exploſio pedum, & ſimilia ſunt formaliter locutiones, quia aliquando ſignificant aliquem conceptum internum, illa adhibentis, quamuis non illum ſignificent ex placito, ſeu ex inito pacto, ſed merè naturaliter. Ex quibus ſequitur, ad omnem veram locutionem ad alterum requiri, non ſolùm quòd loquens habeat voluntatem, ſuum conceptum alteri manifeſtandi, ſed præterea vt adhibeat ſignum aptum ad id præſtandum, loquendo de locutione humana, quidquid ſit

de an-

de angelica. Nam (vt ſupra dixi) ſi quis, adhibeat verba græcanica, dum loquitur cum Indis, non poteſt per illa vllam ſcientiam manifeſtare, quia hæc verba non ſunt ſigna apta, reſpectu Indorum.

Quinta concluſio, *Voces, quibus loquimur cum alijs, non ſunt ſigna naturalia, ſed ad placitum*. Probatur, quia ſi eſſent ſigna naturalia, haberent cum rebus naturalem connexionem, atque adeo idem apud omnes ſignificarent, ſicut gemitus, & ſuſpiria. Hoc autem eſt falſum, vt patet ex multiplicitate idiomatum, non idem apud omnes ſignificantium. Ergo non ſunt ſigna naturalia.

Dices, Si voces non ſignificarent naturaliter, non potuiſſent primò addiſci linguæ à noſtris Protoplaſtis. Conſequens eſt contrà rationem,&experientiam.Ergo ſignificant naturaliter. Nego maiorem cum D. Auguſtino putante, primum illum ſermonem, quo vſi ſunt primi noſtri parentes, fuiſſe illis inditum ab Authore naturæ, ſaltem quoad radices nominum, quibus medijs, potuerunt deinde locutionem perficere. Niſi velimus dicere, illos cum ingenti labore, per nutus inter ſeſe ruditer primùm toties conueniſſe, quoaduſque perfecerint locutionem, ſiue loquelam, vt faciunt nutrices, cum docent pueros loqui.

Vrgebis, Omnis vox habuit à natura,poſſe manifeſtare talem conceptum, & tale obiectum. Ergo ſignificat naturaliter vtrumque. Nego conſequentiam. Sicut enim quodlibet lignum habet ex ſe, & naturaliter poſſe effingi in ſimulacrum Iouis, non tamen habet ex ſe,vt effingatur de facto, quòd ſolũ habet ex libera Statuarij electione; Ita quamuis omnis vox ex ſe habeat

poſſe

poſſe ſignificare, videlicet quòd poſſit adhiberi in ſignum huius, vel illius obiecti, non tamen habet ex ſe, quòd de facto, & in actu ſecundo ad hoc ſignificandum adhibeatur, ſed ex mero eorum hominum placito, vnde prouenit huiuſmodi idiomatis inſtitutio, ſeu quaſi inſtitutio.

ARTICVLVS II.

In quo conſiſtat formaliter ſignificatio vocum? Vbi an liceat earum prolatio materialis? Et quomodo Confeſſarij poſſint abſque mendacio negare, ſe audiſſe in confeſſione peccata, quæ verè audierunt? Reijcitur ſententia cuiuſdam Recentioris.

SVppono ex legibus, omnem contractum mutuum, inducere vtrinque obligationem, ſeu titulum oneroſum, ex parte vtriuſque contrahentis, vt patet in venditionibus, & emptionibus. Quare cùm inſtitutiones linguarum factę fuerint, ex contractu, ſeu quaſi contractu, quem fecere homines inter ſeſe, non adhibendi tales voces, niſi ad hoc obiectum ſignificandum, omnes inſtitutiones linguarum

indu

Digitized by Google

induxerunt ipſis contrahentibus, ſeu inſtituentibus, & per illos etiam poſteris obligationem, illas non adhibendi, niſi quando verè datur illud obiectum, ad quod ſignificandum illas adhibent.

Prima concluſio, *Significatio vocum conſiſtit formaliter, in connexione morali earum cum veritate obiecti, reſultante ex obligatione veracitatis.* Probatur primò, quia intantùm ego, audita hac propoſitione à Paulo, *magnus Turca adijt Adrianopolim*, credo, magnum Turcam eſſe Adrianopoli, in quantùm, audita huiuſmodi Pauli propoſitione, ita mecum diſcurro, *Paulus cum ſit vir bonus, probabiliter non facit hìc & nunc, contra ſuam obligationem veracitatis. Sed niſi haberet iudicium de exiſtentia magnì Turcę Adrianopoli faceret cõtra ſuam obligationẽ. Ergo veriſimile eſt, quòd habeat tale iudicium. Sed hoc iudicium fundatur in exiſtentia ſui obiecti. Ergo cum exiſtentia, & veritas ſui obiecti, ſit exiſtentia magni Turcæ Adrianopoli, ibi eſt magnus Turca.* Sed hic diſcurſus non valeret, niſi daretur connexio moralis inter tales voces, & tale obiectum. Ergo ad hoc vt tales voces ſignificent hoc obiectum, debet verè dari huiuſmodi connexio. Sed illa ſolùm poſita, hæ voces ſignificant exiſtentiam magni Turcæ Adrianopoli, quamuis intelligantur auferri omnia alia. Ergo ſola huiuſmodi connexio eſt formaliter earum ſignificatio.

Vnde patet efficax ratio, quare ſemper mendacium ſit in omni caſu illicitum, & inexcuſabile, quia videlicet per illud, ſemper fit contrà obligationem veracitatis, ſeu fidelitatis, ſeruandi pactum initum, quod eſt contrà iuſtitiam, vel ad minimum contrà fidelitatem. Hoc autem non eſſet, ſi voces non haberent moralem

conne-

connexionem cum obiecto, reſultantem ex obligatione veracitatis, quia nihil planè ſignificarent. Ergo ideo per voces committitur mendacium, quia verè habent huiuſmodi connexionem, per quam formaliter ſunt ſignificatiuæ.

Probatur ſecundò, quia ſi aliquis ſemper mentiretur, non poſſet loqui, quia eius verba nihil ſignificarent. Non niſi quia ex frequentium multiplicitate, immò aſſiduitate mendaciorum, perinde ſe haberet apud Audientes, ac ſi numquam talem obligationem contraxiſſet, vel contractam repudiaſſet. Ergo tota ratio ſignificationis vocum, habetur per huiuſmodi obligationem. Et ideo magis credimus ei, quem cenſemus virum probum, & alienum à mentiendo, quia videlicet putamus, illum hìc & nunc non facere contra ſuam obligationem, ſicut dubitamus de viro nequam, cuius verbis numquam aſſentimur, niſi cum ingenti formidine de oppoſito. Ratio à priori eſt, quia id, quod cadit ſub experientiam, inclinat ad credendum id, cum quo coniungitur, quamuis remotum ab experientia. Ergo quò ſæpius cum illo coniungitur, eò magis ad credendum mouet, & viceuerſa. Sed in primo caſu viri probi, vocum prolatio ſemper coniungitur cum obiecto, raro autem in ſecundo mendacis; Ideo in primo caſu, inclinat ad credendum firmiſſimè, debiliter autem in ſecundo.

Hinc inſtituitur quæſtio, an detur aliquis caſus, ad quem non extendatur obligatio veracitatis, adeoque poſſint in illo ſumi verba purè materialiter, & non ſignificatiuè? Ratio dubitandi eſt, quia ex vna parte omnes concedunt, poſſe Confeſſarios indebitè à Tyrannis

rannis interrogatos, an audierint hoc, vel illud peccatum in confeſſione? poſſe, inquam, abſque vllo peccato, abſolutè negare, ſe audiſſe, quamuis verè illud audierint; Et ex alia videtur durum, non committi peccatum ab eo, qui facit contra ſuam obligationem. Et ideo multi vt ſaluent, Confeſſarium, in tali caſu, non facere, contrà ſuam obligationem, multa congerunt admodùm difficilia. Nam aliqui dicunt, poſſe tunc Confeſſarium reſpondere per æquiuocationem, vel amphibologiam; Alij per reſtrictionem mentalem, vnam videlicet partem reticendo mente, quamuis aliã vocibus proferat; Alij per obmurmurationem introrſùs, & ſecum factam, ita vt audiens clarè audire non poſſit; Alij per negationem non obiecti, ſed conceptus, circa illud tendentis, immediatè expreſſi per talem vocem; & alij alia, vt videre eſt penès Cardinalem de Lugo diſput.2. de pænit. & diſput.4. ſect.1. & ſequentibus, Vaſquez, Suarium, alioſque.

P.Sfortia Pallauicinus lib.3. qui eſt de fide cap.2.nu. 22. poſtquam reiecerit omnes dicendi modos nuper citatos, aſſerit, poſſe in tali caſu proferri verba purè materialiter, ideſt quæ nihil planè ſignificent. Ratio, quæ illum mouet, eſt hæc, quia putat, locutionem eſſe inſtitutam in bonum ipſius loquentis, & non in malum, vt videlicet poſſint quidem homines per illam aperire arcana ſui cordis, non autem quòd ad id cogi poſſint, etiam inuiti. At ſi in omni caſu, voces retinerent ſuam ſignificationem, & connexionem moralem, cum veritate obiecti, poſſet potentior cogere debiliorem, vel ad prodenda inuitum arcana ſui cordis, vel ad operandum contrà ſuam obligationem, &

pec-

peccandum. Ergo eſſet in malum ipſius. Quare ait, Confeſſarios, & Conſiliarios Principum, ſeu Secretarios, iniuſtè interrogatos, an hoc, vel illud audierint ex ijs, quæ ſub ſigillo ſecreti percæperunt, ait, inquam, poſſe ad redimendam vexationem proferre verba, non ſignificatiuè, ideſt taliter, vt ſi enuntiatiuè proferrentur, eſſent formaliter mendacium. Quam doctrinam dum ethicam explicaret, extendit etiam oretenùs, me audiente, ad omnem iniuſtam, & importunam interrogationem. Quamuis deinde illam ſcriptis primùm, mox etiam typis appoſitè coarctauerit, ad ſolos illos, qui tenentur ad ea, de quibus interrogantur, ſub ſigillo ſecreti, cuiuſmodi ſunt Confeſſarij &c. Quare aſſerebat, quòd ſi aliquis etiam per amicitiam officiosè quidem, importunè tamen interrogaret Petrum an ientauerit, nec ne? (quod erat ipſius exemplum familiare) nec poſſet Petrus veritatis occultandæ auidus, aliter ſe expedire ab huiuſmodi moleſtia, aſſerebat, inquam, licere tunc Petro, etiamſi verè ientauerit, dicere *non ientaui*. Quia dicebat, ad illum, alioſque ſimillimos caſus non extēdi obligationem veracitatis, adeoque Petrum tunc non mentiri, quia eius verba non proferuntur ſignificatiuè, ſed purè materialiter, ideſt ita, ac ſi nihil ſignificarent.

Hanc autem opinionem, quæ prima fronte viſa eſt duriuſcula, nouitatis crimine vindicare conabatur in ſcriptis, Primò auctoritate Sanchez lib 3. ſuper decalog. c.6. num.8. ex Valentia, vbi affirmat, poſſe iuramētum indebitè extortum fieri ſine peccato purè materialiter. Deinde ex Suario qui lib.3. de iuramento c.10. confirmat, poſſe iuramentum per vim extortum

pro-

proferri purè materialiter. Tertiò ex Cardinali Oſtienſi, in ſumma, titulo de pænitentijs, & remiſſionibus. num. 49. §. *dixiſti vnquam*, vbi dicitur, quòd ſi quærat aliquis, an eius hoſtis ſit domi meæ, poſſim ego *reſpondere ſimpliciter negando, abſque peccato, informata conſcientia*. Vbi aduertit, illud verbum *ſimpliciter*, quod ipſe explicat *purè materialiter*.

Verùm hæc doctrina, quamuis ingenioſa, & probabilis, mihi non probatur, Primò quia ſi ſemel aperiatur aditus dicendi, ad aliquem caſum non extendi obligationem veracitatis, ſemper poſſemus dubitare, an ad alium caſum ſimilem extendatur? Et ſic redderetur probabile, quod ipſe prius oretenus aſſerebat, videlicet ad nullum caſum iniuſtæ, importunæque interrogationis extendi, huiuſmodi obligationem veracitatis. Quo admiſſo, tolleretur omnino humanum commercium; nullus enim poſſet amplius amicis credere, ne in colloquijs quidem familiaribus, & ſinguli perſuaderent ſibi prò libitò, hic & nunc licere prolationem verborum materialem. Siquidem, ſi definitum non ſit, immo nec definiri poſſit quinam ſint illi caſus, ad quos tantùm obligatio veracitatis non extendatur, ſinguli poſſent, ſui iudices facti, falſaque animi perſuaſione decæpti mendacia paſſim futiliter eructare, abſque vllo peccato, quod vergeret in maximum incommodum, & præiudicium proborum.

Deinde quia locutio non eſt inſtituta adæquatè in bonum loquentis (vt ipſe ait) ſed ſolùm inadæquatè, cùm ſit etiam inſtituta, & multò magis in bonum audientium, totiuſque communitatis, ad mutua fouenda commercia, neceſſaria gerendis negotijs, vt videlicet

cet ſubueniatur communi hominum indigentiæ. Sin aliquem dari caſum fingamus, ad quem non extendatur obligatio veracitatis, ceſſaret hæc vtilitas Audientium, humanique commercij. Ergo nõ eſſet in bonum, ſed in malum totius communitatis.

Dices, non eſt malum communitati, quòd iniuſtus interrogator, poſt iniuſtam interrogationem, remaneat in eadem perplexitate, in qua erat antea. Ergo hæc doctrina eſſet ſolùm in bonum, & non in malum humani commercij. Reſpondeo negando antecedens. Quamuis enim ſi hoc ſolùm conſideretur, fortaſse non videatur ita apertè obeſse humano commercio; tamen quia hoc idem ſecum fert prudentem dubitationem, etiam iuſtè interroganti, nè videlicet interrogatus putans, ſe iniuſtè interrogari, reſpondeat purè materialiter; ſaltem de conſequenti, ſi non formaliter, obeſset, vt ſupra, quia multùm, nè dicam totum demeretur fidei, cæteroqui totaliter debitæ reſpondenti. Probo euidenter ſequelam. Nam quiſque inclinat ad id, quod ſibi prodeſt. Et ideo prudentiſſimè vetitum eſt in Societate Ieſu, nè quis doceat, vt probabilem opinionem de paruitate materiæ, in rebus venereis, quia cùm hęc non poſſit in externum alterius iudicium deferri, ſinguli ſui Iudices facti, cuncta mitiùs, in ſui fauorem, ſemper interpretantes, paulatim ita animum relaxarent, vt putarent, ſibi licere multos actus obſcænos, etiam prodeuntes in opus externum, falſa animi ſibi nimium indulgentis exiſtimatione decepti, illos verſari circa paruam materiam, adeoque læthali culpa carere. Quod prudens decretum, multæ quoque aliæ religioſæ familiæ deinde ſunt amplexatæ, tamquam maximè congruum

gruum veritati, & rationi. Hoc poſito, cùm omnibus proſit, quòd ſibi liceat effugere vim importunæ cuiuſuis, etiam leuiſſimæ, & moleſtę interrogationis, quicumque nollet ad interrogata debitè reſpondere, ſinguli eò inclinarent, vt crederent, ſe hìc & nunc importunè interrogari, adeoque reſponderent purè materialiter. Et ſic ſi creditor petat à debitore, an ſit ſoluendo? poſſet ſibi perſuadere debitor, hìc & nunc importunè interrogari. Quod idem dico de vendentibus, interrogatis ab emptore quanti valeat hæc, vel illa merx? De filijs à parentibus interrogatis an hoc, vel illud fecerint? De Diſcipulis, in ordine ad præceptores, & ſic de omnibus alijs, cuius abſurdum ſequelæ, nemo eſt, qui non videat.

Neque dicas, hìc non eſſe paritatem; eo quòd proditio talium arcanorum, non ſit tanti facienda, quanti proditio confeſſionis, vel ſecretorum Principum. Nam ſi locutio numquam debeat redigere loquentem ad tales anguſtias; vt vel teneatur prodere ſuum animum, vel mentiendo peccare, vtique cùm omnes hi redigerentur ad tales anguſtias, per interrogationes creditorum, ementium, præceptorum, immo & Superiorum; omnes, inquam, poſſent ſe expedire confugiendo ad prolationem materialem.

Tertiò contra eſt, quia ſi eſſent licitæ huiuſmodi materiales prolationes, tot viri doctiſſimi non confugiſſent ad reſtrictiones mentales, aliaque id genus remedia, cæteroqui non parùm violenta, cùm facillimum fuerit hoc & præuidere, & præuiſum doceri. Ergo ideo non confugerunt ad hoc, quia illud probabile non putarunt.

Quartò; quia ſi Confeſſarius non poſſit ſilendo euadere vim interrogantis, & retinere ſecretum confeſſionis, eo quòd interrogans (vt ait Pallauicinus) ex illius ſilentio apertè conijceret, illum ideo tacere, quia ex vna parte audiuit illud crimen in confeſſione, & ex alia neque vult illud verbis reuelare, neque eſt in ea exiſtimatione hic & nunc, vt liceat ſibi quomodocumque proferre verba negantia; Si, inquam, in tali caſu ſilentium magis, quàm verba ſignificarent, vtique Confeſſarius teneretur ſub mortali poſitiuè negare, ſe audiſſe, quod verè audiuit, nec poſſet ſilendo læthalem culpam effugere. Sed hoc eſt contrà rationem, auctoritatem, & praxim ferè omnium Doctorum, vt videre eſt penès Lugo diſp. 4. de fide, ſect. 1. Ergo falſum eſt quod adſtruitur. Probatur maior, quia Confeſſarius tenetur ſub mortali non reuelare confeſſionem. Sed in tali caſu ſilendo reuelaret. Ergo teneretur non ſilere. Adeoque cum verè audijt peccatum Petri, non ſolùm poteſt, ſed debet dicere, ſe non audiſſe, & negando, non ſolùm non mentiretur, ſed faceret actum virtutis, immò & iuſtitiæ, & per conſequens mereretur. Hoc autem, & videtur impercæptibile, & ſi concedatur, damnat vt iniuſtos, proditores, & fædifragos tot viros ſanctiſſimos, qui vt ſeruarent illæſum ſigillum confeſſionis, maluerunt ſilendo mori, quàm poſitiuè negando, refellere interrogantem. Ergo falſa eſt hæc doctrina.

Quintò contra eſt, quia hinc redderetur probabilis opinio eorum hæreticorum, qui dicebant, poſſe oretenùs negari fidem Chriſti Domini, ad redimendam tyrànnorum vexationem, & interiùs corde ſanctiſſimè retine-

retineri. Nam tunc poſſent verba, proferri materialiter. Quis enim eſt, qui non videat, quàm iniuſtè, quàm iniuriosè, quàm tyrannicè ea potiſſimùm tempeſtate Chriſtiani interrogarentur, an Chriſtum colerent, quando Romanorum Cæſarum ſæuiente tyrannide, capitale erat Chriſtum profiteri?

Quòd ſi dicas, nos teneri ad opperiendam mortem, nè videamur Chriſto vel ore deficere, in ſcandalū aliorum, quem diligere debemus ſopra nos ipſos. Si, inquam, hoc dicas; Idem proportionaliter puto dicendum de confeſſario, reſpectu pænitentis, deque conſiliario reſpectu Principis, qui potius mori debeant, ſi aliter nequeant ſecreta ſeruare, quàm illa prodere. Reſpondeant igitur vtrique non affirmatiuè, vel negatiuè, *audiui, non audiui*, ſed præciſiuè, ſe de hoc quidquam loqui non poſſe. Neque enim illos pudere debet, ſpecimen præbere conſtantiſſimæ fidelitatis. Imitentur Venetos Senatores, qui ſicut prudentiſſimè, & ſapientiſſimè cuncta moderantur, ita cunctis præbent præclariſſima exempla, quorum aſpectu erubeſcant ſimul tam pocliues ad reſpondendum, & inflammentur ad imitandum. Si fortè Senatorum quiſpiam Venetus interrogetur, an hoc, vel illud audierit in Senatu? An hoc, vel illud fuerit agitatum? Vtique non confugiunt ad prolationem iſtam materialem, dicendo, ſe non audiſſe, quod verè audierint, ſed prudentia ab omnibus imitanda, ſtatim vultu ad ſeueritatem compoſito; demiſſo, indignantis more, ſupercilio, vſque adeo ſuccenſent importuno interrogatori, ac ſi ex huiuſmodi interrogatione ſuam fidem tentatura, iniuriam acceperint, vt ille ex minaci interrogati ſilentio

aliud non conijciat, quàm ſuam interrogandi temeritatem, & in poſterùm ab iniuſtè interrogando deterreatur. Et verè ſi res ſubtiliter examinetur, iniuria fit Confeſſario, illum interrogando, an hoc, vel illud audierit in confeſſione? Perinde quaſi tantula habeatur exiſtimatio de eius fidelitate, & conſtantia, vt ſperetur facilè ex illo victoria, aliquo qualiſcunque interrogationis experimeuto. Sicut ergo iniuriæ ſibi vertunt, & meritò Veneti Senatores, ijs de rebus interrogari, quæ ſub ſecreto præceperunt, & interrogantem vt inimicum, non verborum dignum reſponſione, ſed verberum arbitrantur. Ita & faciant Confeſſarij, Conſilarij, alijque huiuſmodi viri, quibus adſtruitur licita materialis vocum prolatio.

Neque obſtat Primò, quòd ſilentium eſſet affirmatione loquacius. Nam hoc eſt falſum, ſi fiat, vt nuper dictum eſt, indignabundè. Silentium ſiquidem vnicam patefaceret confeſſarij indignationem, iuſtè excitatam ex eo, quòd interrogans ſpecimen præbuerit, ſe peſſimè ſenſiſſe de eius fidelitate. Deinde ſicut cum verè non audijt peccatum Petri, poteſt illud ſilere, ita poteſt illud ſilendo non patefacere, cum verè audijt. Quare ſemper interrogans remanet cum eadem ambiguitate.

Non obſtat ſecundò, quòd poſſit interrogari à Tyranno, cui impunè ſuccenſeri non poſſit. Nam ſicut Confeſſarius, etiam ob metum cadentem in conſtantem virum, capite plecteretur in pænam, ſi proditionis crimine conuictus, ſiſteretur vt reus prò tribunali; Ita debet virtutis amore, vel cum vitæ diſcrimine, ad ſeruandam fidelitatem, enixè, quantùm poteſt ſilendo obſiſtere;

ſiſtere, nè cuipiam ſacroſancta ſignacula patefaciat. Præterquamquòd poſſet euadere huiuſmodi periculum æquiuoce, vel amphibologicè loquendo, quod eſſe licitum patet ex eo, quòd fuerit à tot viris doctrina non minùs, quàm ſanctitate conſpicuis factitatum, vt paſſim legitur in hiſtorijs, neque ab ipſo negatur Pallauicino, ſaltem in praxi.

Sextò contra eſt, quia ſi eſſet licita prolatio materialis verborum, eſſet etiam licita ſcriptura materialiter facta, qua videlicet per verba exteriùs negantia, & quæ cæteroqui ſi adhiberentur ſignificatiuè, inuoluerent mendacium, redimat ſe quis ab iniuſta interrogatione, nè inuitè cogatur ſui cordis arcana patefacere, vel peccare. Sed hoc communiter negatur. Ergo & illud. Probo ſequelam maioris, quia ſcriptura perinde eſt locutio, atque vocum prolatio, vt dictum eſt, & ſupponitur ab ipſo Aduerſario. Sicut ergo poteſt fieri materialis locutio per voces, quæ ſunt vnum ex illis ſignis, quibus poſſumus conceptus internos manifeſtare, ita poterit fieri per ſcripturam, quæ eſt aliud ſignum locutionis mentalis; & per ipſos nutus, propter eamdem rationem. His ita ſtatutis, ſit.

Secunda Concluſio, *Obligatio veracitatis extenditur ad omnem caſum, adeoque voces numquam poſſunt proferri purè materialiter*. Probatur primò, quia ſi aliquis eſſet caſus, ad quem non extenderetur obligatio veracitatis, vel hoc omnibus pateret, vel non? Si primum. Ergo nulla perciperetur vtilitas ex tali non extenſione. Probatur ſequela. Si interrogans ſciat, poſſe interrogatum, in tali caſu, proferre verba purè materialiter, curabit, vt ille huiuſmodi facultate repudiata, forma-

liter proferat. Hoc autem poſſet conſequi, illum antecedenter ad omnem interrogationem adigendo, vt iureiurando ſe obſtringat, ſe reſponſurum formaliter ad quælibet interrogata, & ſe omnem oppoſitam facultatem ſponte reijcere. Quod ſi fecerit, non poterit deinde verba proferre materialiter, eo quòd, ſaltem huiuſmodi materialis prolatio, eſſet contra hoc ſecundum pactum, peculiariter initum cum interrogante, & contra obligationem de nouo contractam ex promiſſione, & iureiurando. Si ſecundum. Ergo in tali caſu interrogans non remaneret ambiguus ex tali negatione,ſed formaliter deciperetur. Poſito enim quòd neſciret,ad hunc caſum non extendi obligationem,adhibendi verba ſignificatiuè, putaret, illa proferri ſignificatiuè, atque adeo formaliter deciperetur, quod fieri nequiret abſque culpa reſpondentis, in huiuſmodi circumſtantijs, in quibus non poſſent eius verba accipi in alio ſenſu, quod profectò trahit ſecum mendacium inexcuſabile.

Dices, deciperetur ex ſua ignorantia, non autem ex culpa reſpondentis. Ergo ſibi imputet, & non alteri. Diſtinguo antecedens. Deciperetur ex ſua ignorantia, inuincibiliter habita, concedo: Vincibiliter habita, nego antecedens, & cum illo conſequentiam. Poſito enim quòd huiuſmodi permiſſio, omnibus non pateat, non poterit interrogans de illa ſuſpicari, & per conſequens ex tali reſponſione non remaneret anceps, an verè audierit,nec ne,ſed determinaretur ad credendum, illum certò non audiſſe, quod verè audiuit. Et certè quomodo poteſt omnibus innoteſcere doctrina iſthæc omnium nouiſſima, cuius nulla planè mentio eſt

apud

apud Veteres, qui omnes conſtantiſſimè ſemper aſſeruerunt, Confeſſarium peccaturum in caſu allato, niſi confugiat ad æquiuocationem, ſeu amphibologiam, quod confugium vt neceſſarium non duxiſsent, niſi ſuppoſuiſsent, verba ſemper accipi, in omni caſu enuntiatiuè?

Probatur ſecundò, quia ſi ad aliquem caſum non extenderetur, poſſet in illo abſque vllo mendacio affirmari, vel negari idem obiectum, adeoque poſſet neutra ex duabus contradictionis partibus falſificari, videlicet *vidi Petrum*, *non vidi Petrum*. Sed hoc eſt impoſſibile. Ergo nullus eſt caſus, ad quem non extendatur obligatio veracitatis. Probatur maior, quia ſi fingamus, in caſu importunæ interrogationis, non teneri Confeſſarium ad reſpondendum enuntiatiuè, & formaliter, poterit ergo, vexationem redimere alterutra contradictionis parte, prout ſibi, hìc & nunc cenſuerit expedire. Sicut enim quamuis verè audierit peccatum Petri, dicendo *non audiui*, hæc verba non faciunt illum mendacem, propter carentiam ſignificationis; Ita cum verè audijt, dicendo *audiui*, hęc verba non facerent illum infidelem, & proditorem, immo cum verè non audijt, non facerent illum mendacem. Probo conſequētiam, nam in tali caſu, ipſius verba nihil ſignificant, ergo quidquid loquatur, perinde ſe habet, ac ſi dormiret, & nihil diceret; adeoque neque affirmando id, quod non eſt, mentiretur, neque affirmando id, quod eſt, ſecretum pateſaceret.

Et ideo nunquam mihi placuit, Confeſsàrios, poſt obitum Pœnitentis, ſe illius facere integritatis buccinatores, iuratos teſtantes, ſe nunquam audiſse à tali

viro læthale crimen, illum ſemper intactum ſeruaſſe virginitatis lilium, & alia huiuſmodi à multis factitata. Hoc, inquam, mihi non placuit, quia quamuis hoc videatur redundare in laudem illius defuncti, & in aliorum exemplum, tamen vergit in damnum eorum omnium, de quibus huiuſmodi non fiunt teſtificationes, ex quarum negatione bene poteſt argui vel impudicitia, vel prauitas illorum, quorum ille idem Confeſsarius audiuit confeſſiones. Quiſque enim poteſt conijcere, ideo de hoc, vel illo teſtificationem non fieri sãctitatis, quia nulla eſt ſanctitas, ſicut erat in eo, de quo illam Confeſsarius teſtificatur.

Ad auctoritates Sanchez; & Suarij ſupra relatas prò materiali vocum prolatione, Reſpondeo, illos fuiſse locutos de iuramento per vim extorto, in talibus circumſtantijs, in quibus appareat, illud referri quaſi recitatiuè, & hiſtoricè, non autem proferri enunciatiuè. Et ideo ait Sanchez in loco citato: *Si autem interiore animo, nolit illa verba referre ad materiam falſam, nec poterit ob aliquas circumſtantias rationabiliter probari, id velle, vſurpet ea verba tantùm materialiter*. Ac ſi diceret: Si quis cogatur inuitus in falſitate, ad dicendũ determinatè, *iuro per Deũ*, poteſt euadere vim, repetẽdo hæc verba non quaſi à ſe prolata formaliter, ad aliquod enuntiãdum, ſed quaſi hiſtoricè renarrando, quæ ab alio audiuit. Eo modo, quo faciunt Theologi, qui referentes errores Lutheri, aliorumque hęreticorum, vt illos confutent, non proinde errant, quia talia verba non proferunt animo, aliquid per illa, tamquam ſuum enuntiandi, & ex modo, quo ea proferunt, alijſque circumſtantijs apparet, eos per illa nihil aliud intendere,

quàm

quam referre dictum alterius vt confutetur. Aliter ſe ſe res habet in caſu noſtro, in quo cogitur Confeſsarius, non ad vnam partem determinatè, ſed ad alterutram disiunctiuè, ad affirmandum ſcilicet, vel negandum, quod expleri minimè poteſt, niſi enuntiatiuè.

Tunc igitur eſset paritas, quando tyrannus cogeret Confeſsarium, ad dicendum determinatè, *ego audiui*. Nam in tali caſu poſset illa verba referre hiſtoricè, & recitatiuè; Non autem quando cogitur ad loquendum, vt manifeſtet an audierit, nec ne hoc, vel illud? Præterquamquod cùm hi Auctores ſint recentiſſimi, quãuis inter prima theologiæ lumina meritò enumerentur, adhùc eorum auctoritas, opinionem huiuſmodi, nouitatis vitio in theologicis maximo, laborantem, opportunè non eximit.

Ad Cardinalem Oſtienſem, in loco citato Reſpondeo, illum fuiſse locutum de informatione conſcientiæ facta per æquiuocationem, vel amphibologiam, vt ipſe explicat, ſubdendo. *Vel dicam ſimpliciter informata conſcientia, non eſt hìc, ideſt in loco, vbi teneò pedes meos.* In quo etiam ſenſu debent intelligi verba ſubſequentia, his omnino ſimillima, videlicet *vel etiam ſi ſimpliciter negem, non peccabo, informata conſcientia.* Cùm enim ſemel in eodem contextu ſatis ſe, ſuperque explicuerit, quid intenderet per hæc verba, non eſt cur mox ad alium ſenſum violenter illa detorqueantur.

ARTI-

ARTICVLVS TERTIVS.

An voces ſignificent res immediatè, an verò ſolùm medijs conceptibus?

ADuertendum eſt, aliud eſse ſignificationẽ vocũ, & aliud obiectum per voces ſignificatũ; nam ſignificatio ſe habet *vt quo*, & eſt id, ratione cuius hęc vox connectitur cũ tali re, & habet rationem ſigni reſpectu illius. Obiectũ autem ſe habet *vt quod*, & eſt illud, cum quo connectitur talis vox, adeoque terminat talem connexionem moralem, quia eſt id, quod per tale ſignum ſignificatur. Quare vox vt ſignificans, eſt concretum dicens ipſam ſignificationem vt formã, rem ſignificatam vt terminum, ſubiectum autem eſt ipſa vox. Poſtquam ergo ſtatuimus, ſignificationem formalem vocum, eſse relationem, reſultantem ex obligatione veracitatis, quæ relatio nihil eſt aliud, quàm connexio moralis cum tali obiecto, videndum eſt, quidnam ſit id, quod ſignificatur per voces, tam mediatè, quàm immediate?

Prima concluſio. *Voces ſignificant non ſolum res, verùm etiam noſtros conceptus circà illas tendentes*. Probatur, quia voces ſunt inſtitutæ ad hoc, vt poſſimus per illas alteri ſcientiam, quam habemus de rebus, communicare. Ergo non ſolùm ſignificant ipſas res, quas cognoſcimus, ſed & principaliter etiam noſtram ſcientiam,

tiam, ideſt noſtros conceptus, quos de rebus formamus. Confirmatur, quia multæ ſunt voces non ſynonimæ, vt *Deus*, *omnipotens*, &c. tendentes circa idem obiectum. Sed hæ non poſſunt diuerſificari ratione obiecti, quod eſt vnum, & idem. Ergo debent diuerſificari ratione conceptuum, ſub quibus obiectum ſignificant.

Secunda conclusio. *Voces ſignificant immediatè conceptus, iiſque mediantibus, res.* Antequam probem concluſionem, ſuppono, me hìc non agere de eo conceptu, quem quilibet loquens, non ſolùm habet de ſe loquente, ſed etiam de ipſa voce materialiter, quàm adhibet vt inſtrumentum, ſeu medium ad loquendum. Quia hic conceptus, ſiue ſit vnus, ſiue ſaltem virtualiter duplex, naturaliter ſignificatur à voce. Nam quiſque audiens Petrum loquentem, præſcindendo à quolibet pacto, & obligatione, venit in cognitionem illius conceptus, qui eſt illi neceſſarius ad hoc, vt voluntas imperet ori talem locutionem, quæ non datur ſine imperio voluntatis. Et præterea cùm nihil ſit volitum, quin præcognitum, venit etiam in cognitionem illius conceptus, ſub quo intellectus repræſentauit voluntati talem vocem materialiter. Quod ita eſt verum, vt quocumque idiomate quis loquatur, ſemper faciat, vt audiens veniat in cognitionem vtriuſque conceptus, licet ille nihil planè percipiat de tali idiomate. Loquor ergo ſolùm de eo conceptu, quem (vt vidimus) ex hominum placito formamus, per vocum auditioné, de tali obiecto, & quem priùs ipſum loquentem formare neceſſe eſt, nè ineptè loquatur. Hoc poſito,

Probatur primò concluſio, quia finis proximus, & imme-

immediatus locutionis eſt manifeſtatio ſcientiæ, & conceptuum, quos habemus in mente; Et ideo (vt ſupra dicebamus) credimus, vel non credimus obiectum affirmatum, prout credimus, vel non credimus auctoritati loquentis. Ergo in tantùm venimus in rerum cognitionem, in quantùm priùs venimus in cognitionem conceptuum, quos de illis formauit loquens. Ergo id, quod immediatè per voces ſignificatur, eſt conceptus loquentis.

Probatur ſecundò, quia non ſemper ex locutione venimus in eandem cognitionem, ſeu notitiam obiecti, de quo fit locutio; nam aliquandò obſcurè, aliquandò clarè, aliquandò vniuerſaliter, aliquandò ſingulariter illud percipimus. Hoc autem non eſſet, ſi obiectum perciperetur immediatè ex vocum prolatione. Cùm enim obiectum ſemper ſit idem, ſemper perciperetur eodem modo. Ergo ideo hoc euenit, quia obiectum non percipitur immediatè, ſed ſolùm mediantibus illis cognitionibus, quas de ipſo formauit loquens, ex quarum varietate habeatur deinde diuerſitas cognoſcendi. Confirmatur, quia quando Petrus dicit e.g. *Deus eſt omnipotens*, manifeſtat Deum ſub conceptu omnipotentis; Quando dicit, Deum eſſe immenſum, eum manifeſtat ſub conceptu immenſitatis, & ſic de ſingulis. Ergo ſemper manifeſtat ſimul rem, & conceptum, ita vt illa per hunc, ſeu ſub hoc manifeſtetur, vt dictum eſt ſupra.

Obijcies primò. Vox ponitur in oratione prò eo quod ſignificat immediatè. Ergo ſi immediatè ſignificat conceptus, ponitur prò ipſis conceptibus; Atque adeo hæc propoſitio *homo eſt animal*, facit hunc ſen-

ſum

ſum *homo eſt conceptus animalis*, quod eſt falſiſſimum.

Secundò, eodem modo voces ſubrogantur prò conceptibus, ſicut ſcriptura ſubrogatur prò vocibus. Sed Scriptura non ſignificat immediatè voces, alioquin quando ego lego epiſtolam amici, deberem recordari illius locutionis. Ergo neque voces ſignificant immediatè conceptus.

Tertiò, hæc propoſitio *hìc eſt vinum vendicabile* idem ſignificat, atque ſignificaret ramus expoſitus tali loco. Sed ramus non ſignificat immediatè, immo neque mediatè conceptum loquentis. Ergo neque voces illius propoſitionis vocalis ſignificant immediatè conceptum cauponis.

Ad Primum nego antecedens, ſi ſermo ſit de omni eo, quod ſignificatur per vocem immediatè. Non enim totum illud, quod ſignificatur immediatè per *animal* e.g. eſt id, prò quo ſupponit ipſum *animal* in hac propoſitione *Petrus eſt animal*. Alioquin cùm id, prò quo ſupponit, ſit verificatiuum, hæc popoſitio verificaretur per omne animal, atque adeo per illud etiã, quod eſt in equo, quod eſt abſurdum. Cùm ergo non ſit idem ſignificare, atque ſupponere, vt diximus in libro 2. per hoc præcisè, quòd conceptus per voces immediatè ſignificetur, non ſequitur, quòd vox pro illo ſupponat, cùm poſſit ſolùm ſupponere prò obiecto mediatè ſignato.

Ad Secundum nego maiorem. Dico enim à ſcriptura nullo modo ſignificari voces, ſicut nec ipſæ voces ſcripturam ſignificant. Ratio eſt, quia cùm poſſimus loqui per nutus, per ſcripturam, vel per voces, ſi vnum ex his eligamus, tamquam medium ad loquendum, nõ

pro-

proinde debemus exprimere alia duo, quæ hìc & nunc omittuntur. Dicitur autem ſcriptura ſubrogari vocibus, quia illa vtimur loco vocum, quas frequentiùs adhibere ſolemus, ideſt cùm poſſimus alterutram eligere, vtimur hac, & non illa.

Ad tertium nego minorem. Quicunque enim adhibet ramum prò ſuis foribus, manifeſtat per illum, ſe habere voluntatem, vendendi vinum, adeoque ſe habere conceptum vini. Quare huiuſmodi homo perinde ſe habet per illum ramum, ac ſi continuò ibi loqueretur, ac diceret *hìc eſt vinum vendibile, hìc eſt vinum vendibile* &c. vel ſi hoc folio aliquo exaratum, vel lapide exciſum exponeret. Quare poteſt retorqueri argumentum. Ramus ſignificat, non ſolùm vinum vendibile, ſed etiam conceptum, quem de illo formauit adhibens talem ramum. Ergo cùm illa propoſitio vocalis perinde ſignificet, atque ramus, vtrumque ſimul ſignificat, videlicet vinum vendibile per conceptum Cauponis.

Ex vocum, ſeu terminorum vocalium ſignificationibus, ad earum indagandã veritatem gradũ faciamus.

DISPV-

DISPVTATIO II.

De Veritate.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quænam ſint cauſæ materialis, & formalis Veritatis?

DVplex eſt veritas, tranſcendentalis, & formalis. Prima dicitur tranſcendentalis, eo quòd tranſcendat per omnia entia. Et conſiſtit in hoc, quòd faciat obiectum conformari cum intellectu vero, non tantùm humano, ſeu angelico, ſed & principaliùs cùm idea,& cognitione diuina, à qua pendet, tamquam à prima regula & ſuæ exiſtentiæ, & veritatis. Hoc autem totum explicatur per hoc, quòd omne huiuſmodi verum, poſſit terminare cognitionem veram, adeoque eius veritas eſt adæquatè cum illo identificata. Sed de hoc agemus in metaphyſica, tamquam in proprio loco,quando agemus de proprietatibus Entis. Altera eſt veritas formalis, quæ dicitur etiam veritas cognitionis, quia nõ eſt aliquid in obiecto, ſed in ipſa cognitione, vt habetur 6.Metaph. t.8. Et de hac agimus in præſentia.

Veri-

Veritas ergo formalis in genere eſt duplex, alia incomplexa, & alia complexa. Incomplexa appellari ſolet *veritas imaginis*, quia eſt ſolùm conformitas in repræſentando, & conſiſtit in ordine quodam tranſcendentali imaginis ad ſuum imaginatum, qui ordo reperitur in omni cognitione. Omnis enim cognitio eſt vitalis, & naturalis imago ſui obiecti, illudque eſſentialiter repræſentat. Veritas complexa appellatur *veritas ſigni*, quia non ſolùm repræſentat rem, cuius eſt imago, ſed præterea dicit modum, quo res illa eſt, vel non eſt à parte rei. Atque hæc conſiſtit formaliter in conformitate intellectus diuidentis, vel componentis cum ſuo obiecto.

Prima concluſio. *Veritas formalis incomplexa reperitur etiam in prima operatione intellectus, quæ nullatenùs poteſt eſſe falſa.* Probatur, quia cum prima operatio intellectus repræſentet obiectum, ſolùm prout per ſpecies obiectiuas illi proponitur, non ſolùm poteſt conformari cum obiecto, in ratione imaginis, ſed neceſſariò cum illo conformatur; non enim poteſt illud aliter repræſentare, ac ſibi per ſpecies proponatur. Ergo non poteſt eſſe falſa, quia non poteſt cū obiecto non conformari. Ex alia parte quoties datur cōformitas cum obiecto, in ratione imaginis, datur veritas formalis incomplexa. Ergo in prima operatione, non ſolùm nulla poteſt ineſſe falſitas, ſed neceſſariò datur huiuſmodi veritas, adeoque omnis prima operatio eſt formaliter vera.

Dices, Ex eo quòd videatur in aqua remus fractus, apprehenſio fertur in fractionem illius, quæ verè non datur in remo, ſed ſolùm apparenter per decæptionem

oculi,

Digitized by Google

oculi, ortam ex refractione ſpecierum viſibilium, facta in aqua. Ergo tunc difformatur ſuo obiecto, quia apprehendit id, quod non eſt; Et per conſequens vel poteſt eſſe falſa, vel neque poteſt eſſe vera.

Nego conſequentiam. Ad hoc enim vt prima apprehenſio, cum ſuo obiecto conformetur, non eſt neceſſe quòd verè detur à parte rei id, circa quod fertur, prout eſt in ſe, ſed ſatis eſt, quòd detur eo modo, quo ſibi per ſpecies obiectiuas proximè repręſentatur. Quare cum verè tunc remus obijciatur primùm oculo, & deinde etiam intellectui vt fractus; Ideo apprehenſio illius fractionis, non eſt difformis obiecto proximo, quamuis non ſit conformis obiecto remoto. Hoc autem clarè probatur, ſpeculi paritate. Non enim dicitur, falli ſpeculum, ſeu falſum, eo quòd ſi illi obijciatur ſtatua Cæſaris biceps, repræſentet Cæſarem bicipitem, quia ſpeculum tunc verum dicit, quando reddit imaginem illi ſimillimam, quod ſibi immediatè, & proximè opponitur.

Neque obſtat, quòd exinde determinetur intellectus ad falſò iudicandum, per ſecundam operationem, remum eſſe fractum. Talis enim difformitas, ſeu falſitas, non eſt apprehenſionis determinantis, ſed ipſius iudicij determinati.

Dices, Verum numquam infert falſum, vt dictum eſt in Organo. Ergo ſi hæc apprehenſio remi fracti, eſſet vera, non poſſet determinare ad iudicium falſum. Diſtinguo antecedens, Verum non infert falſum per modum præmiſſæ, ſeu antecedentis formaliter, concedo. Per modum determinatiui, ſeu motiui intentionalis, nego antecedens, & cum illo conſequentiam. Ex

eo enim quòd ego veram habuerim apprehenſionem equi, & lapidis, poſſum determinari ad falsò iudicandum de equo, quòd ſit lapis; non tamen poteſt iudicium aliquod verum de aliquo obiecto, intellectum determinare per modum præmiſſæ, ad aliud iudicium falſum de eodem obiecto.

Ex quo patet, falſum eſſe quod aſſerit Arriagha diſp. 14. logicæ ſect. 5. num. 74. poſſe per ſimplicem apprehenſionem concipi, hominem eſſe equum e.g. Cùm enim in hoc inuoluatur formaliter iudicium, explicatum per modum infinitiuum, non poteſt competere ſimplici apprehenſioni; Alioquin poſsemus etiam per ſimplicem apprehenſionem concipere integros ſyllogiſmos, immo & plures ſimul, eodem modo explicatos per modum infinitiuum, quod eſt abſurdum.

Secunda concluſio, *Veritas formalis complexa reperitur tantùm in ſecunda, & tertia intellectus operatione.* Probatur, quia hæc veritas non datur, niſi quando affirmatur id, quod eſt, vel negatur id, quod non eſt. Ergo ſupponit compoſitionem, vel diuiſionem intentionalem, quæ non poſſunt conuenire primæ operationi.

Tertiá concluſio, *Omnis veritas complexa habetur formaliter per conformitatem cum ſuo obiecto, ſiue ſit neceſſaria, ſiue contingens: & falſitas per oppoſitam difformitatem.* Probatur, quia (vt inquit Philoſophus 6. Met. t. 8.) *omne verum habet affirmationem in compoſitis, & diuiſionem in diuiſis, falſum autem huius partitionis contradictionem.* Ergo ideo eſt vera, vel falſa aliqua propoſitio, quia componit ea, quæ ſunt compoſita, & diuidit ea, quæ ſunt diuiſa, vel econuerſo. Sed hoc eſt formaliter conformari, vel difformari obiecto. Ergo vera

con-

concluſio. Omnia ſunt clara; Et ideo probatione vlteriore non egent, vt patet inductione per omnes propoſitiones tam veras, quàm falſas.

Quarta concluſio, *Omnis conformitas cuiuſcunque propoſitionis cum obiecto, eſt relatio prædicamentalis, ipſius compoſitionis, ſeu diuiſionis intentionalis ad obiectum; adeòque non eſt adæquatè intrinſeca ipſi cognitioni veræ*. Probatur, quia hæc propoſitio *Petrus eſt homo* e.g. ideo eſt conformis cum ſuo obiecto, quia datur ex parte obiecti, connexio inter Petrum, & hominem, & quia hæc duo affirmantur vt connexa, ſicut verè ſunt. Sed huiuſmodi obiectiua connexio Petri cum homine, eſt extrinſeca ipſi propoſitioni formali, ſicut eſt extrinſecum obiectum. Ergo eius conformitas non eſt illi adæquatè intrinſeca, ſed includit etiam aliquod obiectiuum. Cùm ergo hoc idem valeat de quacunque alia propoſitione formali, cuiuſcunque propoſitionis conformitas, erit partìm intrinſeca, & partìm extrinſeca ipſi cognitioni. Sed omnis veritas formalis habetur formaliter, per conformitatem ipſius cognitionis cum obiecto. Ergo omnis veritas formalis erit ſolùm inadæquatè intrinſeca ipſi cognitioni veræ. Quòd autem relatio prædicamentalis includat etiam ipſum terminum, tamquam partem intrinſecam ſui, ſuppono ex dicendis in quarto libro.

Contra hanc concluſionem, nulla poteſt eſse difficultas, circà veritatem propoſitionis contingentis; Omnes enim concedunt, hanc propoſitionem *Petrus currit* e.g. verificari etiam per curſum Petri, ipſi propoſitioni extrinſecum. Solùm ergo eſt difficultas, in ordine ad veritatem propoſitionis neceſsariæ, prò qua ſo-

let communiter obijci hoc vulgare argumentum. Hęc propoſitio *Petrus eſt animal* ſemper eſt vera, etiamſi non detur eius obiectum. Ergo eius veritas non poteſt haberi per ipſum obiectum, ſiue per conformitatem cum ipſo, ſupponendo quod hæc ſit illi inadæquatè extrinſeca.

Nego antecedens quoad ſecundam partem. Dico enim, hanc propoſitionem ideo eſse ſemper veram, quia ſemper datur eius obiectum, adeoque conformitas cum illo. Cæterùm ſi per impoſſibile non daretur eius obiectum, neque eſset illi conformis, neque vera, ſed falſa. Quia tamen hoc videtur nouum, ſic efficaciter probo. Obiectum huius propoſitionis eſt connexio inter Petrum, & animal. Sed hæc ſemper datur, & neceſsariò. Ergo ſemper datur eius obiectum. Neque obſtat, quòd tam Petrus, quàm animal poſſint abſolutè non dari, adeoque ad inuicem non connecti, propter defectum exiſtentiæ. Hoc enim tollit quidem neceſſitatem huiuſmodi connexionis, in ſtatu abſoluto, non autem in ſtatu conditionato, in quo ſolo habet rationem obiecti huius propoſitionis. Quare dico, omnem propoſitionem neceſsariam de obiectis creatis, eſse conditionalem. Ratio eſt, quia cùm ad veritatem propoſitionis abſolutæ, requiratur exiſtentia actualis obiecti, & omne creatum poſſit non dari, omnis propoſitio de obiecto creato, ſi faceret ſenſum abſolutum, poſset non eſse vera, adeoque nulla huiuſmodi propoſitio eſset neceſsaria. Quare illa propoſitio *Petrus eſt animal*, facit hunc ſenſum, *Petrus ſi exiſtat, eſt animal*. Cùm ergo ſemper ſit verum, quòd ſi Petrus exiſtat, connectatur cum animali, ideo ſemper eſt

vera

vera illa propoſitio, quia ſemper datur eius obiectum, videlicet conditionata connexio inter eius extrema, quæ neceſſariò ſequitur ex ſuppoſitione, quòd purificetur illa conditio, ſub quā affirmatur.

Dices, De facto eſt vera illa propoſitio. Ergo de facto debet dari eius verificatiuum. Sed connexio conditionata inter Petrum, & animal, de facto non datur, quia de facto non purificatur conditio eius exiſtentiæ. Ergo non poteſt per illam verificari. Diſtinguo primum conſequens, debet dari de facto eius verificatiuum, abſolutè loquendo, nego; conditionatè, concedo conſequentiam. Omnis enim propoſitionis verificatiuum debet dari eo modo, quo ab illa tenditur in obiectum. Si ergo in illud tendatur ſolùm conditionatè, vt accidit in re præſenti, ad hoc vt illa ſit vera, debet eius verificatiuum dari ſolùm conditionatè. Et hæc eſt ratio, quare dicatur *conditio nihil ponit in eſſe*, quia videlicet veritas conditionalis non ſupponit aliquid de facto dari. Quæ doctrina ita eſt vera, vt ab omnibus admittendam cenſeam. Nam præſcindendo ab hac materia particulari, certè propoſitiones conditionales, in materia contingenti, qualis eſt hæc, *ſi cras pluet, ego non ibo rus*, de facto ſunt veræ, & tamen non poteſt aſſignari aliquid, quod detur de facto, abſolutè loquendo, per quod verificentur. Quid enim eſt nunc, quòd *ſi cras pluet, ego non ibo rus*, niſi recurratur ad aliquid conditionatum?

Quòd ſi ſubtiliùs vrgeas, quid ſit nunc, eſſe veram neceſſariò propoſitionem conditionalem, in materia neceſſaria? Reſpondeo, nihil eſſe aliud, quàm infinitam perfectionem Dei. Quia cùm ex vna parte, Deus

non poſſit idem ſimul velle, & nolle, & ex alia ſit omnium poſſibilitas, vt probauimus in diſp. metaph. lib. 2.diſp.1. non poteſt velle e.g. hominem, quin ſimul eodē actu, velit etiam animal rationale, cū illo eſsētialiter connexū, immò realiter identificatū. Quare hoc quod eſt, quòd *ſi exiſtat homo, neceſſariò eſt animal rationale*, de facto nihil eſt aliud, niſi ſumma perfectio Dei, per quam ita ſe habet in ordine ad *hominem*, & *animal rationale*, vt vel debeat vtrumque ſimul velle, vel vtrumque ſimul nolle, nè ſibi ipſi repugnet, quod eſt imperfectio.

Quinta concluſio. *Veritas formalis non prædicatur vniuocè, ſed ſolùm analogicè, de cognitionibus, vocibus, & rebus*. Probatur prima pars, quia non omnia hæc dicuntur vera eodem modo, vt patebit in probatione ſecundæ partis, quod eſſet neceſſarium ad rationem vniuoci. Probatur ſecunda pars, quia eodem modo dicuntur veri veritate formali conceptus, voces, & res, ſicut color, animal, & medicina dicuntur ſani. Sed hi analogicè tantùm dicuntur ſani. Ergo & illi ſolùm erunt analogicè veri. Probatur maior, quia conceptus dicuntur veri, per modum ſubiecti, eo quòd in illis tantùm recipiatur veritas, tamquam forma aliqua metaphyſica. Et ideò ſoli conceptus dicuntur conformes, vel difformes obiectis. Voces dicuntur veræ per modum ſigni, quatenùs videlicet ſunt ſigna conceptus veri. Et res, ſiue obiecta dicuntur vera per modum cauſæ, quia cognitio eſt vera, vel falſa ex eo quòd res ſit, vel non ſit. Ait enim Ariſtoteles 9. met. c.12. *non quòd nos verè te putamus album eſſe, tu albus es, ſed quia tu albus es, nos qui dicimus, verum dicimus*. Ergo veri-

tatis

-tatis formalis cauſa videtur eſſe veritas obiectiua, ſeu tranſcendentalis, quomodocunque hæc ſit cauſa.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An poſſit eadem propoſitio ex vera fieri falſa, vel eſſe ſimul vera, & falſa? Vbi an poſſit veritas fieri maior, vel minor?

Ratio dubitandi eſt, quia cùm obiectum propoſitionis contingentis poſſit dari, vel tolli, videtur poſſe eadem remanente propoſitione formali, modò tolli, & fieri falſa propoſitio, & modò poni, & fieri vera.

Prima concluſio. *Non poteſt eadem numero cognitio, ex vera fieri falſa, & viceuerſa.* Probatur, quia vel datur eius obiectum, & ſemper erit vera; Vel non datur, & ſemper erit falſa. E.g. hæc propoſitio *Petrus currit*, quia habet ſtatum, affirmat exiſtentiam curſus Petri, prò eo tempore, prò quo datur propoſitio. Cùm ergo propoſitio ſit eſſentialiter affixa tali tempori, ideo affirmat exiſtentiam curſus Petri, ſolùm prò tali tempore, & non prò alio. Tum ſic. Vel datur curſus Petri prò eo tempore, e.g. prò tempore A; vel non datur? Si primum, ſemper eſt vera, quia ſemper datur illud, quod affirmat. Si ſecundum, ſemper eſt falſa, quia quamuis

detur curſus Petri prò alio tempore, ſemper tamen eſt verum, non dari prò eo tempore, prò quo affirmatur. Ergo numquam poteſt ex vera fieri falſa, & econuerſo.

Dices, Hæc propoſitio *Petrus currit nunc*, prò inſtanti A., in quo Petrus currit, eſt vera, & prò inſtanti B., in quo Petrus non currit, eſt falſa. Ergo tranſit de vera in falſam.

Nego antecedens; Nam ſicut ly *nunc* ſupponit modò prò inſtanti A; & modò prò B. Ita & hæ voces modò ſupponunt prò vna propoſitione mentali, & modò prò alia. Quia vt dixi, & probabo in Phyſicis, cognitiones noſtræ ſunt eſſentialiter affixæ tali tempori; atque adeo illo tranſeunte, pereunt illæ propoſitiones, & fiunt aliæ ſimiles illis. Quòd ſi fingamus, illam propoſitionem numerò, per impoſſibile remanere, tunc ſi retineat eamdem ſuppoſitionem, adhùc erit vera, quia adhùc datur eius obiectum. Cùm enim hæc propoſitio (vt dixi) habeat ſtatum, obiectum ipſius non eſt curſus Petri ſimpliciter, ſed curſus Petri prò inſtanti A. formaliter, & reduplicatiuè. Si ergo prò inſtanti A. datur curſus Petri, quamuis deinde nòn detur prò inſtanti B., adhùc eſt vera propoſitio, quia verè adhùc datur totum eius obiectum. E.g. ſi illa propoſitio proferatur prò hora decima diei Lunæ, ly *nunc* ſupponit prò curſu Petri facto in hora decima diei Lunæ. Quoties ergo ſupponitur, illa eadem numerò remanere propoſitio, quamuis materialiter videatur ly *nunc* correſpondere alteri tempori, adhùc tamen ſemper ſupponit prò eadem hora decima diei Lunæ. Et ideo dixi, fieri non poſſe, vt remaneat eadem numerò, quia

cùm

cùm habeat ſtatum, ſi ſupponatur remanere prò hora vndecima eiuſdem diei, ex vna parte ſupponeret prò hora vndecima, cui correſponderet, & ex alia prò hora decima, prò qua ante ſuppoſuit; Adeoque ſupponeret, & non ſupponeret prò eadem hora decima, quod eſt manifeſta contradictio. Sicut ergo quamuis Petrus poſſit vel currere, vel non currere, ante omnem ſuppoſitionem, non tamen poteſt non currere prò eo tempore, quo ſupponitur currere; Ita & hæc propoſitio, poteſt quidem coniungi cum Petri curſu, vel cum eius negatione, non tamen poteſt non coniungi cum alterutro determinatè, ſi cum illo ſemel ſupponatur coniuncta, prò aliquo tempore determinato.

Vrgebis, Hæc propoſitio eſt contingenter vera. Ergo ita eſt vera, vt poſſit non eſſe vera. Sed ſi non ſit vera, eſt falſa. Ergo ita eſt vera, vt poſſit fieri falſa, & viceuerſa.

Diſtinguo primum conſequens. Ità eſt vera, vt poſſet non eſſe vera, ex ſuppoſitione quòd ſemel fuerit vera, nego: Simpliciter, & abſolutè loquendo, ante omnem ſuppoſitionem, concedo conſequentiam. Dico igitur, propoſitiones huiuſmodi dici contingenter veras, vel falſas, non quia poſſint eædem numerò inuariatæ, modò cum veritate, & modò cum falſitate coniungi, quod eſt falſiſſimum; Sed quia verſantur circa tale obiectum, cuius exiſtentia contingenter datur, & per conſequens huiuſmodi propoſitionum extrema non eſſentialiter, & neceſſariò inter ſe connectuntur, ſicut extrema propoſitionis neceſſariæ, ſed ſolùm per accidens, & contingenter; Et ideo ſunt indifferentes ad hoc, vt coniungantur cum exiſtentia talis obiecti, vel

cum

cum eius negatione, & per conſequens vt ſint veræ, vel falſæ. Cæterùm ſi fingamus, illas coniungi ſemel cum exiſtentia obiecti, ſemper ſunt veræ, ſicut ſemper ſunt falſæ, ſi ſemel cum eiuſdem negatione coniunctæ ſupponantur.

Dices demùm, & difficiliùs, Hæc propoſitio *Petrus nunc currit*, eſt vera per exiſtentiam curſus Petri prò tali tempore. Sed hæc poteſt non dari. Ergo poteſt hæc propoſitio non verificari.

Diſtinguo minorem, Exiſtentia curſus Petri poteſt non dari, in ſenſu compoſito, & ex ſuppoſitione quòd detur, nego: In ſenſu diuiſo, & nulla facta ſuppoſitione, concedo minorem; Et Nego conſequentiam. Id enim, quod dixi de obiecto, dicendum omnino eſt de veritate.

Secunda concluſio, *Non poteſt eadem propoſitio eſſe ſimul vera, & falſa*. Probatur, quia cùm veritas habeatur ex eo, quòd detur obiectum affirmatum, & falſitas ex eo, quòd non detur, ſi eadem numerò propoſitio eſſet ſimul vera, & falſa, idem obiectum daretur, & non daretur, quod eſt contradictio. Ergo &c.

Contra hanc doctrinam, vtpote euidentem, nullum affertur ſolidum argumentum. Multa nihilominùs vulgò circumferuntur fallacia, & captioſa, quorùm notitia non habita, vix poteſt quis ab illis ſe expedire. Omnia igitur in vnum coaceruabo, & facilitate, qua potero, maxima difficultatem priùs, mox etiam reſponſionem in medium afferam.

Ita igitur contra nos Aduerſarij philoſophantur, ſeu paralogizant. Multæ ſunt propoſitiones, quæ ſi referantur ad inuicem, ſuam quoque inuicem deſtruunt,

& po-

& ponunt veritatem. Ergo ſunt ſimul veræ, & falſæ. Probant antecedens. Primò, quia ſi ſupponatur, Petrum homicidam eſſe ſub poteſtate alicuius Principis, qui volens cum illo liberaliter agere, ſecum ita blandè alloquatur. *Si prima propoſitio, quam elicies, erit falſa, furca ſuſpenderis; Sin vera, liberaberis*; Et Petrus reſpondeat *Ego ſuſpendar furca*, Vtique hæ duæ propoſitiones erunt ſimul veræ, & falſæ. Probant antecedens, quia propoſitio Petri (ſi ipſe ſuſpendatur) eſt ſimul vera, eo quòd ſit conformis cum ſuo obiecto; Et eſt falſa, quia alioquin non potuiſſet iuſtè ſuſpendi. Præterea propoſitio Principis eſt vera, quia affirmat ſuſpenſionem Petri, ſub conditione falſitatis primæ illius propoſitionis, & verè ſequitur ſuſpenſio Petri ex tali falſitate. Ex alia parte eſt falſa, quia affirmat liberationem Petri, ſub conditione veritatis primæ ipſius propoſitionis, qua purificata, non ſequitur. Ergo vtraque eſt ſimul vera, & falſa.

Probant ſecundò his alijs duabus, quibus duo ſe inuicem alloquantur, & primus dicat. *Tu nunc dicis verum*; Et alter reſpondeat. *Tu nunc dicis falſum*. Has enim propoſitiones contendunt, eſſe ſimul veras, & falſas. Nam ſi ſupponatur, primam eſſe veram, neceſſariò erit falſa ſecunda, ex cuius falſitate reſultat falſitas etiam primæ, illius veritatem affirmantis. Et ſi ſupponatur, ſecundam eſſe veram, erit neceſſariò falſa prima, eius veritatem affirmans, ex cuius falſitate reſultat falſitas ipſi ſecundæ. Ergo vtraque eſt ſimul vera, & falſa.

Probant tertiò his alijs, Petrus dicat Paulo, *Prima propoſitio, quam elicies, erit vera*; Et Paulus reſpondeat *Ego dico falſum*. Nam prima eſt vera, quia Paulus verum

rum dicit, cum dicit, ſe falſum dicere. Ex alia parte eſt falſa, quia ſi verum eſt, Paulum dicere falſum, Paulus non dicit verum, ſicut affirmatur à prima propoſitione. Ergo prima ſimul eſt vera, & falſa. Et idem contingit etiam ſecundæ. Nam ſi eſt vera, eò quòd ſupponamus, verè Paulum dicere falſum, erit falſa ex hoc ipſo, quia nemo dicit falſum, cum dicit verum. Ergo ſimul & ſemel erit vera, & falſa.

Ad hoc vt ſoluamus huiuſmodi ſophiſmata, duo præmitto. Alterum eſt, veritatem, & falſitatem eſſe prædicata ſecunda, ſicut eſt quælibet relatio prædicamentalis ſimilitudinis, vel diſſimilitudinis. Priùs enim, quàm affirmetur veritas, vel falſitas de aliqua propoſitione, debet intelligi aliquod prædicatum fundamentale primum, ratione cuius ſit potiùs affirmanda veritas de tali propoſitione, quàm falſitas.

Alterum eſt, omnem propoſitionem affirmatiuàm, affirmare aliquod obiectum à ſui veritate, ſiue realiter, ſiue formaliter diſtinctum, per cuius conformitatem, vel difformitatem ſit vera, vel falſa. Nam hæc propoſitio, *homo eſt animal*, affirmat connexionem animalis cum homine, per cuius conformitatem verificetur, quæ connexio eſt aliquid diſtinctum à veritate talis propoſitionis. Loquor autem hìc tantùm de propoſitionibus creatis, nam de diuinis eſt alia quæſtio, quippe quæ ſunt realiter identificatæ, cum ipſa potentia cognoſcitiua diuina.

His poſitis, dico, omnes propoſitiones allatas, & quaſcumque alias illis ſimiles, eſſe propoſitiones falſas, & nullo modo veras. Atque adeo, vt in forma reſpondeam, Nego antecedens. Quòd autem ſint falſæ, ſic

Pri-

Primò probo de ſecundis, vtpote facilioribus. Nam ſecunda propoſitio B, quæ eſt, *Tu dicis falſum*, affirmat, nō quamcumque falſitatem alterius propoſitionis, ſed ſolùm illam, quæ prouenit ex difformitate, cum aliquo obiecto fundamentali, contradiſtincto à veritate, vel falſitate ipſius propoſitionis B. Prima verò A. *tu dicis verum*, affirmat, non quamcumque veritatem, ſed ſolùm illam, quæ prouenit ex conformitate, cum aliquo obiecto fundamentali, contradiſtincto à veritate, vel falſitate ipſius propoſitionis A; ita vt illud non includat prò conditione requiſita ad ſui veritatem. Quare cùm neque detur talis falſitas in prima, neque talis veritas in ſecunda, vtraque eſt falſa.

Hoc idem dico de primis. Nam quando dicitur, per propoſitionem A. *Si prima propoſitio, quam elicies erit falſa, ſuſpenderis*, per ly *falſa* non ſignificatur quæcunque falſitas, ſed ſolum falſitas, quæ illi reſultaret, ex difformitate cum ſuo obiecto, quod obiectum nullo modo includat ipſam propoſitionem A. affirmantem, ſeu eius obiectum formale. Quare licèt concedatur vt falſa hæc propoſitio, quia tamen non eſt falſa ea falſitate, ſubqua Princeps minatus eſt Petro ſuſpenſionem e furca, ſed alia longè diuerſa; Ideo talis falſitas non refundit veritatem propoſitioni ipſius Principis; Et ſic vtraque eſt falſa, quia neutra conformatur cum ſuo obiecto.

Sed hæc doctrina clariſſimè omnium elucet in poſtremis, *Prima propoſitio, quam elicies, erit vera*, & hanc vocabimus A; *Ego dico falſum*, quam vocabimus B. Nam propoſitio A. affirmans veritatem de propoſitione B. habet prò obiecto affirmato, veritatem directam illius,

con-

conſiſtentem in eius conformitate cum ſuo obiecto. Ob ectum autem propoſitionis B. affirmantis mendacium, eſt mendacium. Quare tunc eſſet vera propoſitio A. quando verè propoſitio B. conformaretur cum mendacio, ideſt quando verè daretur aliquod mendacium, præter ipſam propoſitionem B. nam obiectum materiale debet eſſe diſtinctum à propoſitione, cuius eſt obiectum, ſaltem formaliter, & metaphiſicè, alioquin propoſitio haberet prò obiecto adæquato ſe ipſam tantùm, quod eſt falſum, & contrà ſuppoſitum ſecundo loco. Sed propoſitio B. nullum habet mendacium à ſe diſtinctum prò obiecto, quia ipſa mētitur intranſitiuè, & eſt formaliter mendacium, ex hoc ipſo, quòd non detur illud mendacium, quod affirmat. Ergo non habet illam conformitatem cum obiecto, quæ requireretur, ad verificandam ipſam propoſitionem A. & per conſequens eſt falſa, quia affirmat aliquod, quod non eſt. Rursùs ipſa etiam propoſitio B. eſt falſa, eo quòd non conformetur cum ſuo obiecto; non enim datur mendacium vllum ab illa diſtinctum, quod reſpiciat vt obiectum. Ergo vtraque eſt falſa.

Hìc ſolet quæri, an veritas formalis poſſit eſſe maior, & minor? Nonnulli reſpondent affirmatiue; adeoque ita argumentantur contra primam concluſionem, Poteſt eadem propoſitio eſſe modò magis, & modò minùs vera. Ergo etiam poteſt eſſe modò vera, & modò falſa. Probant conſequentiam, quia ſicut poteſt recedere partialiter à veritate, ita poteſt ab illá recedere totaliter, & fieri non ſolùm minùs vera, ſed falſa. Confirmant autem hoc paritate caloris, quia ſicut poteſt idem ſubiectum recedere partialiter à calore, & tepefieri,

fieri, ita poterit ab illo recedere totaliter, & frigeſieri, quod idem applicant veritati. Contra hanc doctrinam prò ſolutione difficultatis, ſit

Tertia concluſio, *Veritas formalis non poteſt eſſe maior, & minor, ſed eſt ſemper eadem inconcuſſa*. Probatur primò, quia veritas formalis eſt aliquid indiuiſibile. Ergo non poteſt creſcere, vel decreſcere, quod eſt propriũ diuiſibilis.

Probatur ſecundò, quia vel eſt ſermo de veritate ſeu certitudine metaphyſica; vel de phyſica; vel de morali? Si primum, cùm veritas, ſeu certitudo metaphyſica fũndetur in hoc principio, quòd *ſit impoſibile, idem ſimul eſſe, & non eſſe*, nullius eſt capax augmenti, vel decrementi, eò quòd eius principium ſemper eſſentialiter, & inuariabiliter ſit idem. Si verò ſermo ſit de veritate, ſeu certitudine phyſica, cùm hæc fundetur in hoc principio, *quòd Deus hìc & nunc non faciat miraculum*, poſſet ex hoc capite recipere magis, & minus, eò quòd hoc poſſit eſſe magis, vel minùs certum, niſi aliũde probaretur oppoſitum. Quòd autem ex alio capite probetur neque hanc veritatem recipere magis, & minus, patet ex eo, quia vel datur obiectum affirmatũ, vel non? Si datur, ſemper eſt eodem modo vera affirmatio. Si non datur, ſemper eſt eodem modo falſa, quia non poteſt obiectum magis, & minùs dari. Ergo eius veritas creſcere, vel decreſcere numquam poteſt. Si demùm ſit veritas, ſeu certitudo moralis, vel illa eſt in fide Diuina; & hæc quamuis ſubiectiuè, & fundamentaliter videatur poſſe fieri maior, vel minor, tamen formaliter ex obiecto, ſemper eſt eadem inuariata, quia veracitas Dei alterari non poteſt. Si verò ſit in fide hu-

mana, vel in quocumque alio actu opinatiuo, de illo redit argumentum ſupra factum, videlicet eius obiectum non poſſe magis, & minùs dari, adeoque neque eius veritatem eſſe modò maiorem, & modò minorē. Quare à primo ad vltimum, nulla veritas formalis poteſt vel fieri maior per incrementum, vel minor per decrementum.

Vnde patet, falſum eſſe, quod aſſerit Arriagha diſp. 14. logicæ ſect. 3. nu. 67. videlicet poſſe eamdem numerò propoſitionem, plura reſpicientem obiecta materialia, habere quoque maiorem, vel minorem veritatem. Ait enim, propoſitionem affirmantem, viginti homines currere, eſſe magis falſam, nullo currēte, quàm vno tantùm non currente, eo quòd illa in pluribus deficiat, quàm hæc. Hoc, inquam, eſt falſum, quia vel illi viginti homines affirmantur currere copulatiuè, vel diſiunctiuè? Si primum, cùm falſitas vnius partis metaphyſicę in copulatiuis, refundatur in totam propoſitionē formalem, iam Petro ſolùm non currente, tota illa propoſitio erit falſa. Quòd ſi tota ſit falſa, vnde accipiet incrementum? Profectò ſupra omnes eius partes nihil datur in illa; Alioquin illa conſtaret ex omnibus ſuis partibus, & quibuſdam alijs, quod eſt ridiculum. Quare quòd vnus tantùm, vel plures non currant, materialiter ſe habet in ordine ad illius falſitatem, quæ indiuiſibiliter pendet ab omnibus ſimul partibus. Si verò dicantur omnes illi homines currere diſiunctiuè, cùm veritas propoſitionis diſiunctiuæ, habeatur per ſingulas partes, Petro tantùm non currente, adhùc eſſet vera propoſitio affirmans, illum currere, cum alijs nouendecim, qui verè currant. Quare cùm vno tantùm currente,

ſit

ſit tota vera, materialiter deinde ſe habet, quòd alij currant; Adeoque aliorum curſus præter curſum illius, non augent propoſitionis veritatem formalem, quamuis augeant obiectiuam, de qua hìc non loquimur.

Finis Libri Tertij.

LIBER QVARTVS LOGICAE

De Prædicamentis.

CVm Logica ſit inſtrumentum, & velut ianua cæterarum ſcientiarum; Ideo Ariſtoteles tradit in ea rudem quamdam rerum omnium notitiam, eas diſtinguendo in decem claſſes, quas cathegorias, ſeu (vt Boetius interpretatur) prædicamenta appellat, eo quòd de illis in logica tantùm agat, in ordine ad prædicationem, de ijs acturus, prout ſunt corpora naturalia, in phyſica. Niſi cum alijs velimus dicere, ideo has claſſes, ſeu partes entis dici cathegorias, quia ſunt quædam rerum diſpoſitiones (ſiquidem cathegoria ſonat etiam diſpoſitionem) ſub vno genere contentarum, ſecundùm prius, & poſterius. Nam ſingulæ continent ſeriem quamdam, & ordinem ſuperioris, & inferioris, prout ipſæ res ſub illa contentæ

tentæ participant perfectiones magis, & minùs vniuerſales, quæ appellantur gradus, quia per illas, per quoſdam veluti gradus, à ſummo genere deſcendimus ad indiuidua, vel ex his econuersò aſcendimus ad ſupremum. Sed quia ipſum ens, quod diuiditur, ab aliquibus dicitur analogum, & ab alijs vniuocum: Et inter ipſa prædicamenta, vnum ſæpè denominatur ab alio, aliud eſt vniuocum, & aliud æquiuocum; Ideò priuſquàm de ijs egerit, quæſtionem inſtituit Ariſtoteles de vniuocis, æquiuocis, & denominatiuis, quæ ideo dicuntur Anteprædicamenta, eò quòd eorum notitia ſit neceſſaria ad prædicamentorum tractationem. Nos igitur in hoc Philoſophi methodum ſequuti, tres in partes hunc librum diuidimus, in quarum prima agemus de Anteprædicamentis, in ſecunda de ipſis prædicamentis, quam diuidemus in triplicem diſputationem, de Prædicamentis in genere, de ſubſtantia, & relatione; & in tertia de ijs, quæ à Philoſopho dicuntur Poſtprædicamenta.

DISPVTATIO PRIMA:

De Antepraedicamentis.

ARTICVLVS PRIMVS:

De Vniuocis, Aequiuocis, & Denominatiuis.

MVlta hic reuocantur in quæſtionem ab Authoribus, quæ quia maxima ex parte ſunt inutilia,& tyronibus impercæptibilia, ideo hic ea tantùm ſeligimus, quæ omninò ſunt neceſſaria,deque ijs breuiſſimè, & lucidiſſimè differemus.

Prima concluſio, *Bene definiuntur vniuoca cum Ariſtotele hic cap.* 1. *Sunt illa, quorum nomen commune eſt, ratio verò ſubſtantiæ ſecundùm nomen, eſt omninò eadem*. Probatur, quia hæc definitio traditur per genus, & differentiam; Ly enim *quorum nomen commune eſt* habet rationem generis, & cætera rationem differentiæ. Et ideo bene explicat eſſentiam, & quidditatem intrinſecam vniuocorum, vt patebit infrà. Ergo &c.

Secunda concluſio, *Bene cum eodem ibidem definiuntur æquiuoca, quorum nomen commune eſt, ratio verò ſubſtantiæ, ſecundùm nomen, eſt omninò diuerſa*. Probatur eodem modo, vt diximus de Vniuocis. Et ideo ſicut illa definitio conuenit omnibus, & ſolis vniuocis; ita hæc

hæc conuenit omnibus, & ſolis æquiuocis. Probatur conſequentia. Nam ea, quæ habent commune nomen, vel exprimuntur ſub illo per eumdem conceptum, vel per diuerſum? Si primum. Ergo habent eamdem rationem ſubſtantiæ, adeoque ſunt vniuoca, cuiuſmodi ſunt *homo*, & *equus* ſub hoc nomine *animal*. Cùm enim conceptus obiectiuus animalis, ſit eſſe principium ſentiendi, & motus progreſſiui ab intrinſeco, eodem modo conuenit homini, & equo, quorum diuerſitas aliunde deſumitur, videlicet ab *hinnibili*, & *rationali*, quæ ſunt vltimæ eorum differentiæ. Si verò dicatur ſecundum. Ergo habent diuerſam rationem ſubſtantiæ, atque adeo ſunt æquiuoca; Cuiuſmodi ſunt *Petrus*, eiuſque *imago* coloribus expreſſa, ſub hoc nomine *homo*. Ita enim vterque dicitur homo, vt præter nomen, nihil commune habeant; cùm ſub nomine hominis, *Petro* correſpondeat conceptus obiectiuus *animalis rationalis*, eiuſque imagini conceptus picturæ. Quod idem dico de *monte*, & *animali mugibili*, ſub nomine *tauri*: de *ſtella*, & *animali latrabili*, ſub nomine *canis*, &c. Sed hoc ſemper eſt verum, & in omni caſu. Ergo vtraque eſt bona definitio, quia conuenit omni, & ſoli definito.

Obijcies, Aequiuoca habent diuerſam definitionem eſſentialem; Nam *animal mugibile* diuerſimodè definitur, ac mons, qui dicitur *taurus*. Ergo non poſſunt vnica, eademque definitione definiri, iuxtà doctrinam Peripateticam ex. 6. topic. c. 2.

Diſtinguo primò antecedens, Habent diuerſam definitionem eſſentialem, quatenùs æquiuoca ſunt, ideſt ſub conceptu vniuerſali æquiuoci *vt ſic*, nego: Sub con-

tur æquiuoca æquiuocata, eò quòd circa ipſas fiat ęquiuocatio (quod idem dicendum eſt de vniuocorum definitione.) Nullum autem eſt abſurdum, quòd res, ſiue obiecta concipiā tur ſub duplici conceptu, & exprimātur per duplex nomen, ſub quorum vno ſint vniuoca, & ſub alio æquiuoca. Nam *animal latrabile*, & *ſydus* ſub nomine, & conceptu *canis* ſunt æquiuoca; ſub nomine, & conceptu *entis* ſunt vniuoca, vt infrà patebit. Sicut ergo cum definiuntur *homo*, & *leo* ſub nomine, & conceptu *animalis vt ſic*, non definiuntur vt tales ſpecies, ſeu ſubſtantiæ particulares, ſed vt ſubſtant tali rationi communi, quæ ſola definitur per talem definitionem; Ita quando definiuntur ea, quæ ſunt æquiuoca, non definiuntur vt talia ſunt inter ſeſe diuerſa, ſed vt conuenientia ſub hac ratione communi *æquiuocorum*, quæ ſolùm definitur. Non eſt autem mirum, quòd communis hæc ratio ſit vniuoca, quia hæc non tollit rationes particulares æquiuocorum, ſicut ratio *animalis* non tollit differentias particulares *equi*, & *leonis*, quamuis ab illis formaliter præſcindatur.

Hìc aliqui diſtinguunt æquiuoca in æquiuoca à caſu, & æquiuoca à conſilio. Verùm hanc diuiſionem puto omninò ridiculam. Siquidem vndecunque prouenerit rebus huius impoſitio nominis, ſiue illud fuerit inditum temerè, ſiue conſultò ſemper poſſum ita argumētari, vel ſub illo res exprimuntur eodem modo, & ſunt vniuoca; vel diuerſo, & ſunt æquiuoca. Quarè impertinenter ſe habet ly *à caſu*, vel *à conſilio*, reſpectu æquiuoci. Vnde miror, huiuſmodi diuiſionem tanti fieri ab Arriaga diſp. 10. logicæ, ſect. 1. num. 4. vt ex illa moueatur ad aſſerendum, æquiuoca à conſilio eſſe analoga.

Perinde quaſi per hoc quòd nomen *Petrus* e.g.conſultò fuerit inditum Patri, & filio eiuſdem familiæ, acceperit aliquid exinde eſsentialiter diuerſum, ratione cuius transferatur ad ſignificanda plura aliquo modò ſimilia, quæ cæteroqui, ſi caſu fuiſset inditum, eſsent inter ſeſe omnino diuerſa.

Tertia concluſio, *Bene definiuntur denominatiua eſſe illa, quæ cùm habeant idem nomen, differunt tantùm caſu*, ideſt (vt explicat Toletus) transfiguratione aliqua vocis. Probatur, quia hæc definitio conuenit omnibus, & ſolis denominatiuis. Ergo eſt bona. Probatur antecedens. Nam omnia ea, quæ habent idem nomen, reducuntur vel ad vniuoca, vel ad æquiuoca, vel ad analoga, vel ad denominatiua. Sed vniuoca, & æquiuoca non differunt caſu, ſicut differunt *iuſtitia*, & *iuſtus*: *prudens*, & *prudentia* &c. Ergo ea, quæ differunt caſu, non poſſũt eſſe vniuoca, vel æquiuoca. Sed neque poſſunt eſſe analoga, vt videbimus in articulo ſequenti, vbi ſtatuemus, illa non dari vt ab alijs diſtincta. Ergo debent eſſe denominatiua. Præterea hæc definitio traditur per genus, & differentiam. Nam ly *habent idem nomen*, eſt loco generis; Et cætera loco differentiæ. Ergo &c.

Ex his patet, ad rationem denominatiui quattuor requiri. Primum eſt, vt habeant aliquam rationem communem, ſeu conuenientiam obiectiuam. Secundum, vt habeant aliquam diuerſitatem obiectiuam, quorum defectu neque *homo*, & *humanus*; neque *homo*, & *leo* dicuntur denominatiua; eo quòd ſicut primi ſunt omninò idem, adeoque nullam habent diuerſitatem in eſſe; Ita & ſecundi ſunt omnino diuerſi, quia nul-

nullam habent conuenientiam, ſeu participationem in eſſe, cùm *homo* non ſit aliquid *leonis*, & *leo* non ſit aliquid *hominis*. Tertium eſt, vt habeant aliquam ſimilitudinem in nomine. Et quartum, vt in eodem aliquo modo differant. Quare ſicut *iuſtus*, & *miſericors* non ſunt denominatiua, eo quòd ſint nomina omninò diuerſa; Ita neque ſunt denominatiua *iuſtus*, & *iuſto*, quia ſunt nomina omninò eadem, quamuis grammaticaliter differant caſu. His aliqui addunt & quintum, quòd videlicet ſint concreta accidentalia, non autem eſſentialia, cuiuſmodi ſunt *albus*, *albedo*: *Fortitudo*, *fortis* &c. Ratiò, quam afferunt, eſt, quia denominatiua debēt ſignificare ad modum formæ aduenientis, cuiuſmodi non eſt forma eſſentialis. Et ideo *humanitas* non eſt denominatiuum *hominis*, cui eſſentialiter conuenit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An dentur Analoga, & quid ſint? Afferuntur opiniones Authorum.

DAri analoga videtur certum primò ex Ariſtotele pluribus in locis, ſed præcipuè primò ethic. c.6., 7. phyſic. t. 31. & 4. met. c.2. & 5. met. c.6. Et deinde ex communi Philoſophorum omnium ſenſu, quibus nihil tritius, quàm dari analoga. Difficultas ergo ſolùm poteſt eſſe, an illa ſint ali-

quid

quid medium inter vniuoca, & æquiuoca ab vtriſque diſtinctum, an verò aliquid ad illa reducibile? Nos igitur priuſquàm hac ſuper re ſententiam proferamus, operæpretium duximus in medium afferre, quidquid de analogis penès celebriores Authores, diſperſum inuenitur.

Quattuor ergo analogorum genera admittuntur ab Authoribus, videlicet attributionis, proportionis, mixta, & inæqualitatis. Analoga attributionis, quæ dicuntur à Philoſopho, in locis citatis, & 4.met. t.2.& 7.met. t.15. *ab vno ad vnum*, definiuntur communiter cum Caietano c.2. de nomin. analog. *Quorum nomen commune eſt, & ratio per nomen ſignificata partim eſt eadem, & partim diuerſa*, ideſt (vt vulgò explicatur) eadem ſecundùm terminum, & diuerſa ſecundùm habitudinem. Vulgare omnium exemplum eſt hic terminus *ſanum*; Ita enim eumdem ſanitatis terminum reſpiciunt color, pulſus, *pharmacum*, & *animal ſanum*, vt ſub illo color habeat rationem effectus, pulſus indicis, pharmacum cauſæ, & animal ſubiecti, adeoque diuerſam habeant habitudinem ad ſanitatem. Inter ea verò, quæ dicunt eamdem analogiam, illud denominatur principale analogatum, in ordine ad quod cætera referuntur, cuiuſmodi eſſet *animal*, in ordine ad ea, quæ modò diximus ſana. Nam animal habet intrinſecè ſanitatem, quæ eſt forma, à qua tàm pulſus, quàm color, & pharmacum denominantur ſani.

Analoga proportionis definiuntur ab eodem Caietano ibidem c.3. *Quorum nomen commune eſt, & ratio per nomen ſignificata eſt proportionaliter eadem*. Hæc autem alia ſunt propria, & alia impropria. Propria dicuntur

eſſe

eſſe illa, quæ ita habent commune nomen, & ita proportionaliter participant rationem ſubſtãtiæ, vt in omnibus verè, & propriè illa ratio reperiatur, quæ eſt fundamẽtum proportionis, ſeu porportionalitatis. Cuiuſmodi ſunt fons, & cor, in ratione principij; & ſcaturigo, vnde emanat fluuius, & ſol, vnde procedit lux. Ita enim ſe habent fons ad riuulum, & ſcaturigo ad fluuiũ, quorum ſunt principia, ſicut cor ad venas, & ſol ad lucem, quarum itidem ſunt principia. In quo conſiſtit formaliter ratio proportionis (quæ dicitur ab Euclide lib. 5. def. 3. *mutua habitudo ſecundùm quantitatem duarum magnitudinum eiuſdem generis*) ſeu proportionalitatis, quæ eſt ſecunda proportio, ſeu proportio quaſi reflexa, quæ ſcilicet datur inter ipſas proportiones, vt videre eſt penès eumdem Authorem in quantitate diſcreta, loco nuper citato. Et ideò proportio eſt inter duos terminos, ſi arithmetica ſit, vel inter quattuor, ſi geometrica; & proportionalitas arithmetica inter quatuor, & geometrica inter octo, vt egregriè per totum quintum elementorum librum proſequitur Euclides.

Analoga proportionis impropria ſunt illa, in quibus omnibus non reperitur propriè ratio importata per nomen, ſed in vno propriè, & in alio impropriè, ſeu metaphoricè, vt ſunt pratorum amænitas, & actus ille geſtientis lætitia hominis, qui dicitur riſus. Ita enim vterque dicitur riſus, vt pratorum amænitati huiuſmodi denominatiò tantùm conueniat impropriè, & metaphoricè, illi verò hominis actui propriiſſimè. Videatur Ariſtoteles 3. Rhetor. c. 4. vbi fuſè, & prò dignitate vniuerſam hanc materiam, de more tractauit.

Inter

Inter analoga attributionis, & proportionis, aliqui admittunt etiam alia analoga, quæ ex illorum participatione dicantur mixta; cuiuſmodi dicunt eſse *ens*, quatenùs dicitur de ſubſtantia, & accidente. Nam ex vna parte dicunt ens eſse analogum proportionis, quia ſicut ſubſtantia eſt intrinſecè ens in ſe; ita accidens eſt intrinſecè ens in alio; adeoqe ratio entis proportionaliter participatur ab vtroquè. Ex alia parte eſt analogum attributionis improprium, quia ſola ſubſtantia propriè, & ſimpliciter eſt ens, cùm accidens dicatur entis ens, & extrinſecè ens, vt ait cum Ariſtotele 4. met. t. 2. Caietanus de analogiſ. c. 1. adeoque eſt impropriè ens, ſicut priuatio, & negatio. Ex quo inferùnt, accidens, & ſubſtantiam, ſub nomine entis, habere analogiam mixtam.

His demùm omnibus addit Caietanus ibidem ex S. Thom. p p. diſt. 19. q. 15. ar. 2. analoga inæqualitatis, quæ ait eſse illa, quæ inæqualiter participant rationem importatam per nomen commune, vt ait eſse *animal*, reſpectu *hominis*, & *equi*. Nam *homo*, & *equus* inæqualiter participant rationem *animalis*, cùm ille ſit perfectius animal, quàm hic.

Ex his omnibus analogorum generibus ſola analoga proportionis, cenſentur à multis ſimpliciter analoga. S. quidem analoga attributionis, intantùm dicuntur analoga, inquantũ includũt analogiã proportionis in habitudinibus, cui ſuperaddunt vniuocationem in termino, quem reſpiciunt. Hoc autem probant, quia tota analogia prouenit, non ex obiecto, ſed ex imperfectione conceptus in illud tendentis. Intantùm enim dicimus e. g. amænitatem pratorum habere analogiã

cum

cum riſu, inquantùm propter imperfectionem noſtri intellectus non poſsumus cognoſcere vltimas differentias, & indiuiduationes vtriuſque, adeoque confundimus vnum cum alio. In hac igitur confuſione conceptus ſita eſt vniuerſa analogia, æquiuocatio, ſeu vniuocatio. Nam ſi per illam apparet tantùm ſimilitudo inter ipſa obiecta, formamus de illis conceptum vniuocum; Si tantùm apparet diſſimilitudo, æquiuocum; & ſi ſimilitudo mixta cum aliqua diſſimilitudine, formamus analogum. Et ſicut aliqua pictura rudis repræſentat æqualiter duo, quæ ab alia repræſentantur inæqualiter; Ita aliqua analoga, à ſuis inferioribus participantur æqualiter, vt eſt ratio *accidentis* reſpectu *quantitatis*, & *qualitatis*, quarum neutra magis, aut minus inhæret ſubſtantiæ, quàm alia; & dantur analoga, quæ participantur inæqualiter, vt eſt ratio *entis* reſpectu *ſubſtantiæ*, & *accidentis*, ſeu reſpectu *Dei*, & *creaturæ*, interquos D. Tho. ait, dari analogiam 1. con. Gen. c. 34. & 1. p. q. 13. ar. 5. propter hanc rationem, quia alioquin nihil poſſemus de Deo probare, eò quòd ſemper æquiuocaremus, & per conſequens non poſſemus *inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpicere*, vt dicitur ad Rom. c. 1.

His ita ſtatutis, aiunt, rationem communem analogi, vt ſic non verificari vniuocè de ſuis inferioribus, vt videre eſt in analogis attributionis, & proportionis, ſed ſolùm analogicè, eò quòd diuerſimodè de illis verificetur. Hoc autem probant, quia de analogis attributionis verificatur per hoc, quòd habeant eumdem terminum, & diuerſas ad illum habitudines, ſub eodē nomine, vt dictum eſt de termino *ſanum*; De Analogis

gis verò proportionis verificatur per eamdem planè indiuiſibilem rationem,per quam ita imperfectè conueniunt, vt imperfectè etiam diſconueniant. Siquidem eadem eſt ratio principij, ſiue applicetur cordi in ordine ad venas, ſiue fonti in ordine ad riuulos. Non enim putant abſurdum, quòd eadem indiuiſibilis ratio ſit cauſa conuenientiæ, & diſconuenientiæ in eodem. Nā eadem aqua tepida, quæ eſt imperfectè calida,&facit vt aqua ſit ſimilis calidæ,eſt etiā imperfectè frigida, & facit vt eadem aqua ſit diſſimilis calidæ.

In hac ergò ſententia, analoga attributionis, cùm ſint nomina concreta, important tamquam formam denominantem, & magis principaliter ipſum terminum; & habitudinem, ſeu connexionem ad ipſum, tamquam ſubiectum; vt patet in termino *ſanum*, in quo ſanitas, quæ eſt terminus, importatur vt forma denominans; Et connexio, ſeu habitudo, quam habent ad illam color, medicina, & animal, importatur vt minus principalis. Sicut in concretis *veſtitus*, & *armatus*, veſtes,& arma importantur vt forma,& circumadiacentia, ſeu connexio illorum cum ſubiecto, importatur vt minus principaliter. Numericam igitur analogorum diſtinctionem ab inuicem, non deſumunt hi auctores ex termino,ſed ex ipſis habitudinibus. Ratio eſt,quia ad rationem diſtinctiui,nō requiritur quòd ſit forma, ſeu aliquid principalius importatum; cùm, cæna diſtinguatur à prandio per tempus veſpertinum importatum vt minùs principale, & in obliquo, reſpectu comeſtionis. Ita etiam *cognoſcens*, & *cognitum* important principaliùs cognitionem, & tamen inter ſe diſtinguuntur, per diuerſas ad illam habitudines.

ARTI-

ARTICVLVS TERTIVS.

Reijciuntur prædictæ ſententiæ. Et ſtatuitur quid ſit dicendum de Analogis.

PRrima concluſio, *Non dantur analoga inæqualitatis, ſeu proportionis.* Probatur primò ad hominem contra Caietanum, quia quamuis homo ſit perfectius animal, quàm equus, non tamen inæqualiter, ſeu proportionaliter participat rationem animalis. Ergo non verificatur de illo, quatenùs ſubſtat communi huic nomini, definitio talium analogorum. Probatur antecedens, quia ratio animalis, formaliter importata per tale nomen, nihil aliud eſt formaliter, quàm principium ſentiendi, & motus progreſſiui. Hoc autem eodem modo conuenit homini atque conueniat equo; alioquin non eſſet genus proximum, reſpectu vtriuſque. Ergo homo, & equus participant eodem modo rationem animalis. Quare tota perfectio hominis ſupra equum, habetur ex differentia, à qua formaliter genus præſcindit. Et ideo ſub ratione generica animalis vt ſic, homo, & equus æqualiter, adeoquè vniuocè conueniunt.

Probatur ſecundò, quia alioquin nullum daretur vniuocum. Si enim quæcunque diuerſitas, tolleret vniuocationem, nullum poſſet inueniri nomen pluribus cõ-

mune,

mune, quod non ſignificaret aliquam rationem, proportionaliter tantum, ſeu inæqualiter participatam ab inferioribus; adeoque, quod reſpectu illorũ eſſet vniuocum. Probo ſequelam; Hæc ratio vel eſſet generica, vel ſpecifica? Si primum, Ergo non haberet alia inferiora, quàm ſpecies inter ſe differentes, quarum vna ſit perfectior alia. Et per conſequens ſi quæcumque diuerſitas in eſsendo, quæ reperiatur in ipſis inferioribus, conſtitueret peculiare genus analogiæ omnia genera eſſent analoga, quia prædicarentur de ſpeciebus inter ſe diuerſiſſimis. Hoc idẽ contingeret, ſi dicatur, hãc rationem eſſe ſpecificam. Nam ea, quæ ſub eadẽ ſpecie differũt numerò, ſunt etiã inter ſe ſe diuerſa, quoad perfectiones indiuiduales, in quarum diuerſitate fundatur diſtinctio numerica. Ergo etiam ipſa ſolũ inæqualiter, & cum proportione conuenirent ſub ratione illa ſpecifica communi; adeoque omnes ſpecies eſsent analogæ. Probatur aſsumptum, nam ſicut homo eſt vna ſpecies animalis equo perfectior; Ita Petrus eſt vnum hominis iudiuiduum perfectius Paulo. Et ideo neque animal eſset vniuocum reſpectu hominis, & equĩ, neque homo vniuocè predicaretur de Petro, & Paulo.

Secunda concluſio, *Non dantur analoga mixta*. Probatur primò, quia omnia ea, quæ dicuntur analoga mixta, ſunt vniuoca, vt probabimus, cùm ſtatuemus, ens eſſe vniuocum. Ergo &c. Secundò, quia eſt impoſſibile, dari analoga reſultantia ex analogis attributionis, ſi hæc non dentur; ſicut eſt impoſſibile, fieri mulum, nullo exiſtente tàm equo, quàm aſino. Sed probauimus, non dari analoga proportionis, & attributionis. Ergo neque dantur mixta.

Ter-

Tertia concluſio, *Non dantur analoga attributionis*. Probatur, quia ad rationem formalem talium analogorum, requiritur, quòd plura eodem nomine ſignificentur, ſub ratione partim eadem, & partim diuerſa. Sed hoc eſt impoſſibile. Ergo eſt impoſſibile, dari huiuſmodi analoga. Maior patet ex definitione. Minor probatur, quia nomine rationis per nomen expreſsæ, vel intelligitur ratio formalis, vel obiectiua? Si primũ, cùm hæc ſit ſpiritualis, eo quòd nihil ſit aliud, quàm conceptus, eſt omnino indiuiſibilis. Non ergo poteſt eſse partim eadẽ, & partim diuerſa, quia nullas habet partes. Si ſecundũ; Vel hæc ratio obiectiua accipitur materialiter, vt eſt in ſe, vel formaliter, vt expreſsa per tale nomen? Si accipiatur materialiter, ea quæ veniunt ſub nomine *ſanum* (quod eſt exemplum talium analogorum) nullo modo ſunt idem. Quomodo enim medicina eſt idem cum pulſu, & hic cum colore, & color cum animali? Si ſecundum, cùm omnis reduplicatio habeatur per conceptum, conſiderantem in obiecto vnam formalitatem, & non aliam, eo ipſo quòd conceptui conuenire non poſſit partim, & partim, neque poterit per illum ſaluari huiuſmodi definitio talium analogorum, quæ ſemper inuoluit partes impercæptibiles, & repugnantes.

Quarta concluſio, *Nullum datur analogum medium inter vniuocum, & æquiuocum*. Probatur, quia omnia ea, quæ habent commune nomen, vel habent ſub illo eamdem rationem ſubſtantiæ, vel non? Si primum, ſunt vniuoca. Si ſecundum, ſunt æquiuoca. Ergo media inter hæc non dantur.

Dices, Non valet hæc conſequentia, *Homo vel eſt*

principium ſenſitiuum, & eſt brutum; vel diſcurſiuum, & eſt Angelus, in ſententia Porphyrij. Ergo non datur animal rationale medium inter Angelum, & bruta. Non valet, inquam, quia homo includit vtramque rationē ſimul, ſenſitiui, & diſcurſiui. Ergo neque valet de analogis, quæ ſimul includunt rationem vniuocorum, & æquiuocorum. Nam ſub eodem nomine & conueniunt, vt vniuoca, & diſconueniunt, vt æquiuoca.

Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia ratio ſenſitiui, nō opponitur cōtradictoriè ad rationem diſcurſiui, etiam in ſententia Porphyrij, ſed ſolùm opponuntur relatiuè, tanquam genus, & differentia; ideoque bene poſsunt in eadem ſpecie media copulari. Diſpar autem eſt ratio de analogis, reſpectu vniuocorum, & æquiuocorum. Siquidem de ijs argumentum noſtrum procedit per membra contradictoria, qualia ſunt *vel habent eamdem rationem ſubſtantiæ, vel non habent.* Sicut ergo de ijſdem verificari non poſsunt *habere, & non habere*, neque poterit verificari ratio analogiæ, media inter rationem vniuocam, & æquiuocam, quarum prima dicat habere eamdem rationem, & ſecunda dicat eamdem non habere.

Neque obſtat, quòd Ariſtoteles, & communiter ab omnibus ferè Philoſophis admittantur analoga. Non enim proinde nos illa negando, à communi recedimus ſenſu Philoſophorum. Ratio eſt clara, quia Ariſtoteles, & alij non admiſere analoga, vt media inter vniuoca, & æquiuoca, ſed ſolùm vt talia, quæ ſub vno conceptu reducantur ad vniuoca, & ſub alio ad æquiuoca. In hoc autem ſenſu, etiam nos admittimus analoga, tamquam nullatenùs ijs, quæ diximus aduerſantia. Quòd

an-

autem ita fuerint admiſſa ab Ariſtotele, probatur ex eo, quia æquiuocationes diuiſerit, locis ſupra citatis, in eas, quæ ſunt multùm diſtantes, & in eas, quæ ſunt parùm diſtantes, & habent aliquam ſimilitudinem. Ergo non admittit analoga media, alioquin æquiuocationes habentes ſimilitudinem, appellaſſet analoga. Præterea vbicunque Ariſtoteles locutus eſt de analogis, ſemper inculcauit, ea, quæ habent idem nomen, & ſub illo non habent eamdem omninò rationem, eſſe æquiuoca, ſicut econtrariò quę habẽt eamdem omninò rationem, eſſe vniuoca. Ergo illa non admiſit, niſi vt reducibilia diſiunctiuè ad vniuoca, vel æquiuoca.

Dices, Poſſunt reduci diſiunctiuè vel ad vniuoca, vel ad æquiuoca. Ergo habent conuenientiam, per quam reducantur ad vniuoca, & diſconuenientiam, per quam reducantur ad æquiuoca. Ergo ſunt aliquid medium inter hæc duo.

Nego poſtremam conſequentiam. Ad hoc enim, vt ſint analoga media, debent habere non ſolùm conuenientiam, & diſconuenientiam obiectiuam, quales habent analoga analogata ſpecificatiuè, & materialiter ſumpta, ſed etiam formalem, quæ dicitur ratio ſubſtantiæ partim eadem, & partim diuerſa. Cùm ergo hanc non habeãt, neque ſunt formaliter analoga. Quare poſſet diſtingui etiam primum conſequens. Habent conuenientiam, & diſconuenientiam obiectiuam, concedo: formalem, nego conſequentiam. Ex qua non infertur ſecunda conſequentia à nobis negata, ſolùm connexa cum veritate partis negatæ.

Vrgebis, Omnia vniuoca vniuocata, & æquiuoca æquiuocata habent has conuenientiam, & diſconue-

nientiam obiectiuam, per quas poſſint reduci modò ad vniuoca, & modò ad æquiuoca. Ergo omnia permiſcentur in vnum, & nullum datur vniuocum diſtinctum ab æquiuoco.

Diſtinguo conſequens ſi loquamur de vniuocatis, & æquiuocatis materialiter, & ſpecificatiuè ſumptis, concedo: Si de vniuocatis, & æquiuocatis formaliter, & reduplicatiuè ſumptis, nego conſequentiam. Ratio eſt, quia cùm eſſe vniuocum, vel æquiuocum ſit aliquid rebus omninò extrinſecum, & accidentale, non eſt mirum, ſi poſſit modò illis conuenire, & modò non conuenire. Eſt enim omninò per accidens, quòd fuerit impoſita hæc vox *homo*, quæ eodem modò applicetur Petro, & Paulo, cùm potuerit inſtitui alia vox, quæ diuerſimodè ſingulis applicaretur.

Ex quo patet, quomodo dicatur analoga ratio *prædicabilis vt ſic*, vt vidimus in libro 2., quia videlicet ibi eſt ſermo de ratione obiectiua, ideſt de ijs, quæ dicuntur Prædicabilia ex parte obiecti, & materialiter ſumptis. Hæc autem poſſunt concipi, modò ſub conceptu *animalis*, & ſunt vniuoca; Et modò ſub conceptu *canis*, & ſunt æquiuoca; & ideo dicuntur analoga, quamuis non ſint media inter illa aſſignata. Formaliter verò, prout exprimuntur hoc nomine *Prædicabilis vt ſic*, ſunt vniuoca, & ideo ſunt formaliter Genus, vt inibi dictum eſt.

Quòd ſi aliquis miretur, nos admittere analoga ſolùm ſecundùm dici, illa verò re ipſa negare, Reſpondeo quòd ſicut Nominales, & tot alij nobiliſſimi Philoſophi, admittentes relationem predicamentalem, identificatam cum fundamento, & termino, admittunt

ita

ita relationem, vt nihil tamen concedant medium inter ea, quæ referuntur. Ità & nos admittendo analoga, diſiunctiuè identificata vel cum vniuocis, vel cum æquiuocis, non admittimus aliquod tertium, medium inter illa, ab vtriſque diſtinctum.

ARTICVLVS QVARTVS.

An ens ſit vniuocum?

DIuus Thomas quæſt. 7. de pot. ar. 8. Aureol. apud Capreol. in 1. diſt. 2. & communiter Thomiſtæ ex Ariſt. 3. met. t. 10. & 8. met. t. 16. & 4. topic. loco 5. & præcipuè 4. met. c. 2. vbi hæc habet *Ens multipliciter dicitur, ſed totum ad vnum principium. Quædam enim, quoniam ſubſtantiæ, entia dicuntur, quædam, quoniam paſſiones ſubſtantiæ, quædam quoniam via ad ſubſtantiam, aut corruptiones, aut priuationes, aut qualitates, aut effectiua, aut generatiua ſubſtantiæ*; ex his, inquam, alijſque Ariſtotelis locis, inferunt, ens eſſe analogum. Contra verò Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 3. art. 2. & cum eo communiter Scotiſtæ, Nominales, cum plurimis Recentioribus, aiunt, ens eſſe vniuocum. Omnium luculentiſſimè, & fuſiſſimè proſequitur hanc materiam Arriaga per totam diſputationem 11. logicæ.

Obſeruandum primò, quodlibet obiectum poſſe terminare diuerſas cognitiones, quarum vna ſit adæquata, & alia inadæquata. Cognitio adæquata eſt illa, quæ

nientiam obiectiuam, per quas poſſint reduci modò ad vniuoca, & modò ad æquiuoca. Ergo omnia permiſcentur in vnum, & nullum datur vniuocum diſtinctum ab æquiuoco.

Diſtinguo conſequens ſi loquamur de vniuocatis, & æquiuocatis materialiter, & ſpecificatiuè ſumptis, concedo: Si de vniuocatis, & æquiuocatis formaliter, & reduplicatiuè ſumptis, nego conſequentiam. Ratio eſt, quia cùm eſſe vniuocum, vel æquiuocum ſit aliquid rebus omninò extrinſecum, & accidentale, non eſt mirum, ſi poſſit modò illis conuenire, & modò non conuenire. Eſt enim omninò per accidens, quòd fuerit impoſita hæc vox *homo*, quæ eodem modò applicetur Petro, & Paulo, cùm potuerit inſtitui alia vox, quæ diuerſimodè ſingulis applicaretur.

Ex quo patet, quomodo dicatur analoga ratio *prædicabilis vt ſic*, vt vidimus in libro 2., quia videlicet ibi eſt ſermo de ratione obiectiua, ideſt de ijs, quæ dicuntur Prædicabilia ex parte obiecti, & materialiter ſumptis. Hæc autem poſſunt concipi, modò ſub conceptu *animalis*, & ſunt vniuoca; Et modò ſub conceptu *canis*, & ſunt æquiuoca; & ideo dicuntur analoga, quamuis non ſint media inter illa aſſignata. Formaliter verò, prout exprimuntur hoc nomine *Prædicabilis vt ſic*, ſunt vniuoca, & ideo ſunt formaliter Genus, vt inibi dictum eſt.

Quòd ſi aliquis miretur, nos admittere analoga ſolùm ſecundùm dici, illa verò re ipſa negare, Reſpondeo quòd ſicut Nominales, & tot alij nobiliſſimi Philoſophi, admittentes relationem predicamentalem, identificatam cum fundamento, & termino, admittunt ita

ita relationem, vt nihil tamen concedant medium inter ea, quæ referuntur. Ita & nos admittendo analoga, diſiunctiuè identificata vel cum vniuocis, vel cum æquiuocis, non admittimus aliquod tertium, medium inter illa, ab vtriſque diſtinctum.

ARTICVLVS QVARTVS.

An ens ſit vniuocum?

Diuus Thomas quæſt.7. de pot. ar.8. Aureol. apud Capreol. in 1. diſt. 2. & communiter Thomiſtæ ex Ariſt.3. met. t.10. & 8. met.t.16.& 4. topic. loco 5. & præcipuè 4. met.c.2. vbi hæc habet *Ens multipliciter dicitur, ſed totum ad vnum principium. Quædam enim, quoniam ſubſtantiæ, entia dicuntur, quædam, quoniam paſſiones ſubſtantiæ, quædam quoniam viæ ad ſubſtantiam, aut corruptiones, aut priuationes, aut qualitates, aut effectiua, aut generatiua ſubſtantiæ*; ex his, inquam, alijſque Ariſtotelis locis, inferunt, ens eſſe analogum. Contra verò Scotus in 1. diſt.3. quæſt.3. art.2. & cum eo communiter Scotiſtæ, Nominales, cum plurimis Recentioribus, aiunt, ens eſſe vniuocum. Omnium luculentiſſimè,& fuſiſſimè proſequitur hanc materiam Arriaga per totam diſputationem 11. logicæ.

Obſeruandum primò, quodlibet obiectum poſſe terminare diuerſas cognitiones, quarum vna ſit adæquata,& alia inadæquata. Cognitio adæquata eſt illa, quæ

adæquat obiectum, hoc eſt, quæ cognoſcit totum obiectum, & in ordine ad omnes perfectiones, & prædicata, quę habet, cuiuſmodi eſt cognitio comprehenſiua. Cognitio inadæquata eſt illa, quæ vel cognoſcit ſolum partem obiecti, & dicitur pręciſiua obiectiuè, vel quamuis cognoſcat totũ obiectum, non tamen illud cognoſcit totaliter, ideſt ſecundùm totam eius cognoſcibilitatem, & dicitur præciſio formalis, eo quod illud obiectum ita confusè cognoſcat, vt non certificet de omnibus, & ſingulis prædicatis, & perfectionibus illius, adeoque videtur quodammodo obiecta præſcindere.

Obſeruandum ſecundò, ens vt ſic diuidi adæquatè in ſubſtantiam, & accidens. Subſtantia, quia per ſe ſubſiſtit, dicitur in abſtracto *perſeitas*; Et accidens, quia alteri inexiſtit, videlicet ſubſtantiæ, dicitur *inaleitas*. Et hæ dicuntur formalitates inferiores entis.

Vnica concluſio, *Ens eſt vniuocum*. Probatur, quia ea, quæ veniunt ſub conceptu entis, videlicet perſeitas, & inaleitas, ita habent hoc nomen entis commune, vt ſub illo habeant rationem ſubſtantiæ omninò eamdem. Ergo de illis verificatur definitio vniuocorum. Probatur antecedens, quia conceptus entis, ſiue applicetur ſubſtantiæ, ſiue accidenti, ſemper eſt idem. Semper enim exprimit aliquid contradiſtinctum à puro nihilo, & ab omni ente chimærico, nam *ens vt ſic* ſignificat aliquid, quod vel exiſtit, vel poteſt exiſtere. Sicut ergo ea, quæ veniunt ſub conceptu animalis, ſunt vniuoca, ita ea, quæ veniunt ſub conceptu entis, eò quòd tàm illa, quàm hæc exprimantur eodem omnino conceptu. Non minùs enim *ens* pręſcindit formaliter à *perſeitate*, & *inaleitate*, quàm *animal* à *rationalitate*,

& ir-

& *irrationalitate*.

Obijcies primò, Si ens eſſet vniuocum, eſſet genus. Conſequens non admittitur ab Ariſt. 3. met. t. 10. Ergo neque antecedens. Quòd autem ens non poſſit eſſe genus, probatur, quia cùm genus ſit pars ſpeciei, debet limitari, & contrahi ab aliqua differentia inferiori. E. g. animal, quod eſt genus reſpectu leonis, & equi, limitatur, & contrahitur à rugibilitate ad leonem, ab hinnibilitate ad equum &c. quæ non ſunt formaliter animal. Reſpectu autem entis vt ſic nihil poteſt aſſignari, quod habeat rationem differentiæ, quia quidquid aſſignetur, eſt formaliter ens. Ergo ens non eſt genus, & per conſequens non eſt vniuocum.

Secundò, Si ens eſſet vniuocum, daretur aliqua ratio communis Deo, & creaturis. Sed hoc eſt falſum, & vt tale reijcitur communiter à Sanctis Patribus. Ergo ens non eſt vniuocum.

Tertiò, Differentiæ entis non præſcindunt formaliter ab ente, cùm de omnibus verificetur, quòd ſint formaliter ens. Ergo ens non præſcindit formaliter ab illis, & per conſequens non eſt vniuocum, reſpectu illarum. Probatur conſequentia, quia, vt habetur ex 4. met. c. 2. omne vniuocum debet dicere aliquam naturam communem multis. Hoc autem non poteſt fieri, niſi ipſum vniuocum, per formalem aliquam præciſionem, fiat vnum aptum eſſe in multis. Cùm ergo hoc enti non conueniat, quod ab inferioribus non præſcinditur, neque illi conuenit, eſſe vniuocum.

Quartò, Ens non eſt vniuocum, reſpectu decem prædicamentorum. Ergo neque reſpectu inaleitatis, & perſeitatis, quæ adæquatè diuidunt prędicamenta. Pro-

batur antecedens, quia prædicamenta non conueniunt in aliqua natura omnibus communi, vt habetur ex 12. met. c.4. ſicut eſſet neceſſarium ad rationem vniuoci. Ratio eſt, quia ſi conuenirent in tali natura, deberet in illa vnum differre ab alio, propter differentias proprias particulares, alioquin eſſent vnum tantùm prædicamentum. Sed eſt impoſſibile, quòd detur differentia, in ratione formali entis, eò quòd omnia ſunt ens. Ergo non conueniunt vniuocè, ſed conſtituunt decem ſumma genera, quorum nullum alteri ſubordinatur. Et ideo prædicamenta dicuntur naturæ ſimplices, & non compoſitæ ex genere, & differentia, vt habetur ex 8. met. c.5. t.16. Hoc tamen non tollit eorum diſtinctionem, ſiue diuerſitatem, eo quòd in nullo conueniant, vt dicitur 5. met. c.7. t.12.

Quintò, Subſtantia, & accidens ita conueniunt ſub ratione entis, vt etiam ſub illa differant, non enim ſunt entia eodem modo, cùm vnum ſit ens per ſe, & aliud ens in alio. Ergo ſunt analoga.

Sextò, Differentiæ entis, ſub ratione entis, conueniunt, & diſconueniunt, ſicut pulſus, color, & medicina, ſub nomine ſani. Ergo ſicut hæc ſunt analoga, ita & illæ.

Ad primum concedo ſequelam maioris. Ad cuius probationem dico, verum quidem eſſe, genus ſubalternum, ſeu medium debere eſſe aliquid contrahibile per differentias inferiores, eò quòd cùm habeat rationem ſpeciei in ordine ad ſuperiora, habet per conſequens, in ordine ad illa, rationem partis. Sed pars dicit eſſentialiter compartem, à qua diſtinguitur. Ergo debet habere aliquid, per quod formaliter diſtinguatur à reli-

à reliquis compartibus illius rationis ſuperioris, quod eſt differentia. Hoc autem non militat de genere generaliſſimo, quod cùm ſit omnium ſupremum, non includitur in aliqua ratione ſuperiori, à qua diſtinguatur per aliquam differentiam peculiarem. Ariſtoteles ergo quando negauit, ens eſſe genus, locutus eſt de genere ſubalterno, quod eſt vnum peculiare genus, non autem de ſupremo, quod eſt genus generaliſſimum, & in ordine ad quod omnia alia dicuntur genera. Quare ſenſus Ariſtotelis eſt, quòd ens non ſit aliquod genus peculiare, ſicut ſunt alia, non autem quòd nullo modo ſit genus. Hoc autem euidenter colligitur ex.11. met.c. 1. vbi ait, *Omnis ſcientia vniuerſalium, non vltimorum eſt. Quare ſic erit vtique primorum generum. Hæc autem ſanè fuerint ens, & vnum*; vbi vocat ens, & vnum primora genera, ſeu vniuerſaliſſima.

Dices, Si ens eſſet genus, non fuiſſet excluſum à linea prædicamentali. Ergo non eſt genus. Nego maiorem, Primò quia in linea illa prædicamentali, ponuntur communiter cum Porphirio tantùm ea, de quibus datur propriè, & rigoroſè ſcientia. Scientia autem propriè, & rigoroſè non datur, niſi de ſubſtantia, & ideo ab illa incæpta eſt linea, in qua omnia alia prædicamenta conſiderantur in ordine ad ſubſtantiam, vel cum ſubſtantia, vt eius effectus, proprietates &c. Secundò, quia in tantùm ens non ponitur in tali linea, in quantùm communiter cenſetur analogum, & non vniuocum. Nullum autem eſt abſurdum, quòd illud ponatur in linea prædicamentali, poſito quòd cenſeatur vniuocum, vt fecimus nos in Organo philoſophico. Neque obſtat, quòd ens immediatè diuidatur in ens per

ſe, &

e, & ens in alio, de quo non datur ſcientia; nam adhùc de illo verificatur, quòd ſit prædicabile de pluribus differentibus ſpecie in quid, & per conſequens, quòd ſit genus. Nam poteſt de illo dari ſcientia, ſaltem indirectè, & immediatè, videlicet vel per ſubſtantiam, vel in ordine ad ſubſtantiam, vt nuper diximus de prædicamentis in alio.

Ad ſecundum, diſtinguo maiorem, daretur ratio vniuoca, communis Deo, & creaturis, quæ æqualiter participetur ab omnibus, nego, quæ inæqualiter tantùm participetur, concedo maiorem. Et eodem modo diſtincta minori, nego conſequentiam. Quamuis enim tàm Deus, quàm creatura ſint ens, ille tamen eſt ens à ſe, & hæc ens ab alio, adeoque ſub iſta ratione formali, adhùc maximè inter ſeſe differunt. Deinde diſtinguo aliter eamdem maiorem, daretur aliqua ratio obiectiuè communis Deo, & creaturis, nego; Formaliter ſolùm communis, concedo maiorem; Et diſtinguo eodem modo minorē, negatur à S.S.Patribus ratio obiectiuè communis, concedo, formaliter communis, nego minorem, & cum illa conſequentiam.

Ad tertium, Nego conſequentiam; Non enim omnis formalis præciſio alicuius rationis ſuperioris ab inferioribus, eſt præciſio mutua. Nam bene poſſum intelligere quid ſit *animal*, abſque eo quòd intelligam quid ſit *homo*, adeoque *animal* præſcindit formaliter ab *homine*; non tamen poſſum intelligere quid ſit *homo*, abſque eo quòd intelligam quid ſit *animal*; atque adeo *homo* formaliter non præſcindit ab *animali*. Quamuis igitur differentiæ entis non præſcindant ab ente, non tamen ſequitur, quòd ens non præſcindat formali-

maliter a differentijs. Vnde cadit probatio conſequentiæ illatæ contra entis vniuocationem in argumento.

Neque obſtat, quòd ratio entis inuoluatur formaliter in differentijs. Aliud enim eſt quòd ens inuoluatur, & aliud quòd inuoluat differentias. Primum conceditur,& ideo non admittitur præciſio differentiarum ab ente; Et negatur ſecundum;Et ideo admittitur præciſio entis à differentijs.

Ad quartum, nego antecedens. Ad cuius probationem nego ſuppoſitum. Dico ſiquidem, omnia prædicamenta conuenire in hoc, quòd vel ſint, vel poſſint exiſtere, adeoque contradiſtingui à puro nihilo. Non eſt autem abſurdum, quòd habeant in hoc differentias peculiares, vt vidimus in reſponſione ſecundi. Neque obſtat, quòd prædicamenta dicantur naturæ ſimplices, hoc enim non excludit compoſitionem quamcumque ex genere, & differentia, ſed ſolùm compoſitionem mutuam, qua vnum includatur in alio, eo modo, quo in 1. de gener. elementa dicuntur corpora ſimplicia, non quia excludãt quamlibet compoſitionem ex actu, & potentia,ſed quia non ſe inuicem componant,vt patet ex textu.

Ad quintum, diſtinguo antecedens ſubſtantia,& accidens conueniunt,& differunt obiectiuè in ratione entis,nego:conueniunt formaliter, & differunt obiectiuè, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Quòd autem formaliter ſolùm conueniant, & obiectiuè ſolùm differant, patet, quia formaliter conceptus entis eſt exiſtentia vel actualis,vel poſſibilis,& hęc eodẽ modo conuenit ſubſtantiæ, & accidenti; Obiectiuè autem ſub-

ſubſtantia, per ſe ſubſiſtit, & accidens ſolùm in alio, quę omninò differunt.

Vnde patet etiam reſponſio ad ſextum. Nam perſeitas, & maleitas, quæ obiectiuè differunt inter ſeſe, ſub ratione formali entis conueniunt, & non differunt.

DISPVTATIO II.

De Prędicamentis in genere.

ARTICVLVS VNICVS.

An fuerint benè diuiſa prædicamenta? Vbi de regulis antepr ædicamentalibus.

AD tractationem de prædicamentis, duas præmittit regulas Ariſtoteles c. 3. & 4. quas vocat antepr ædicamentales. Prima eſt, *quando vnum de altero prędicatur* (intellige prædicatione eſſentiali) *quæcunque de prædicato dicuntur, etiam de ſubiecto dicuntur*. E.g. quando dicitur, *Petrus eſt homo*, non eſt vera propoſitio, niſi conueniat Petro totum illud, quod conuenit homini; atque adeo cùm homo ſit *viuens, animal, corpus*, &c. etiam Petrus erit talis. Altera eſt *diuerſorum generum non ſubalternatim poſitorum, diuerſa*

uerſæ ſunt ſpecies, *& differentiæ*; *Generum verò ſubalternatim poſitorum*, *nihil prohibet eaſdem eſſe differentias*. Quare ea omnia prædicamenta, quæ ſubordinantur ad inuicem, diſtinguuntur inter ſe per diuerſas differentias, cuiuſmodi ſunt *ſubſtantia*, *& qualitas*. Nam ſpecies contentæ ſub illa e.g. ſub *animali* ſunt *greſſibile*, *bipes*, *volatile*, &c. Species autem contentæ ſub qualitate e.g. ſub *ſcientia* ſunt *mathematica*, *phyſica*, *metaphyſica*, &c. Ea verò, quæ ſubordinantur ad inuicem, poſſunt etiam habere communes aliquas differentias. Et ideo eędem differentiæ animalis, quas nuper attulimus, ſunt etiam differentiæ viuentis, cui ſubordinatur animal. Hoc autem fit ex vi primæ regulæ, eo quòd ſubalternatum habeat rationem ſubiecti, reſpectu ſubalternantis. Et ideo quidquid conuenit huic, debet illi etiam conuenire. Hoc poſito, quæritur primò quot ſint prædicamenta, & quæ? Ariſtoteles c.5. ita breuiſſimè, appoſitis exemplis, deſignat omnia, & ſingula prædicamenta, 1. *Subſtantia*, vt *homo*, *equus*. 2. *quantum*, vt *bicupitum*, *tricupitum*. 3. *Quale*, vt *album*, *grammaticum*. 4. *Ad aliquod*, vt *duplum*, *dimidium*. 5. *Vbi*, vt *in foro*, *in Lycæo*. 6. *Quando*, vt *heri*, *anno Superiore*. 7. *Situm eſſe*, vt *iacet*, *ſedet*. 8. *Habere*, vt *calceatum*, vel *armatum eſſe*. 9. *Agere*, vt *ſecare*, *vrere*. 10. *Pati*, vt *ſecari vri*. Horum autem ſingulorum ſufficientes attulimus definitiones in organo phyloſ. libr.1. art.3. Et ideo non eſt opus eas hìc repetere. Quæremus ergo ſecundò, an bene fuerit diuiſa ab Ariſtotele vniuerſa iſthæc prædicamentorum ſeries in has 10. claſſes aſſignatas?

Priuſquam ſoluamus difficultatem, obſeruãdum eſt, diuer-

principium ſenſitiuum, & eſt brutum; vel diſcurſiuum, & eſt Angelus, in ſententia Porphyrij. Ergo non datur animal rationale medium inter Angelum, & bruta. Non valet, inquam, quia homo includit vtramque rationē ſimul, ſenſitiui, & diſcurſiui. Ergo neque valet de analogis, quæ ſimul includunt rationem vniuocorum, & æquiuocorum. Nam ſub eodem nomine & conueniunt, vt vniuoca, & diſconueniunt, vt æquiuoca.

Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia ratio ſenſitiui, nō opponitur cōtradictoriè ad rationem diſcurſiui, etiam in ſententia Porphyrij, ſed ſolùm opponuntur relatiuè, tanquam genus, & differentia; ideoque bene poſſunt in eadem ſpecie media copulari. Diſpar autem eſt ratio de analogis, reſpectu vniuocorum, & æquiuocorum. Siquidem de ijs argumentum noſtrum procedit per membra contradictoria, qualia ſunt *vel habent eamdem rationem ſubſtantiæ, vel non habent*. Sicut ergo de ijſdem verificari non poſſunt *habere, & non habere*, neque poterit verificari ratio analogiæ, media inter rationem vniuocam, & æquiuocam, quarum prima dicat habere eamdem rationem, & ſecunda dicat eamdem non habere.

Neque obſtat, quòd Ariſtoteles, & communiter ab omnibus ferè Philoſophis admittantur analoga. Non enim proinde nos illa negando, à communi recedimus ſenſu Philoſophorum. Ratio eſt clara, quia Ariſtoteles, & alij non admiſere analoga, vt media inter vniuoca, & æquiuoca, ſed ſolùm vt talia, quæ ſub vno conceptu reducantur ad vniuoca, & ſub alio ad æquiuoca. In hoc autem ſenſu, etiam nos admittimus analoga, tamquam nullatenùs ijs, quæ diximus aduerſantia. Quòd

am-

autem ita fuerint admiſſa ab Ariſtotele, probatur ex eo, quia æquiuocationes diuiſerit, locis ſupra citatis, in eas, quæ ſunt multùm diſtantes, & in eas, quæ ſunt parùm diſtantes, & habent aliquam ſimilitudinem. Ergo non admittit analoga media, alioquin æquiuocationes habentes ſimilitudinem, appellaſſet analoga. Prętera vbicunque Ariſtoteles locutus eſt de analogis, ſemper inculcauit, ea, quæ habent idem nomen, & ſub illo non habent eamdem omninò rationem, eſſe æquiuoca, ſicut econtrariò quę habēt eamdem omninò rationem, eſſe vniuoca. Ergo illa non admiſit, niſi vt reducibilia diſiunctiuè ad vniuoca, vel æquiuoca.

Dices, Poſſunt reduci diſiunctiuè vel ad vniuoca, vel ad æquiuoca. Ergo habent conuenientiam, per quam reducantur ad vniuoca, & diſconuenientiam, per quam reducantur ad æquiuoca. Ergo ſunt aliquid medium inter hæc duo.

Nego poſtremam conſequentiam. Ad hoc enim, vt ſint analoga media, debent habere non ſolùm conuenientiam, & diſconuenientiam obiectiuam, quales habent analoga analogata ſpecificatiuè, & materialiter ſumpta, ſed etiam formalem, quæ dicitur ratio ſubſtantiæ partim eadem, & partim diuerſa. Cùm ergo hanc non habeāt, neque ſunt formaliter analoga. Quare poſſet diſtingui etiam primum conſequens. Habent conuenientiam, & diſconuenientiam obiectiuam, concedo: formalem, nego conſequentiam. Ex qua non infertur ſecunda conſequentia à nobis negata, ſolùm connexa cum veritate partis negatæ.

Vrgebis, Omnia vniuoca vniuocata, & æquiuoca æquiuocata habent has conuenientiam, & diſconue-

nientiam obiectiuam, per quas poſſint reduci modò ad vniuoca, & modò ad æquiuoca. Ergo omnia permiſcentur in vnum, & nullum datur vniuocum diſtinctum ab æquiuoco.

Diſtinguo conſequens ſi loquamur de vniuocatis,& æquiuocatis materialiter, & ſpecificatiuè ſumptis, concedo: Si de vniuocatis, & æquiuocatis formaliter, & reduplicatiuè ſumptis, nego conſequentiam. Ratio eſt, quia cùm eſſe vniuocum, vel æquiuocum ſit aliquid rebus omninò extrinſecum, & accidentale, non eſt mirum, ſi poſſit modò illis conuenire, & modò non conuenire. Eſt enim omninò per accidens, quòd fuerit impoſita hæc vox *homo*, quæ eodem modò applicetur Petro, & Paulo, cùm potuerit inſtitui alia vox, quæ diuerſimodè ſingulis applicaretur.

Ex quo patet, quomodo dicatur analoga ratio *prædicabilis vt ſic*, vt vidimus in libro 2., quia videlicet ibi eſt ſermo de ratione obiectiua, ideſt de ijs, quæ dicuntur Prædicabilia ex parte obiecti, & materialiter ſumptis. Hæc autem poſſunt concipi, modò ſub conceptu *animalis*, & ſunt vniuoca; Et modò ſub conceptu *canis*, & ſunt æquiuoca; & ideo dicuntur analoga, quamuis non ſint media inter illa aſſignata. Formaliter verò, prout exprimuntur hoc nomine *Prædicabilis vt ſic*, ſunt vniuoca, & ideo ſunt formaliter Genus, vt ibi dictum eſt.

Quòd ſi aliquis miretur, nos admittere analoga ſolùm ſecundùm dici, illa verò re ipſa negare, Reſpondeo quòd ſicut Nominales, & tot alij nobiliſſimi Philoſophi, admittentes relationem prædicamentalem, identificatam cum fundamento, & termino, admittunt

ita

ita relationem, vt nihil tamen concedant medium inter ea, quæ referuntur. Ita & nos admittendo analoga, diſiunctiuè identificata vel cum vniuocis, vel cum æquiuocis, non admittimus aliquod tertium, medium inter illa, ab vtriſque diſtinctum.

ARTICVLVS QVARTVS.

An ens ſit vniuocum?

DIuus Thomas quæſt.7. de pot. ar.8. Aureol. apud Capreol. in 1. diſt. 2. & communiter Thomiſtæ ex Ariſt.3. met. t.10. & 8. met.t.16.& 4. topic. loco 5. & præcipuè 4. met.c.2. vbi hæc habet *Ens multipliciter dicitur, ſed totum ad vnum principium. Quædam enim, quoniam ſubſtantiæ, entia dicuntur, quædam, quoniam paſſiones ſubſtantiæ, quadam quoniam viæ ad ſubſtantiam, aut corruptiones, aut priuationes, aut qualitates, aut effectiua, aut generatiua ſubſtantiæ*; ex his, inquam, alijſque Ariſtotelis locis inferunt, ens eſſe analogum. Contra verò Scotus in 1. diſt.3. quæſt.3. art.2. & cum eo communiter Scotiſtæ, Nominales, cum plurimis Recentioribus, aiunt, ens eſſe vniuocum. Omnium luculentiſſimè,& fuſiſſimè proſequitur hanc materiam Arriaga per totam diſputationem 11. logicæ.

Obſeruandum primò, quodlibet obiectum poſſe terminare diuerſas cognitiones, quarum vna ſit adæquata,& alia inadæquata. Cognitio adæquata eſt illa, quæ

adæquat obiectum, hoc eſt, quæ cognoſcit totum obiectum, & in ordine ad omnes perfectiones, & prædicata, quę habet, cuiuſmodi eſt cognitio comprehenſiua. Cognitio inadæquata eſt illa, quæ vel cognoſcit ſolum partem obiecti, & dicitur pręciſiua obiectiuè, vel quamuis cognoſcat totũ obiectum, non tamen illud cognoſcit totaliter, ideſt ſecundù in totam eius cognoſcibilitatem, & dicitur præciſio formalis, eo quod illud obiectum ita confusè cognoſcat, vt non certificet de omnibus, & ſingulis prædicatis, & perfectionibus illius, adeoque videtur quodammodo obiecta præſcindere.

Obſeruandum ſecundò, ens vt ſic diuidi adæquatè in ſubſtantiam, & accidens. Subſtantia, quia per ſe ſubſiſtit, dicitur in abſtracto *perſeitas*; Et accidens, quia alteri inexiſtit, videlicet ſubſtantiæ, dicitur *inaleitas*. Et hæ dicuntur formalitates inferiores entis.

Vnica concluſio, *Ens eſt vniuocum*. Probatur, quia ea, quæ veniunt ſub conceptu entis, videlicet perſeitas, & inaleitas, ita habent hoc nomen entis commune, vt ſub illo habeant rationem ſubſtantiæ omninò eamdem. Ergo de illis verificatur definitio vniuocorum. Probatur antecedens, quia conceptus entis, ſiue applicetur ſubſtantiæ, ſiue accidenti, ſemper eſt idem. Semper enim exprimit aliquid contradiſtinctum à puro nihilo, & ab omni ente chimærico, nam *ens vt ſic* ſignificat aliquid, quod vel exiſtit, vel poteſt exiſtere. Sicut ergo ea, quæ veniunt ſub conceptu animalis, ſunt vniuoca, ita ea, quæ veniunt ſub conceptu entis, eò quòd tàm illa, quàm hæc exprimantur eodem omnino conceptu. Non minùs enim *ens* pręſcindit formaliter à *perſeitate*, & *inaleitate*, quàm *animal* à *rationalitate*,

& ir-

& irrationalitate.

Obijcies primò, Si ens eſſet vniuocum, eſſet genus. Conſequens non admittitur ab Ariſt.3. met. t.10. Ergo neque antecedens. Quòd autem ens non poſſit eſſe genus, probatur, quia cùm genus ſit pars ſpeciei, debet limitari,& contrahi ab aliqua differentia inferiori. E.g. animal, quod eſt genus reſpectu leonis, & equi, limitatur, & contrahitur à rugibilitate ad leonem, ab hinnibilitate ad equum &c. quæ non ſunt formaliter animal. Reſpectu autem entis vt ſic nihil poteſt aſſignari, quod habeat rationem differentiæ, quia quidquid aſſignetur, eſt formaliter ens. Ergo ens non eſt genus, & per conſequens non eſt vniuocum.

Secundò, Si ens eſſet vniuocum, daretur aliqua ratio communis Deo, & creaturis. Sed hoc eſt falſum, & vt tale reijcitur communiter à Sanctis Patribus. Ergo ens non eſt vniuocum.

Tertiò, Differentiæ entis non præſcindunt formaliter ab ente, cùm de omnibus verificetur, quòd ſint formaliter ens. Ergo ens non præſcindit formaliter ab illis, & per conſequens non eſt vniuocum, reſpectu illarum. Probatur conſequentia, quia, vt habetur ex 4. met. c.2. omne vniuocum debet dicere aliquam naturam communem multis. Hoc autem non poteſt fieri, niſi ipſum vniuocum, per formalem aliquam præciſionem, fiat vnum aptum eſſe in multis. Cùm ergo hoc enti non conueniat, quod ab inferioribus non præſcinditur, neque illi conuenit, eſſe vniuocum.

Quartò, Ens non eſt vniuocum, reſpectu decem prædicamentorum. Ergo neque reſpectu inaleitatis, & perſeitatis, quæ adæquatè diuidunt prędicamenta. Pro-

batur antecedens, quia prædicamenta non conueniunt in aliqua natura omnibus communi, vt habetur ex 12. met. c.4. ſicut eſſet neceſſarium ad rationem vniuoci. Ratio eſt, quia ſi conuenirent in tali natura, deberet in illa vnum differre ab alio, propter differentias proprias particulares, alíoquin eſſent vnum tantùm prædicamentum. Sed eſt impoſſibile, quòd detur differentia, in ratione formali entis, eò quòd omnia ſunt ens. Ergo non conueniunt vniuocè, ſed conſtituunt decem ſumma genera, quorum nullum alteri ſubordinatur. Et ideo prædicamenta dicuntur naturæ ſimplices, & non compoſitæ ex genere, & differentia, vt habetur ex 8. met. c.5. t.16. Hoc tamen non tollit eorum diſtinctionem, ſiue diuerſitatem, eo quòd in nullo conueniant, vt dicitur 5. met. c.7. t.12.

Quintò, Subſtantia, & accidens ita conueniunt ſub ratione entis, vt etiam ſub illa differant; non enim ſunt entia eodem modo, cùm vnum ſit ens per ſe, & aliud ens in alio. Ergo ſunt analoga.

Sextò, Differentiæ entis, ſub ratione entis, conueniunt, & diſconueniunt, ſicut pulſus, color, & medicina, ſub nomine ſani. Ergo ſicut hæc ſunt analoga, ita & illæ.

Ad primum concedo ſequelam maioris. Ad cuius probationem dico, verum quidem eſſe, genus ſubalternum, ſeu medium debere eſſe aliquid contrahibile per differentias inferiores, eò quòd cùm habeat rationem ſpeciei in ordine ad ſuperiora, habet per conſequens, in ordine ad illa, rationem partis. Sed pars dicit eſſentialiter compartem, à qua diſtinguitur. Ergo debet habere aliquid, per quod formaliter diſtinguatur à reli-

à reliquis compartibus illius rationis ſuperioris, quod eſt differentia. Hoc autem non militat de genere generaliſſimo, quod cùm ſit omnium ſupremum, non includitur in aliqua ratione ſuperiori, à qua diſtinguatur per aliquam differentiam peculiarem. Ariſtoteles ergo quando negauit, ens eſſe genus, locutus eſt de genere ſubalterno, quod eſt vnum peculiare genus, non autem de ſupremo, quod eſt genus generaliſſimum, & in ordine ad quod omnia alia dicuntur genera. Quare ſenſus Ariſtotelis eſt, quòd ens non ſit aliquod genus peculiare, ſicut ſunt alia, non autem quòd nullo modo ſit genus. Hoc autem euidenter colligitur ex.11. met.c. 1. vbi ait, *Omnis ſcientia vniuerſalium, non vltimorum eſt. Quare ſic erit vtique primorum generum. Hæc autem ſanè fuerint ens, & vnum*; vbi vocat ens, & vnum primora genera, ſeu vniuerſaliſſima.

Dices, Si ens eſſet genus, non fuiſſet excluſum à linea prædicamentali. Ergo non eſt genus. Nego maiorem, Primò quia in linea illa prædicamentali ponuntur communiter cum Porphirio tantùm ea, de quibus datur propriè, & rigoroſè ſcientia. Scientia autem propriè, & rigoroſè non datur, niſi de ſubſtantia, & ideo ab illa incæpta eſt linea, in qua omnia alia prædicamenta conſiderantur in ordine ad ſubſtantiam, vel cum ſubſtantia, vt eius effectus, proprietates &c. Secundò, quia in tantùm ens non ponitur in tali linea, in quantùm communiter cenſetur analogum, & non vniuocum. Nullum autem eſt abſurdum, quòd illud ponatur in linea prædicamentali, poſito quòd cenſeatur vniuocum, vt fecimus nos in Organo philoſophico. Neque obſtat, quòd ens immediatè diuidatur in ens per ſe, &

e, & ens in alio, de quo non datur ſcientia; nam adhùc de illo verificatur, quòd ſit prædicabile de pluribus differentibus ſpecie in quid, & per conſequens, quòd ſit genus. Nam poteſt de illo dari ſcientia, ſaltem indirectè, & immediatè, videlicet vel per ſubſtantiam, vel in ordine ad ſubſtantiam, vt nuper diximus de prædicamentis in alio.

Ad ſecundum, diſtinguo maiorem, daretur ratio vniuoca, communis Deo, & creaturis, quæ æqualiter participetur ab omnibus, nego, quæ inæqualiter tantùm participetur, concedo maiorem. Et eodem modo diſtincta minori, nego conſequentiam. Quamuis enim tàm Deus, quàm creatura ſint ens, ille tamen eſt ens à ſe, & hæc ens ab alio, adeoque ſub iſta ratione formali, adhùc maximè inter ſeſe differunt. Deinde diſtinguo aliter eamdem maiorem, daretur aliqua ratio obiectiuè communis Deo, & creaturis, nego; Formaliter ſolùm communis, concedo maiorem; Et diſtinguo eodem modo minorē, negatur à S.S.Patribus ratio obiectiuè communis, concedo, formaliter communis, nego minorem, & cum illa conſequentiam.

Ad tertium, Nego conſequentiam; Non enim omnis formalis præciſio alicuius rationis ſuperioris ab inferioribus, eſt præciſio mutua. Nam bene poſſum intelligere quid ſit *animal*, abſque eo quòd intelligam quid ſit *homo*, adeoque *animal* præſcindit formaliter ab *homine*; non tamen poſſum intelligere quid ſit *homo*; abſque eo quòd intelligam quid ſit *animal*; atque adeo *homo* formaliter non præſcindit ab *animali*. Quamuis igitur differentiæ entis non præſcindant ab ente, non tamen ſequitur, quòd ens non præſcindat formali-

maliter a differentijs. Vnde cadit probatio conſequentiæ illatæ contra entis vniuocationem in argumento.

Neque obſtat, quòd ratio entis inuoluatur formaliter in differentijs. Aliud enim eſt quòd ens inuoluatur, & aliud quòd inuoluat differentias. Primum conceditur,& ideo non admittitur præciſio differentiarum ab ente; Et negatur ſecundum;Et ideo admittitur præciſio entis à differentijs.

Ad quartum, nego antecedens. Ad cuius probationem nego ſuppoſitum. Dico ſiquidem, omnia prædicamenta conuenire in hoc, quòd vel ſint, vel poſſint exiſtere, adeoque contradiſtingui à puro nihilo. Non eſt autem abſurdum, quòd habeant in hoc differentias peculiares, vt vidimus in reſponſione ſecundi. Neque obſtat, quòd prædicamenta dicantur naturæ ſimplices, hoc enim non excludit compoſitionem quamcumque ex genere, & differentia, ſed ſolùm compoſitionem mutuam, qua vnum includatur in alio, eo modo, quo in 1. de gener. elementa dicuntur corpora ſimplicia, non quia excludãt quamlibet compoſitionem ex actu, & potentia,ſed quia non ſe inuicem componant,vt patet ex textu.

Ad quintum, diſtinguo antecedens ſubſtantia,& accidens conueniunt,& differunt obiectiuè in ratione entis,nego:conueniunt formaliter, & differunt obiectiuè, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Quòd autem formaliter ſolùm conueniant, & obiectiuè ſolùm differant, patet, quia formaliter conceptus entis eſt exiſtentia vel actualis,vel poſſibilis,& hęc eodẽ modo conuenit ſubſtantiæ, & accidenti; Obiectiuè autem ſub-

ſubſtantia, per ſe ſubſiſtit, & accidens ſolùm in alio, quę omninò differunt.

Vnde patet etiam reſponſio ad ſextum. Nam perſeitas, & maleitas, quæ obiectiuè differunt inter ſeſe, ſub ratione formali entis conueniunt, & non differunt.

DISPVTATIO II.

De Prędicamentis in genere.

ARTICVLVS VNICVS.

An fuerint bene diuiſa prædicamenta? Vbi de regulis anteprædicamentalibus.

AD tractationem de prædicamentis, duas præmittit regulas Ariſtoteles c. 3. & 4. quas vocat anteprædicamentales. Prima eſt, *quando vnum de altero predicatur* (intellige prædicatione eſſentiali) *quæcunque de prædicato dicuntur, etiam de ſubiecto dicuntur*. E.g. quando dicitur, *Petrus eſt homo*, non eſt vera propoſitio, niſi conueniat Petro totum illud, quod conuenit homini; atque adeo cùm homo ſit *viuens, animal, corpus*, &c. etiam Petrus erit talis. Altera eſt *diuerſorum generum non ſubalternatim poſitorum, diuerſæ*

uerſæ ſunt ſpecies, & differentiæ; Generum verò ſubalternatim poſitorum, nihil prohibet eaſdem eſſe differentias. Quare ea omnia prædicamenta, quæ ſubordinantur ad inuicem, diſtinguuntur inter ſe per diuerſas differentias, cuiuſmodi ſunt *ſubſtantia, & qualitas*. Nam ſpecies contentæ ſub illa e.g. ſub *animali* ſunt *greſſibile, bipes, volatile*, &c. Species autem contentæ ſub qualitate e.g. ſub *ſcientia* ſunt *mathematica, phyſica, metaphyſica*, &c. Ea verò, quæ ſubordinantur ad inuicem, poſſunt etiam habere communes aliquas differentias. Et ideo eędem differentiæ animalis, quas nuper attulimus, ſunt etiam differentiæ viuentis, cui ſubordinatur animal. Hoc autem fit ex vi primæ regulæ, eo quòd ſubalternatum habeat rationem ſubiecti, reſpectu ſubalternantis. Et ideo quidquid conuenit huic, debet illi etiam conuenire. Hoc poſito, quæritur primò quot ſint prædicamenta, & quæ? Ariſtoteles c.5. ita breuiſſimè, appoſitis exemplis, deſignat omnia, & ſingula prædicamenta, 1. *Subſtantia*, vt *homo*, *equus*. 2. *quantum*, vt *bicupitum*, *tricupitum*. 3. *Quale*, vt *album*, *grammaticum*. 4. *Ad aliquod*, vt *duplum*, *dimidium*. 5. *Vbi*, vt *in foro*, *in Lycæo*. 6. *Quando*, vt *heri*, *anno Superiore*. 7. *Situm eſſe*, vt *iacet*, *ſedet*. 8. *Habere*, vt *calceatum*, vel *armatum eſſe*. 9. *Agere*, vt *ſecare*, *vrere*. 10. *Pati*, vt *ſecari vri*. Horum autem ſingulorum ſufficientes attulimus definitiones in organo phyloſ. libr.1. art. 3. Et ideo non eſt opus eas hic repetere. Quæremus ergo ſecundò, an bene fuerit diuiſa ab Ariſtotele vniuerſa iſthæc prædicamentorum ſeries in has 10. claſſes aſſignatas?

Priuſquam ſoluamus difficultatem, obſeruãdum eſt,

diuer-

diuerſitatem prædicamentorum non deſumi, ex diuerſo modo pluribus inexiſtendi, quæcumque ſint illa plura, ſicut diuerſitas prodicabilium, vt vidimus lib.2. ſed ex diuerſo modo inexiſtendi in ipſa ſubſtantia, ſeu indiuiduo, & ex modo illam denominandi. Quare eadē res poteſt conſtituere diuerſa prædicamenta, vt *actio*, & *paſſio*, ex eo quòd habeat diuerſum modum vel inexiſtendi, vel denominandi ſubſtantiam.

Vnica concluſio, *Bene fuerunt diuiſa prædicamenta in decē partes ſupra enumeratas.* Probatur, quia quidquid inexiſtit indiuiduo ſubſtantiali, vel eſt aliquid eſſentiale, vel non? Si primum, ergo eſt ſubſtantia. Probo conſequentiam, quia vel eſt tota eſſentia, & eſt ſpecies; vel pars eſſentiæ, & hæc ſi ſit perfectiua, eſt differentia, ſi perfectibilis, eſt genus: quæ omnes ſunt ſubſtantiæ. Si ſecundum, ergo eſt accidens. Probo conſequentiā quia vel eſt aliquid intrinſecum, vel extrinſecum? Si intrinſecum, vel eſt pars integralis, neceſſaria ad recipiendas, & ſuſtentandas formas, & eſt *quantitas*; Vel eſt pars integralis neceſſaria ad formas perficiendas, & erit *qualitas*, cuius proprium eſt perficere formas in ordine ad agendum. Sed vtraque eſt accidens. Ergo, &c. Quòd ſi ſit aliquid merè accidentale intrinſecum, vel ſpectabit ad locum, & erit *vbicatio*, ſeu locus intrinſecus, ideſt *ſitum eſſe*; Vel ad tempus, & erit *duratio*, ideſt *quando*, quæ etiam ſunt accidentia. Quòd ſi ſit aliquid merè extrinſecum ſubſtantiæ, hoc vel erit habitus, ſeu veſtis, ideſt *habere*, vel locus extrinſecus, ideſt *vbi*. Demum ſi ſit aliquid partim intrinſecum, & partim extrinſecum, hoc eſt vel *relatio*, vel *actio*, vel *paſſio*, quæ itidem ſunt accidentia. Sed nihil poteſt aſſignari,

quod

quod non reducatur ad vnum ex his. Ergo hæc mẽbra diuidentia adæquant totum diuiſum, quod eſt ens. Ex alia parte fiunt per membra contradictoria. Ergo neque poſſunt eſſe plura, neque pauciora, quàm hæc, 10. adeoque eſt bona diuiſio.

Dices, actio, & paſſio ſunt vnus, idemque motus. Ergo vnum prædicamentum, adeoque non ſunt decem, ſed nouẽm. Diſtinguo antecedens, ſunt vnus idemque motus, phyſicè loquendo, tranſeat, metaphyſicè, nego antecedens. Eodem modo diſtinguo conſequens, ſunt vnum prædicamentum phyſicè, tranſeat, metaphyſicè, nego conſequentiam. Dixi *tranſeat*, quia multi volunt, agere, & pati eſſe duos motus phyſicè diſtinctos, de quibus in phyſica. Cùm ergo hìc quæſtio procedat logicè, & metaphycè, phyſica idemtitas non pugnat cum eorum metaphyſica diſtinctione, quæ nobis ſufficit in præſentia.

Bene igitur omnes res fuerunt diuiſæ in has cathegorias, quæ appellantur prædicamenta, ita dicta à prædicando, ſeu prædicatione, vel prædicabilitate. Nam prædicamentum nihil eſt aliud, quàm diſpoſitio quædam generum, & ſpecierum, ſub aliquo ſummo genere, ſub quo prædicari poſſunt. E.g. *ſubſtantia* dicitur vnum prædicamentum, quia eſt vnum ſummum genus, ſub quo continentur ordinatìm, tamquam illius ſpecies, *corpus, viuens, animal, homo, Petrus*. Totus ergo hic ordo dicitur prædicamentum, eo quòd per varias prædicationes factas per gradus, deſcẽdatur à ſummo genere ad indiuiduum.

His poſitis, agemus in præſentia tantùm de prædicamentis *ſubſtantiæ, & ad aliquid*. Nam de reliquis partim

rim egimus, vt de habitu in primo libro, & partim agemus in phyſicis, & metaphyſicis.

DISPVTATIO III.

De Prædicamento Subſtantiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid, & quotuplex ſit ſubſtantia, & quæ eius proprietas?

NOmen ſubſtantiæ multipliciter accipitur ab Ariſtotele. Nam in anteprædicamentis, prò ſubſtantia intellexit eſſentiam cuiuſque rei, ſiue ſit in ſe, ſiue in ſubiecto; atque adeo etiam ipſius accidentis. Alibi verò intellexit ſolùm id omne, quod non eſt in ſubiecto, ſed in ſe. Et hoc idem non accepit ſemper eodem modo; Nam modò illud reſtrinxit ad ſolas ſubſtantias ſimplices, & immateriales, ſeu ſeparatas à materia, quales ſunt Deus, & Angeli, vt 12. met. c. 1. modò ampliauit etiam ad ſenſibiles, & materiales, vt 5. met. c. 9. ſub cuius finem nomine ſubſtantiæ, intellexit ſolùm compoſitum ſenſibile ſingulare, ſeu indiuiduum, eiuſque prædicata eſſentialia, quæ prædicantur *in quid*. In qua acceptione exclu-

excluduntur à ſubſtantia, quæ ſub alia videbantur includi, videlicet manus, pedes &c. quæ ſunt tantùm partes integrales indiuidui, ſeu ſubſtantiæ ſingularis. Et in hoc ſenſu accipitur in præſentia nomen ſubſtantiæ.

Hoc igitur modo accepta, ſi accipiatur prò toto indiuiduo, ſeu compoſito ſingulari, dicitur ſubſtantia prima, ſeu ſingularis, & indiuidua, & eſt illa, quæ *neque in ſubiecto eſt, neque de ſubiecto dicitur*, quia cùm ſit vltima in prædicamento ſubſtantiæ, non habet inferiora, de quibus poſſit prædicari, cuiuſmodi eſt e.g. *Petrus, Paulus &c.* Si vèrò accipiatur prò partibus, ſeu prædicatis eſſentialibus logicè, vel metaphyſicè compoſiti ſingularis, ſeu primæ ſubſtantiæ, qualia ſunt genera, & ſpecies, vt *animal, homo* &c. reſpectu *Petri*, dicitur ſecunda ſubſtantia, & eſt illa, *quæ quamuis non ſit in ſubiecto, dicitur tamen de ſubiecto*, eo quòd cùm habeat inferiora, poſſit de illis prædicari.

Prima ſubſtantia, quæ ſolùm per antonomaſiam dicitur ſubſtantia, & in ordine ad quam cæteræ denominantur tales, dicitur *ſubiectum in quo, & de quo. In quo*, quia in illa recipiuntur omnia accidentia; *Et de quo*, quia de illa prædicantur omnia ſuperiora. Nam in *Petro* e.g. eſt *quantitas, qualitas, habitus &c.* Et de *Petro* prædicantur *homo, animal, viuens &c.* Atque adeo cùm omnibus ſubijciatur, dicitur ſubſtantia *in quo*. Et præterea dicitur magis ſubſtantia, quàm ſecunda, quia de illa poſſunt prædicari omnia, quæ prædicantur de ſecunda, & inſuper poteſt prædicari etiam ipſa ſecunda, adeoque pluribus ſubſtat.

Dices, prima ſubſtantia eſt in ſuperioribus, nam Pe-

trus eſt in animali. Ergo malè dicitur non eſſe in ſubiecto. Diſtinguo antecedens, eſt in ſuperioribus tamquam in ſubiecto, nego: tamquam incluſum in includente, concedo antecedens. Et nego conſequentiam. Per hoc enim quòd animal includat etiam Petrum, nō proinde tamen animal eſt ſubiectum Petri, alioquin pars eſſet ſubiectum totius, quod eſt falſiſſimum.

Ad rationem primæ ſubſtantiæ, quinque requiruntur per Ariſtotelem, quæ omnia totidem concluſionibus exponemus.

Prima concluſio, *ſubſtantia prima non debet eſſe in ſubiecto*. Probatur, quia cùm debeat eſſe primum omnium aliorum ſubiectum, non debet ipſa in alia ſubiectari, alioquin non eſſet primum ſubiectum.

Secunda concluſio, *debet ſignificare hoc aliquid*, videlicet debet eſſe aliquid digito demonſtrabile. Probatur, quia alioquin non eſſet indiuiduum ſingulare, de quo eſt proprium eſſe hoc, & non aliud. Siquidem de Petro e,g, poteſt dici *hic eſt Petrus*, per cognitionem diſtinctiuam illius ab omni alio.

Tertia concluſio; *Non poteſt habere contrarium immediatè*. Probatur, quia omnis contrarietas eſt in ordine ad ſubiectum, cùm ſit expulſio mutua ab eodem ſubiecto. Ergo cùm ſubſtantia prima non habeat ſubiectum, non poteſt habere contrarietatem cum alio, per quod expellatur ab eodem ſubiecto. Vbi aduertendum eſt, ly *immediatè*, nam medijs accidentibus, & qualitatibus, poſſunt eſſe contrariæ ſubſtantiæ, vt ignis, & aqua medijs frigore, & calore. Quod etiam commune volo cum ſecunda ſubſtantia.

Quarta, *non eſt ſuſceptiua magis, & minus*. Probatur, quia

quia quamuis poſſit creſcere, vel decreſcere in mole, & quantitate, non tamen poteſt augeri, vel minui in ratione ſubſtantiæ. Quis enim dicat, Petrum e.g. poſſe fieri magis, vel minùs Petrum? Lapidem poſſe fieri magis, vel minùs lapidem? &c.

Quinta, *Eſt ſuſceptiua contrariorum*. Probatur, quia lignum e.g. idem numerò ſuſcipit calorem, & frigus, non quidem ſimul, ſed ſucceſſiuè, vnum poſt alium. Contrà verò idem color non poteſt fieri ex albo niger, & viceuerſa; neque poteſt eadem actio ex praua fieri ſtudioſa, &c.

Dices, hæc propoſitio *Petrus ſedet*, Petro ſedente, eſt vera, illo non ſedente, eſt falſa. Sed eſſe verum, & falſum ſunt contraria. Ergo eadem propoſitio, quæ eſt qualitas, & non ſubſtantia, eſt ſuſceptiua contrariorum. Quod idem dico de opinione, qua cogito, Petrum ſedere, nam eadem numerò modò eſt vera, & modò eſt falſa. Ergo falſa concluſio.

Ariſtoteles ſoluit hoc argumentum, cōcedendo antecedens, & negando conſequentiam. Conatur autem afferre diſparitatem hoc modo, *eſſe verum*, *ſeu falſum* in huiuſmodi propoſitionibus, eſt aliquid illis omninò extrinſecum, eo quòd nullam faciat mutationem intrinſecam in ipſis propoſitionibus. Contraria verò mutant intrinſecè ipſam ſubſtantiam, illa intrinſecè recipientem. Et ideo bene poſſunt illa prima conuenire qualitati, non autem hæc ſecunda, quæ ſunt propria ſolius ſubſtantiæ. Videantur eius verba in prædicam. c. 1. de ſubſt; nam clariſſimè continent hanc doctrinam.

Sed hanc doctrinam, adeoque reſponſionem vt falſam

ſam reiecimus in lib. perhier. diſp.2. ar.2. quando ſtatuimus, nullam propoſitionem poſſe ex vera fieri falſam, & econuersò.

Ad reſponſionem igitur argumenti, nego antecedens. Quamuis enim illa propoſitio *Petrus ſedet*, videatur eſſe eadem Petro ſedente, vel non ſedente, non tamen eſt eadem numerò, ſed diuerſa formaliter, propter diuerſam ſuppoſitionem, quamuis materialiter, & vt ita dicam grammaticaliter, ſit eadem. Numquam ergo contingit, eamdem numero qualitatem eſſe ſuſceptiuam contrariorum, ſicut contingit ſubſtantiæ.

Sexta concluſio, *ſecunda ſubſtantia debet vniuocè prædicari de ſuis inferioribus*. Probatur, quia *canis* quatenùs ſignificat ſydus, & piſcem, non eſt ſecunda ſubſtantia, vt probauimus lib.2. quando ſtatuimus ad vniuerſale requiri vniuocationem, quod idem cõfirmauimus in diſputationibus metaphyſicis. Ergo cùm ſecunda ſubſtantia ſit vel genus, vel ſpecies, adeoque aliquid vniuerſale, debet eſſe vniuoca, & non ęquiuoca.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An bene, & quando diuidatur ſubſtantia in primam, & ſecundam?

Ratio dubitandi eſt, quia ad bonam diuiſionem (vt vidimus in Organo) debet vnum membrum diuidens non includi in alio. At ſecunda ſubſtantia, cùm ſit pars primæ, includitur in illa, tamquam in alio membro diuidente ſubſtantiam vt ſic, quæ eſt totum diuiſum. Ergo

go videtur eſse mala diuiſio. Priuſquam difficultati rationibus occurramus, aduertendum eſt primò, nullũ eſse abſurdũ, quòd idem ſub vna conſideratione habeat rationem totius diuiſi, & ſub alia rationem membri diuidentis. Nam *cognitum vt ſic*, ſub hac vniuerſalitate, bene diuiditur in cognitum clarè, & cognitum confusè; & tamen ipſum *cognitum vt ſic* continetur in vno membro diuidente, cùm etiam ipſum ſit cognitum in confuſo.

Aduertendum ſecundò, hic non diuidi ſecundam ſubſtantiam reduplicatiuè; & ſecundointentionaliter, vt talem, ſed ſolùm materialiter, & primointentionaliter. Sicut cum diuiditur cognitum, non accipitur cognitum, quod diuiditur, ſecundointentionaliter, & reduplicatiuè, prout eſt *cognitum confusè*, ſed ſolùm prout eſt *cognitum vt ſic*, præſcindendo ab omni confuſione, ſeu claritate.

Prima concluſio. *Bene diuiditur ſubſtantia in primam, & ſecundam*. Probatur, quia ſubſtantia diuiſa, vt talis eſt aliquod abſtrahens formaliter à prima, & ſecunda, ideſt abſtrahens formaliter ab hoc, quòd ſit totum indiuiduum, ſeu compoſitum ſubſtantiale, vel pars illius. Vt talis autem non inuoluitur formaliter in aliquo ex membris diuidentibus, quorum vnum eſt compoſitum ſubſtantiale, & aliud eius partes. Ergo ſub hac formalitate, ſeu conſideratione, bene illa diuiditur. Quia tamen intelligentia huius reſponſionis, pendet ab intelligentia talis diuiſionis, ideo poſtquam viderimus quid non ſit, ſtatuemus quid illa ſit.

Dices, ſubſtantia, quæ diuiditur, non eſt prima, & ſingularis, quia hæc cùm nullas habeat partes, diuidi

non poteſt. Ergo eſt ſecunda,& vniuerſalis;& per conſequens totum diuiſum continetur in vno ex membris diuidentibus;adeoque mala eſt diuiſio. Primò diſtinguo primum conſequens, eſt ſecunda ſubſtantia,& vniuerſalis materialiter,& ſpecificatiuè,concedo : formaliter,& reduplicatiuè,nego cōſequentiā. Quando enim diuiditur ſubſtantia,vt vidimus in ſecundo aduertēdo,cognoſcitur tantū à cognitione reflexa, præſcindendo ab omni cognitione directa tàm confuſa,quàm clara, per quā fiat vniuerſalis formaliter hæc ſubſtantia. Sub hac autem cognitione reflexa, ſubſtantia non eſt vniuerſalis formaliter,ſed ſolùm materialiter. In ipſa autē actuali diuiſione,tunc in ſecundo diuiſionis membro ſubſtātia diuidens fit formaliter vniuerſalis,quia cognoſcitur per cognitionem directam confuſam, dantē illi formaliter vniuerſalitatē, vt dictū eſt lib.2. Deinde nego abſolutè illam conſequentiam. Sicut enim nō valet *animal vt ſic non eſt rationale, ergo eſt irrationale*, quia videlicet neutrum eſt,ſed aliquid ab vtroque præciſum formaliter; Idem dico de ſubſtantia *vt ſic*,quæ neque eſt prima,neque ſecunda,ſed aliquod tertium ab vtraque formaliter abſtractum. Vnde patet etiam reſponſio ad rationem dubitandi initio articuli propoſitam. Nam ſubſtantia ſecūda,in quam diuiditur ſubſtantia vt ſic neque hanc formaliter includit, vt diximus in probatione concluſionis;neque includitur in prima, cuius eſt pars ſolùm materialiter. Non ergo vnum membrum diuidens includit aliud; & multò minùs totum diuiſum includitur in vno ex membris diuidentibus.

Secunda concluſio. *Hæc diuiſio non eſt generis in ſpecies.* Probatur,quia prima ſubſtantia, quæ eſt vnum membrum

brum diuidens, non eſt ſpecies, ſed eſt aliquid ſingulare. Ergo in illam non diuiditur ſubſtantia vt ſic, tamquam genus in ſpecies.

Tertia concluſio. *Non eſt totius in partes.* Probatur, quia prima ſubſtantia, & ſecunda non ſunt partes ſimilares, ſeu omogeneę ſubſtantiæ vt ſic, eo quòd habeant diuerſum nomen, & diuerſam rationem cum toto, & inter ſe, quod eſt cōtra rationem partium ſimilarium, vt patet in partibus oſſis, aquæ, carnis &c. Neque ſunt partes diſſimilares, ſeu ætherogeneæ, quia hæ nō habent idem nomen à toto, neque vna continet aliā, vt manus, caput, oculus &c. quæ neque dicūtur homo, neque ſe inuicem includunt. Subſtantię autem prima, & ſecunda, & denominantur ſubſtantiæ ab eodem toto, & vna continet aliam ſaltem materialiter ſumptæ. Ergo non ſunt partes diſſimilares.

Tertia concluſio. *Neque eſt analogi in ſua analogata, vel æquiuoci in ſua æquiuocata.* Prima pars patet ex anteprædicamentis, vbi ſtatuimus, conceptum ſubſtantiæ vt ſic eſſe vniuocum. Probatur ſecunda, quia æquiuocatis, nihil eſt commune, præter nomen. His autem ſubſtantijs eſt etiam commune non eſſe in ſubiecto, cū multis alijs enumeratis in primo art. Ergo non ſunt æquiuocæ, ſed vniuocæ.

Quarta concluſio. *Neque demùm eſt purus ordo enumeratorum, vt volebat Ammonius.* Probatur, quia hæ ſubſtātiæ habent diuerſas definitiones. Ergo non sūt omninò idem, ſicut eſt neceſſarium ad purum ordinem enumeratorum, per quem vnum dicitur primum, eo quòd ſit ordine primum, & aliud ſecundum, eo quòd ſit ordine ſecundum, &c.

Quinta concluſio, *hæc diuiſio eſt ſubiecti in accidentia*. Probatur, quia ita ſe habet diuiſio ſubſtantiæ in primã, & ſecundam, ſicut diuiſio *cogniti vt ſic in cognitum clarè*, & *cognitum confuſè*. Sed hæc eſt ſubiecti in accidentia, nam cognitum clarè, & cognitum confuſè, ſunt differentiæ accidentales, reſpectu cogniti vt ſic. Ergo & illa. Probatur maior, nam ſicut cognitum vt ſic præſcindit formaliter a ly *clarè*, & *confuſè*; ita & *ſubſtantia vt ſic* præſcindit formaliter ab hoc, quòd ſit totum cõpoſitum, vel eius pars. Sicut ergo illæ ſunt differentiæ accidentales cogniti, ità & hæ ſubſtantiæ. Quia verò eſſe primam, vel ſecundam ſubſtantiam ſpecificantur ab vniuerſalitate, ſeu ſingularitate, quæ ſunt formalitates intentionales; ideo hæ ſunt differentiæ, ſeu accidentia intentionalia, adeoque ſubſtantia, quæ diuiditur, eſt vniuerſalis tantùm materialiter, & denominatiuè, non autem formaliter.

ARTICVLVS TERTIVS.

Per quid diſtinguatur ſubſtantia ab accidente?

SVbſtantia dicitur à *ſubſtando*, ſeu *ſubſiſtendo*, eo quòd cùm ſit prima radix ſubſiſtentiæ, eſt aliquid per ſe ſubſiſtens, & primum principium per ſe ſtandi: atque adeo ſubſtat accidentibus, quæ per ſe non ſubſiſtunt. Nomine autem ſubſiſtentiæ prò nunc intelligimus illud vltimum, per quod for-

formaliter aliquid completur in eſse tale indiuiduum alteri incommunicabile.

Prima concluſio, *ſubſtantia diſtinguitur ab accidente per hoc, quòd illa ſit ens ſimpliciter, & ens primum, accidẽs verò ſit ens ſecundùm quid, ideſt entis ens, cuius totum eſſe eſt gratia alterius.* Eſt S.Thomæ 3.p.q.9.art.5. ad 3. vbi hęc habet *bonum, ſicut & ens, dupliciter dicitur, vno modo ſimpliciter, & ſic bonum, & ens dicitur ſubſtantia, quæ in ſuo eſſe, & ſua bonitate ſubſiſtit. Alio modo dicitur ens, & bonum ſecundùm quid; & hoc modo accidens dicitur ens, & bonum, non quia ipſum habeat eſſe, & bonitatem, ſed quia eius ſubiectum eſt ens, & bonum.* Præterea eſt Ariſtotelis paſſim in metaph. Et Arriaga diſp.4. met. ſect.6. nu. 34. ait, hanc ſententiam, quam ipſe aliqualiter diuerſificat in modo explicandi, debere eſſe omnibus communem.

Probatur igitur, & explicatur, quia in tantùm Petrus e. g. dicitur *ſubſtantia*, & albedo reſpectu illius dicitur accidens, in quantùm *Petrus* primò, & ſimpliciter exiſtit in ſe, & gratia ſui, *albedo* verò tantùm ſecundariò, & in illo, cuius gratia exiſtit. Et idem dico de omnibus alijs. Ergo &c.

Obijcies primò materia eſt inſtituta ingratiam formæ, & forma in illa recipitur, adeoque non ſubſiſtit in ſe; & tamen vtraque eſt ſubſtantia, quamuis non ſint prima entia. Ergo de ratione ſubſtantiæ non eſt, vt ſit ens primum ſimpliciter. Nego conſequentiam. Dupliciter enim poteſt aliquid eſſe ens primum ſimpliciter; primò in ratione *fundamenti*, ſeu *ordine executionis*; & deinde in ratione *finis cui*, ſeu *ordine intentionis*. Tunc autem aliquid eſt primum in ratione fundamenti, ſeu ordi-

ordine executionis, quando in ipſa actuali operatione, ſeu executione primò ponitur, cuiuſmodi eſt fundamẽtum domus. Primum autem ordine intentionis, ſeu in ratione *finis cui*, eſt illud, quod primò intenditur in operando, & cuius gratia operamur, cuiuſmodi eſt bona habitatio in domo. Quare idem fundamentum domus & eſt primum ordine executionis, & eſt vltimum ordine intentionis. Hoc poſito, omnis ſubſtantia eſt ens primum alterutro modo, vel vtroque ſimul. Nam materia eſt prima in ratione fundamenti, ſeu ordine executionis: & forma eſt prima in ratione *finis cui*, ſeu ordine intentionis; non enim forma eſt in materia, vt illi ſeruiat, ſed tamquam Domina, vt dominetur. Accidens verò neutro modo eſt primum, non in ratione fundamenti, quia exiſtit in alio: neque in ratione *finis cui*, quia non eſt in bonum ſui, ſed ſubiecti.

Dices, ergo de ratione ſubſtantiæ non eſt vtrumque prædicatum, ſed alterutrum diſiunctiuè. Diſtinguo, ſi loquamur de ſubſtantia completa, nego; ſic de incompleta, concedo conſequentiam. Cùm enim ſubſtantia incompleta ſit pars ſubſtantiæ, non eſt mirum, ſi de illa non verificentur omnia prædicata ſubſtantiæ.

Obijcies ſecundò, vnio formæ ſubſtantialis cum materia, eſt ſubſtantia, quamuis de illa neutrum verificetur, eò quòd neque ſit quid primum in ratione fundamenti, quia recipitur in materia; neque in ratione *finis cui*, quia non eſt gratia ſui, ſed compoſiti. Ergo de ratione ſubſtantiæ non eſt, quòd alterutrum habeat diſiunctiuè, ex illis duobus prædicatis. Diſtinguo antecedens, vnio eſt ſubſtantia *vt quod*, nego: eſt ſubſtantia

tia *vt quo*, concedo antecedens. Et eodem modo diſtinguo conſequens non eſt de ratione ſubſtantiæ *vt quod*, nego: *vt quo*, concedo conſequentiam.

Dices, vnio nullum prædicatum habet ſubſtantię. Ergo malè vocatur ſubſtantia *vt quo*. Nego conſequentiam. Sicut enim ſpecies, quamuis neque videant, neque videantur, dicuntur viſibiles *vt quo*, quia formaliter conſtituunt obiectum proximè viſibile; Ita & vnio dicitur ſubſtantia *vt quo*, quia eſt id, per quod formaliter conſtituitur ſubſtantia, in ratione ſubſtantiæ. Verùm de hoc fuſiùs in phyſicis.

Secunda concluſio, *de ratione accidentis eſt, quòd ſit in alio, & non ſit inſtitutum primariò, & gratia ſui, ſed ſolùm ſecundariò, & in gratiam illius, in quo exiſtit*. Probatur, quia hoc conuenit omni, & ſoli accidenti, vt patet inductione. Vnde ſequitur, gratiam habitualem eſſe accidens, quamuis ex illa, & ex anima reſultet principium nouarum operationum, quarum radix, & principium antea non erat. Ratio eſt, quia gratia non eſt bona ſibi, ſed nobis; atque adeo augetur, vel deſtruitur, propter meritum, vel demeritum, non ſuum, ſed noſtrum, & efficit noſtram, non ſuam fælicitatem. Idem dico de habitibus omnibus, tàm naturalibus, quàm ſupernaturalibus, propter eamdem rationem.

ARTI-

ARTICVLVS QVARTVS.

An Deus, & Angeli contineantur ſub prędicamento ſubſtantiæ? Vbi ſtatuitur primum genus talis prædicamenti.

NEgat D.Thomas 1. p. q. 3. ar. 5. Deum eſſe ſub genere. Cùm ergo ſubſtantia vt ſic habeat rationem generis, reſpectu inferiorum, videtur Deum comprehendere nullatenùs poſſe. Contrà verò cùm Deus non ſit in alio, immò ſit ens ſimpliciter, & maximè primum, quod aſſeruimus proprium ſubſtantiæ, videtur eſſe in omni rigore ſubſtantia, iuxta definitionem traditam, concl.1. articuli ſuperioris. Prò ſolutione ſit

Prima concluſio, *Subſtantia quatenùs dicitur à ſubſtando accidentibus, comprehendit quidem Angelos, non autem Deum*. Probatur, quia vt talis non comprehendit, niſi ea, quæ habent potentialitatem paſſiuam ad accidentia. Sed in Deo nulla datur huiuſmodi potentialitas. Ergo neque ſub illa comprehenditur. Angeli autem quia poſſunt habere multa accidentia, ſaltem ſpiritualia, cuiuſmodi ſunt motus, duratio, vbicatio &c. ideo ad talem ſubſtantiam reducuntur.

Secunda concluſio. *Subſtantia, quatenùs ſignificat aliquid*

quid per ſe ſubſiſtens, comprehendit etiam Deum. Probatur primò, quia Deus non ſolùm per ſe ſubſiſtit, ſed eſt id, per quod cætera omnia ſubſiſtunt in ſe. Ergo verè eſt ſubſtantia in tali ſenſu. Deinde quia ſubſiſtere in ſe, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Ergo conuenit Deo. Conſequentia eſt euidens. Antecedens probatur, quia independentia eſt ſumma perfectio, propria ſolius Dei. Ergo quò magis aliquid participat de independentia, eò eſt maior perfectio: Sed ſubſiſtere in ſe, eſt propius ad independens, vt patet, quàm ſubſiſtere in alio. Ergo eſt maior perfectio; immò (vt veriùs loquar) cùm hoc ſecundum ſit imperfectio, illud primum erit ſimpliciter perfectio, adeoque conuenit Deo.

Tertia concluſio. *Deus ſub conceptu claro, & proprio non poteſt contineri ſub vllo genere*. Eſt Ariſt. 3. phyſ.t.3. Probatur primò, quia quidquid continetur ſub genere, eſt aliquid perfectibile per differentiam, ex cuius compoſitione cum genere, conſtituitur ſpecies. Deus autem eſt actus purus, nullam admittens potentialitatē, ſeu perfectibilitatem. Ergo non poteſt eſſe ſub vllo genere. Deinde quia quidquid eſt ſub genere, differt ab alijs contentis ſub illo, per propriam differentiam, à qua limitetur ad hanc ſpeciem, & non ad aliam. Sed Deus eſt aliquid infinitum, & illimitatū, incapax omnis differētiæ. Siquidē infinita perfectio, vt ait Vaſquez in 1.p.q.3.ar.5. cū includat omnē perfectionē, includit etiā perfectionē totius generis, omniūque ſub illo cōtentorū, adeoque nō poteſt habere, reſpectu illorum, rationē differentiæ. Ergo non poteſt Deus contineri ſub genere, ſed eſt ſupra omne genus. Videatur D. Tho. in

loco

oco citato, initio huius articuli, & præt. 1. ſen. diſp. 8. q.4. ar.3. nam luculentèr, de more, proſequitur hanc doctrinam.

Obijcies, Deus non continetur ſub vllo genere. Ergo neque ſub ratione ſubſtantiæ, quæ habet rationem generis, contra tertiam concluſionem. Diſtinguo antecedens, Deus non continetur ſub vllo genere, ſi accipiatur formaliter vt Deus, ſub proprio conceptu claro, & diſtincto, concedo; Non continetur ſub alio conceptu abſtractiuo, & confuſo, nego antecedens. Et eodem modo diſtinguo conſequens, videlicet illum reduci ad ſubſtantiam, ſub conceptu ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentis, ſicut reducitur ad ens, ſub conceptu exiſtentis, non autem ſub conceptu Dei. Dico igitur, nullum conceptum, qui ratione ſui formaliter non dicat imperfectionem, Deo diſconuenire. Cùm ergo conceptus confuſus, ſeu abſtractiuus ſubſtantiæ vt ſic, quatenùs dicitur à ſubſiſtendo, nullam dicat, ratione ſui formaliter, imperfectionem in obiecto, poteſt Deo conuenire.

Neque obſtat, quòd aliter ſenſiſſe videantur Dyoniſ. cap. 5. de diu. nom. Cyrillus 1. de Trin. D.Tho. in locis citatis, & nonnulli alij ex SS. Patribus. Nam hi Doctores vel loquebantur de Deo, vt Deo clarè accepto, ſub propria ratione; vel putarunt rationes entis, & ſubſtantiæ vt ſic, eſſe analogas, & non vniuocas, quæ pugnant è diametro cum noſtris dictis.

Obijcies ſecundò, per Philoſophum 10. met. t. 12. ea differunt genere, adeoque prædicamento, *quorum non eſt communis materia, neque mutua generatio*. Et t. 26. eiuſdem libri dicitur, *neceſſe eſt, diuerſum genere eſſe corruptibile, & incorruptibile*. Sed Deus, & Angeli ſunt in

corru-

corruptibiles, & non habent communem materiam cum corruptibilibus. Ergo non poſſunt eſſe ſub eodem genere, adeoque ſub eodem prædicamento ſubſtantiæ. Reſpondeo cum S.Tho. Scoto, Suar. Coninb. Toleto, aliſque communiter, Ariſtotelem ibi loqui tantùm de genere phyſico, conſtante ex ſpeciebus compoſitis ex materia, & formá phyſicis, ſeu de prædicamento, quatenùs eſt genus phyſicum, non autem de eo, quatenùs eſt genus metaphyſicum, conſtans ex ſpeciebus metaphyſicis, quæ ſcilicet componantur ex genere, & differentia, quæ ſunt partes tantùm metaphyſicæ. Angeli autem quamuis non includant materiam, & formam phyſicam, componuntur tamen metaphyſicè loquendo ex ratione *entis*, tamquam ex genere, ſeu materia, ex ratione *ſpiritualis*, tamquam ex differentia, ſeu forma. Quod idem dicendum eſt etiam de Deo, quatenus à nobis concipitur abſtractiuè, & per ſpecies alienas, ſeu ad modum creaturæ. Quòd autem Ariſtoteles ibi loquatur tantùm de genere phyſico, probatur euidenter, nam in eius ſententia *color*, & *intellectio* ſunt in eodem prædicamento, adeoque genere *qualitatis*, & tamen nec ſe inuicem generant, neque habent communem materiam, quia ſunt entitates ſimplices, altera materialis, & altera ſpiritualis. Quare ſatis eſt, quòd habeant prædicatum aliquod commune metaphyſicũ.

Obijcies tertiò: Deus, & Angeli differunt eſſentialiter ab homine. Ergo non poſſunt cum illo habere prędicatum aliquod commune vniuocum, adeoque neque commune prædicamentum. Nego conſequentiam; Nam etiam Petrus differt eſſentialiter ab equo, & tamen conuenit cum eo vniuocè, in ratione *animalis*.

Obij-

Obijcies quartò. Ratio ſubſtantiæ *vt ſic* non eſt vniuoca reſpectu Dei,& hominis. Ergo non poteſt habere rationem generis, reſpectu vtriuſque. Probatur antecedens, quia vel eſt ſimplex, & non conuenit homini, vel compoſita, & non conuenit Deo. Quod idē dico de Angelis. Nego antecedens; Sicut enim *animal* neque eſt formaliter *rationale*, neque *irrationale*, ſed eſt aliquod præſcindens ab vtroque; Ita & ſubſtantia *vt ſic* neque eſt ſimplex, neque compoſita, ſed formaliter ab vtroque pręſcindit, adeoque poteſt vniuocè conuenire ſimplicibus,& compoſitis.

Obijcies quintò. Subſtantia *vt ſic* eſt genus. Ergo exiſtit in ſpecie, tamquam illius pars. Sed illud, quod exiſtit in alio, non poteſt eſſe principium ſubſiſtendi per ſe, quia nemo dat, quod non habet. Ergo vel ſubſtantia *vt ſic* non eſt genus reſpectu Dei, & hominis, vel non poteſt eſſe principium ſubſiſtendi per ſe, adeoque Deo conuenire non poteſt, quia non poteſt accipi vt dicta à *ſubſiſtendo*, ſed ſolùm à *ſubſtando* accidentibus. Primò diſtinguo primum conſequens, ergo exiſtit in ſpecie, tamquam illius pars actualis, per phyſicam aliquam vel inhærentiam, vel incluſionem, nego: ergo exiſtit in ſpecie, tamquam illius pars poteſtatiua, per reductionem, ſeu incluſionem aliquam metaphyſicam, tranſeat conſequentia. Dixi *tranſeat*, quia ex hoc non ſequitur, huiuſmodi ſubſtantiam non poſſe eſſe principium aliquod phyſicum per ſe phyſicè ſubſiſtendi. Sicut enim compoſitio metaphyſica non tollit phyſicam ſimplicitatem, vt vidimus in Angelis, ita & incluſio metaphyſica, non tollit phyſicam independentiam ab alio, tamquam à ſubiecto. Deinde diſtin-

guo

quo minorem ſubſumptam, non poteſt eſſe principium ſubſiſtendi per ſe denominatiuè, & formaliter, concedo: phyſicè, & radicaliter, ſeu per modum principij effectiui, nego minorem. Et diſtinguo eodem modo conſequens quoad ſecundam partem, ſi ſubſtantia eſt genus, non poteſt eſſe principium ſubſiſtendi per ſe denominatiuè, & formaliter, concedo: phyſicè, & radicaliter, nego conſequentiam. Nam etiam animalitas eſt principium exigitiuum, immò & effectiuum ſenſationis in homine, & tamen ipſa non denominatur ſentire, ſed homo. Ita etiam poteſt ſubſtantia vt ſic eſſe principium in homine, tamquam genus in ſpecie, ſubſiſtendi per ſe, abſque eo quòd ipſa denominetur ſubſiſtens. Id enim per quod homo formaliter exigit in ſe ſubſiſtere, & vnde accipit ſubſiſtentiam, eſt quòd ſit ſubſtantia completa, quamuis hæc non denominetur formaliter ſubſiſtens, eo quòd non ſit formaliter ipſa ſubſiſtentia, ſed principium effectiuum, ſeu virtus illius.

Obijcies ſextò, ſi ſubſtantia vt ſic, quatenùs dicitur à *ſubſiſtendo*, quod eſt idem, atque ſubſtãtia cõpleta, eſſet gradus vniuocus reſpectu corporeæ, & incorporeæ, etiã accidens cõpletum eſſet gradus vniuocus, reſpectu accidentis corporei, & ſpiritualis. Sed conſequens hoc eſt abſurdum in omnium ſententia. Ergo & falſum eſt illud antecedens. Nego ſequelam maioris, non quia verè illa non ſequeretur, ſi poſſet admitti accidentis completio, ſed quia cùm hæc ſit impoſſibilis, eſt propoſitio de ſubiecto non ſupponente. Quòd autem ſit impoſſibile accidens completum, probatur ex dictis, art. 3. concl. 2. Cùm enim ſit de eſſentia accidentis eſſe

in alio, ſiue alteri communicari, omne accidens debet formaliter compleri in ratione accidentis, per ipſam inhærentiam in ſubiecto, ſiuè per actualem communicationem ſui, quod pugnat cum re completa, quæ ſubſiſtit in ſe, alterique non communicatur. Cæterùm ſi poſset dari accidens in ſua ratione completum, ſeu ſubſiſtens in ſe, verè etiam admitti poſset communis gradus vniuocus inter illud, quamuis materiale, & aliud quodcumque completum, quamuis ſpirituale.

Tertia concluſio, *Summum genus in prædicamento ſubſtantiæ eſt ſubſtantia vt ſic, quatenùs præſcindit à completa, vel incompleta &c.* Probatur ex dictis; quia ex vna parte hæc ratio eſt vniuoca, reſpectu inferiorum, vt vidimus, adeoque eſt genus; Et ex alia non habet ante ſe rationem ſuperiorem. Ergo eſt genus ſupremum, ad quod, tamquam ſpecies ſubalternæ reducuntur ſubſtantia completa, & incompleta; corporea, & incorporea: animata, & inanimata: ſenſibilis, & inſenſibilis &c.

Dices, hoc genus non comprehendit Deum, qui non eſt ſubſtantia, niſi hæc reſtringatur ad completam. Ergo non eſt ſummum genus. Nego conſequentiam; Nam etiam *animal* non comprehendit hominem, niſi pròut reſtringitur ad *rationale*; & tamen eſt genus illius. Sicut ergo *animal* præſcindit formaliter à *rationali*, & *inrationali*, de quibus prædicatur; Ita & *ſubſtantia vt ſic* præſcindit formaliter à *completa*, & *incompleta*, de quibus, tamquam inferioribus, prædicatur.

Vrgebis, quidquid continetur ſub genere, eſt ſpecies. Deus autem non eſt ſpecies, quia non eſt de pluribus prædi-

prædicabilis. Ergo non continetur ſub genere. Diſtinguo maiorem, quidquid continetur ſub genere immediatè, eſt ſpecies, concedo: mediatè, nego maiorem. Et conceſſa minori, diſtinguo eodem modo conſequēs, videlicet Deũm contineri ſub genere mediatè, non autem immediatè, quatenùs videlicet reducitur ad ſubſtantiam completam vt ſic, quæ reſpectu talis generis, habet rationem ſpeciei ſubalternæ.

Dices demùm. Ergo Deus eſt immediatè ſub ſpecie ſubſtantię completę, & mediatè ſub genere ſubſtantiæ vt ſic, & per cõſequens eſt indiuiduum, adeoque ſubiacet accidentibus, iuxtà definitionē indiuidui, quòd ſit complexum talium proprietatum, & accidentiũ, quod eſt abſurdum, a nobis vt Deo diſconueniens, ſuprà negatum. Concedo primam conſequentiam, ſi loquamur de ſpecie metaphyſica. Sicut enim Deus eſt vnũ indiuiduum metaphyſicum, quatenùs videlicet excludit à ſe omne aliud, ita eſt ſub ſpecie metaphyſica, quatenùs illi conuenit hoc prædicatum ſpecificum, & non aliud. Ex hoc tamen non ſequitur, Deum accidentibus ſubeſſe, eo quòd illa definitio Porphyrij data fuerit ſolùm prò indiuiduo phyſico, non autem prò metaphyſico, & ideo nego ſecundam conſequentiam.

Quòd ſi D. Tho: 1. p. q.3. ar.1., & alibi cum Alberto, Toleto, alijſque communiter videatur oppoſitum dicere, intelligendus eſt de Deo vt Deo, cognito ſub conceptu proprio, & claro, de quo nos non loquimur, vt ſupra totiès profeſſi ſumus.

Pp 2 ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS.

Soluuntur varia argumenta contra ea, quæ ſparsìm diximus in hac diſputatione.

OBijcies primò contrà tertiam articuli primi, Differentiæ ſunt ſubſtantiæ, quia diuidunt genus. Sed hæ ſunt inter ſeſe contrariæ, nam rationalitas eſt contraria hinnibilitati. Ergo ſubſtantiæ ſunt inter ſeſe contrariæ. Diſtinguo primò minorem, ſunt contrariæ lato modo, quatenùs videlicet contrarietas ſonat quamcunque oppoſitionem, & diuerſitatem ſub eodem genere, vt habetur ex 10. met. c.6. & 7. concedo maiorem: Sunt contrariæ rigoroſè, nego minorem; Et diſtinguo eodem modo conſequens, videlicet etiam ſubſtantias poſſe dici lata quadam ratione contrarias, non autem rigoroſè. Ad contrarietatem autem rigoroſam, tria requiruntur. Primum eſt, quòd ſint ſub eodem genere proximo. Secundum quòd ſint formæ poſitiuæ. Et tertium quòd pugnent phyſicè inter ſe, in ordine ad idem commune ſubiectum phyſicum. Hoc poſito, quamuis hinnibilitas, & rationalitas ſint formæ poſitiuæ, & ſub eodem genere proximo, non tamen pugnant in ordine ad idem ſubiectum phyſicum. Cùm enim ſint formæ metaphyſicæ, propriè non ſunt, niſi in ſubiecto metaphyſico, quod perficiunt,

ficiunt, videlicet in genere. Ex hoc autem non ſe mutuò expellunt, nam ſimul & ſemel idem numerò genus, vt tale formaliter, includit omnem differentiam; Et ideo *animal* & eſt *rationale*, & *hinnibile*, quamuis in diuerſis ſpeciebus. Nihil ergo concluditur contra noſtram concluſionem, loquentem tan ùm de contrarietate rigoroſa; qualis non eſt inter differentias. Quare poſſet aliter diſtingui illa maior, videlicet, differentias, adeoque ſubſtantias poſſe quidem admittere contrarietatem relatiuam; non autem mutuam excluſionem ab eodem ſubiecto; quæ ſolùm conuenit accidenti.

Obijcies ſecundò contra ſextam, ignis non poteſt recipere contrarium frigus; neque Cælum accidentia, quibus corrumpatur. Ergo non eſt de ratione ſubſtantiæ, quòd ſit ſuſceptiua contrariorum. Diſtinguo antecedens, ignis non poteſt recipere hoc contrarium, concedo, nullum aliud, nego; Poteſt enim recipere duos motus contrarios, videlicet ſursùm naturaliter, & violenter deorſum. Quòd idem dico de Cælo. Quando igitur dicitur, ſubſtantia eſt ſuſceptiua contrariorum, non eſt ſenſus, quòd quælibet ſubſtantia ſit ſuſceptiua omnium contrariorum, ſed aliquorum. Per hoc autem benè diſtinguitur ab accidentibus, quorum nullum poteſt recipere vllum contrarium.

Obijcies tertiò contra ea, quæ diximus in eodem articulo, diuidendo ſubſtantiam in primam, & ſecundam. Perfectius eſt genus, quàm ſpecies, ſicut hæc eſt perfectior indiuiduo; Ergo genus eſt prima ſubſtantia, non autem compoſitum, ſiue totum. Nego antecedens, quoad primam partem Primò, quia genus eſt pars ſpeciei. Pars autem non eſt perfectior toto. Se-

cundò, quia ſpecies eſt magis in actu, cùm includat differentiam, quæ eſt extra naturam generis. Id autem, quod eſt actu, eſt perfectius eo, quòd eſt in potentia. Neque currit paritas de ſpecie, in ordine ad indiuiduum; Nam hæc eſt illo perfectior primò, quia ſpecies eſt tota natura, & eſſentia indiuiduorum, quæ vt talia ſolùm addunt ſpeciei exiſtentiam, ſubſiſtentiam, & accidentia, quibus eſſentia eſt perfectior. Secundò, quia perfectius eſt id, quod eſt ſecundùm ſe, quàm id, quod eſt per participationem ab alio. Species autem eſt ſecundùm ſe, & indiuidua ſunt per participationem ab illa. Tertiò, quia ſpecies eſt incorruptibilis, indiuidua verò corruptibilia. Hæc autem non militant de genere præ ſpecie.

Dices, Ariſtot. 8. met. c. 1. t. 2. ait, genus eſſe magis ſubſtantiam, quàm ſpeciem, & hanc magis, quàm indiuiduum. Sed hoc eſt proprium primæ ſubſtantiæ. Ergo genus eſt prima ſubſtantia. Reſp. Ariſtotelem in tali loco, nomine ſubſtantiæ intelligere id, quod eſt magis notum, & ſenſibile, non autem id, quod eſt magis ſubiectum, ſeu ſubſiſtens, quod eſt proprium ſubſtantiæ, cùm non ſemper eodem modo (vt dixi) accipiat nomen ſubſtantiæ. Nam 2. met. c. 3. magis ſubſtantias appellat ſubſtantias perfectiores, & nobiliores, cuiuſmodi ſunt intelligentiæ, reſpectu rerum ſub lunarium; Et 2. de anima c. 1. corporea vocat magis ſubſtantiam, quàm incorporea, eò quod ſint nobis notiora, quod idem repetit primò 3. met. c. 5. vbi vocat elementa maximè ſubſtantias, & 7. met. c. 2. vbi ait, corporea eſſe manifeſtiſſimè ſubſtantias. Præterea 7. met. c. 3. vocat magis ſubſtantiam id omne, quod pluri-

pluribus ſubſtat accidentibus, & alibi quod magis recipit contraria, vel magis intenditur in ſua natura, ſecundùm quam inuenitur maior, quàm erat, vt cùm homo ex puero fit adultus, creſcendo quantitatiuè. Vnde patet, neque locum allatum facere contrà nos, neque per illum ſibi Ariſtotelem contradicere.

Ad perfectam tractationem de ſubſtantia, ſupereſſet quæſitio de ſubſiſtentia, quæ vt proprietas illius intrinſeca, vna cum illa ſolet agitari, & nos in ſcriptis agitauimus. Verùm quia, dum hanc logicam ederemus in lucem, coacti fuimus, ordine præpoſtero, nonnullas metaphyſicas præmittere diſputationes, iiſque inſerere tractatum de ſubſiſtentia. Ideo nè eadem bis repetamus, quicunque ex nobis huiuſmodi diſputationem deſiderat, legat in libro, cui titulus eſt *Diſputationes metaphyſicæ* &c. lib.2. diſp.3., vbi materiam, vel theologicam, vel ſaltem theologicis proximam, theologicè quoque habebit exagitatum.

DISPVTATIO IV.

De Prædicamento *ad aliquid*, ſeu De Relatione.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid ſit relatio, & quotuplex?

ARiſt. in prædicam.c.7. definit relationem in concreto hoc modo; *ad aliquid verò talia dicuntur quæcunque hoc ipſum quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur; vel quomodolibet aliter ad aliud*: Quæ definitio eſt potiùs deſcriptio, eo quòd non tradatur per genus, & differentiam: Ad illius autem intelligentiam notandum eſt, relatiua dici *ad aliquid*; eo quòd non poſſint intelligi, quin intelligatur aliquid aliud; cum quo illa habent connexionem, vt eſt *pater* e.g. qui vt talis non poteſt intelligi ſine filio: Præterea per ly *hoc ipſum*; *quòd ſunt*, ſignificat Ariſt. naturam; & ſubſtantiam relatiuorum: Nam ea, quæ ſunt relatiua, eſſentialiter, & ſubſtantialiter referuntur, vel dicuntur *ad aliud*: Et ideo dicit *aliorum eſſe dicuntur*, eo quòd tota eſſentia, & natura relatiuorum ſit ad aliud. Demum dicit *quomodolibet aliter ad aliud*, quia non ſemper relati-

relatiua referuntur per eamdem habitudinem; Nam aliquando referuntur per habitudinem genitiui, vt *pater eſt filij pater*: Aliquando per habitudinem datiui, *vt album A. eſt ſimile albo B.* Aliquando per habitudinem ablatiui, vt *mons eſt maior elephante*. Aliquando accuſatiui, vt *hoc præcedit aliud*, *&c.*

Relatio in abſtracto poſſet ſic definiri *eſt ratio formalis, qua vnum reſpicit aliud*, ſeu *id omne, per quod vnum refertur ad aliud*. Quare relatio dicit in ſuo conceptu formali tria: Primum eſt id, quod refertur, & vocatur fundamentum, & eſt primum relatiuum; Secundum eſt id, ad quod refertur, & vocatur terminus, & eſt ſecundum relatiuum. Tertium eſt id, per quod fundamentum conſtituitur in eſſe tale formaliter, & dicitur ratio proxima fundandi; Quare, paries albus, A, qui refertur ad parietem album B. relatione ſimilitudinis, dicitur fundamentum; paries B. ad quem refertur, dicitur terminus; & albedo, per quam fit ſimilis, dicitur ratio proxima fundandi. Niſi enim daretur albedo in his parietibus, non fundaretur in illis relatio ſimilitudinis; Sicut niſi daretur generatio, Petrus non haberet relationem paternitatis ad Paulum;

Relatio in genere diuiditur primò in realem, & rationis. Relatio realis eſt illa, quæ datur in rebus, præſcindendo ab omni operatione intellectus, vt eſt relatio patris ad filium. Relatio rationis eſt illa, quæ habetur dependenter ab aliqua operatione intellectiua; vt eſt illa, quam habet *animal*, tamquam genus, ad *hominem*, tamquam ad eius ſpeciem; Non enim animal eſſet genus, niſi conſtitueretur formaliter vt tale, per aliquam operationem intellectiuam.

Aliqui

Aliqui admittentes poſſe concipi aliquid obiectiuè in poſſibile, aliter explicant hanc diuiſionem; Dicunt enim nomine relationis realis intelligi illam, quæ eſt ad terminum realem, ſiue poſſibilem, & nomine relationis rationis intelligi illam, quæ eſt ad terminum fictum, & obiectiuè impoſſibilem, cuiuſmodi eſſet relatio ipſius cognitionis, qua cognoſco chimæram, ad ipſam chimæram. Verùm quia ſtatuimus in diſputationibus metaphyſicis, omne obiectum eſſe poſſibile, & reale, & nullum dari huiuſmodi ens rationis obiectiuum. Ideo talem explicationem meritò non admittimus. Præterquamquòd quamuis admittatur illa ſententia de ente rationis obiectiuo, adhùc tamen puto, illam diuiſionem ſuſtineri non poſſe. Ratio à priori eſt, quia cùm relatio ſit nexus fundamenti cum termino, non poteſt dari, niſi inter ea, quæ poſſunt aliquo modo connecti. Sed in hac ſententia, chimæra nihil eſt, & nihil poteſt habere in ſe, propter repugnantiam ad exiſtendum, per quod terminet talem connexionem. Ergo non poteſt vllam terminare relationem. Neque obſtat quòd habeat eſſe obiectiuum; Siquidem hoc non eſt eſſe illius intrinſecum, ſed extrinſecum, eo quòd nihil ſit aliud, quàm cognitio illius, quæ eſt cognitio extrinſeca. Quare in vtraque ſententia futilis eſt hæc diuiſio.

Diuiditur ſecundò, in relationem tranſcendentalem, & prædicamentalem. Quid autem ſint hæ relationes, & per quid differant inter ſe, videbitur infra.

Diuiditur tertiò, in relationem æquiparantiæ, & diſquiparantiæ. Prima eſt illa, quæ in termino habet relationem ſignificatam eodem nomine, vt eſt *ſimilitudo*, quam

quam habet vnum album ad aliud, quæ ſemper vocatur ſimilitudo. Secunda eſt illa, quæ in termino vocatur diuerſo nomine, vt eſt *paternitas*, quæ in termino vocatur filiatio, quamuis ſit eadem.

Prætereà aliæ ſunt relationes fundatæ in vnitate, & numero, & ſunt illæ, quæ fundantur, tamquam in ratione proxima fundandi, in conuenientia, quæ appellatur vnitas metaphyſica, ſeu diſconuenientia, quæ appellatur numerus metaphyſicus. Ea ergo quæ habent vnitatem ſpecificam, ſeu genericam in natura ſubſtantiali, referuntur relatione identitatis, ſeu vnitatis; ſi verò habent diſconuenientiam, referuntur relatione numeri, ſeu diuerſitatis, eo quòd conuenientia in ſubſtantia ſit vnitas, ſeu identitas, & diſconuenientia ſit diuiſio, ſeu multiplicitas metaphyſica. Ea, quæ habent vnitatem in quantitate, referuntur relatione æqualitatis; ſi ſecùs, inæqualitatis. Quòd ſi hæc vnitas, ſeu numerus ſit in loco, fundat relationem propinquitatis, vel diſtantiæ; Si in tempore, coexiſtentiæ, vel prioritatis, & poſterioritatis; Si in qualitate, ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, &c.

Aliæ fundantur in actione, & paſſione, vt eſt relatio cauſæ ad effectum. Aliæ in menſura, & menſurato, & ſunt illæ, quæ deſumunt ſuum gradum perfectionis ab alio, tamquam à regula, & menſura illius, cuiuſmodi ſunt relationes, quas habent potentiæ, & actus ad ſua obiecta, nam ex obiecti perfectione menſuratur eorum perfectio, quæ deſumitur per ordinem ad illud.

Item aliæ dicuntur relationes *ſecundùm eſſe*, & ſunt illæ, quarum eſſentia eſt referri ad aliud, vt *paternitas*, cuius totum eſſe habetur per ordinem ad terminum.

Et aliæ

Et aliæ *ſecundùm dici*, & ſunt illæ, quæ quamuis verè non referantur ad aliud, concipiuntur tamen à nobis, ac ſi referrentur. Huiuſmodi eſt obiectum potentiæ, quod conſideratur à nobis, vt alicuius potentiæ obiectum, quamuis ad illam non referatur. Ita Deus, qui quamuis non referatur ad creaturas, conſideratur tamen vt ad illas relatus relatione ſimilitudinis, qua creaturæ ad ipſum referuntur.

Alia demùm poſſent aſſignari relationum genera, quæ cùm reducantur ad hæc, meritò miſſa facimus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An dentur relationes, quæ conſtituant peculiare prædicamentum? Vbi aſſertur diſcrimen inter prædicamentales, & tranſcendentales.

Ratio dubitandi eſt, quia Aureol. apud Capreol. in 1. diſt.30. qu.1. ſecutus auctoritatem multorum Veterum, quos referunt Auerroes 12. met. comm. 19. & Auicen. lib.3. ſuæ met. c.10. ait, nullam dari veram relationem, ſed omnem relationem eſſe puram, & ſimplicem denominationem extrinſecam, adeoque eſſe potiùs relationem *ſecundùm dici*, quàm *ſecundum eſſe*. Præterea Zeno, alij-

alijque ex vetuſtioribus philoſophis ante Platonem, vt refert Soto, & Alberto in commen prędicam. *ad aliquid*, aiebat dari quidem in rebus relationes reales, illas tamen non conſtituere peculiare genus entis, quod dicatur relatio prædicamentalis, ſed eſſe conditionem quamdam accidentalem, tranſcendentem per omnia entia, ideſt identificatam cum omnibus entibus, quæ dicatur relatio tranſcendentalis, quam ſolam admittebant.

Contrà verò Plato, Ariſt. Auerroes, Simplic. & cum ijs communiter alij tùm Philoſophi, cùm theologi Recentiores, dicunt, non ſolùm dari relationes reales, verùm etiam illas conſtituere proprium prędicamentum, ideſt peculiare genus entis, adeoque dari tam tranſcendentales, quàm prædicamentales.

Prima concluſio, *Dantur relationes reales, non ſolùm tranſcendentales, ſed etiam prædicamentales*. Probatur primò, quia in Deo tres ſunt relationes reales, conſtituentes, & diſtinguentes formaliter diuinas Perſonas. Sed hæ non ſunt meræ denominationes extrinſecæ, ſed aliquid reale, conſtituens peculiare prædicamentum, ab eo, quod conſtituit eſſentia, & natura diuina. Ergo de ſuo conceptu formali ſimpliciter non repugnat, dari veras, & reales relationes. Tum ſic, Dantur in Deo. Ergo etiam in creaturis. Probatur conſequentia, nam vel repugnarent in his, ratione perfectionis, vel ratione imperfectionis? Non primum, quia creatura non eſt Deo perfectior. Non ſecundum, quia relatio de ſuo conceptu formali neque dicit perfectionem, neque imperfectionem, ſed eſt aliquid indifferens ad hoc vt contrahatur ad perfectionem, vel imper-

imperfectionem. Ergo non poteſt alicui non conuenire, ratione imperfectionis.

Probatur ſecundò, quia de facto pater in creatis, antecedenter ad omnem noſtram cognitionem, peculiari modo reſpicit illum, quem genuit. Ergo dicit ad illum relationem. Et idem dico de ſimilitudine inter alba: de prioritate, & poſterioritate tàm temporis, quàm naturæ &c. quæ dantur independenter ab omni intellectus operatione, neque ſunt per omnia transcendentes, ſed conſtituunt peculiare genus entis.

Obijcies, relatio in Deo, per identitatem, quam habet cum diuina natura, eſt aliqaid ſubſtantiale; In creatis verò, ſi daretur, eſſet aliquid accidentale. Ergo ex eo quòd non repugnet in Deo, non ſequitur, non repugnare relationem in creatis. Nego conſequentiam; Quando enim quæritur, an in creatis dentur relationes, non quæritur quid ſint relationes? Nam quæſtio *an ſit*, eſt omninò diſtincta à quæſtione *quid ſit*? Et ideo quando quæritur in phyſicis *quid ſit motus*, non quæritur *an ſit*? Hæc enim quæſtio inſtituitur ad hominem contra Zenonem, qui admittendo quid ſit motus, negabat illum exiſtere; illa verò minimè. Cùm ergo hic ſolùm quæratur, *an detur relatio*, ſiue concedatur, illam eſſe ſubſtantiam, ſiue accidens, dummodò concedatur, illam exiſtere, perinde eſt nobis. Præterquam quod etiam iuſtitia, & ſcientia, volitio, intellectio &c. in Deo ſunt ſubſtantiæ, & in nobis accidentia, non tamen propterea negantur in nobis.

Secunda concluſio, *nullum datur ens omninò abſolutum, quod nullam inuoluat relationem*. Probatur, quia

ens

ens vt ſic adæquatè diuiditur in ſubſtantiam, & accidēs: Sed omnis ſubſtantia est relatiua; quod idem dico de omnibus accidentibus. Ergo omne ens eſt relatiuum. Maior patet ex Organo, & cōceditur ab omnibus. Minor probatur quoad primam partem de ſubſtantia, quia omnis ſubſtantia vel eſt creata, vel increata? Si creata, ergo refertur ad Deum, tamquam ad Creatorem; Si increata, ergo refertur ad creaturas, tamquam ad ſuos effectus. Probatur quo ad ſecundam de accidentibus, non ſolùm, quia omne accidens eſt creatum, ſed etiam quia, cùm ſit in ſubiecto, in ordine ad quod ſolùm dicitur ens, vt vidimus in diſp. de ſubſtantia, dicit relationem ad illud; & ideo dicitur entis ens. Ergo omne ens ſiue ſubſtantia, ſiue accidens, eſt relatiuum aliquo relationis genere, quod ideo dicitur tranſcendentalis, eo quòd tranſcendat per omne genus entis; cuiuſmodi ſunt veritas, bonitas, vnitas &c. quæ innuimus in Organo, & fuſiùs agitabimus ſuo loco. Quia tamē hæ propriè non ſunt relationes, eò quòd non cōſtituant peculiare genus entis, ideo diſtinguuntur ab illis, quæ quia conſtituunt propriùm prædicamentum ex illo dicuntur prædicamentales. Et iure quidem, nam hæ ſolùm ſunt talia entia, vt totum ſuum eſſe ſit ad aliud, quod non verificatur de tranſcendentalibus, vt patet.

Hoc poſito, deſudant Philoſophi, in aſſignando diſcrimine, inter vtrumque genus relationum. In eiuſque aſſignatione in tot varias, & inter ſe ſe pugnantes abiere ſententias, vt longiſſimum, & tædioſiſſimum eſſet ſingulas recenſere. Nos ergo altercationibus omiſſis inutilibus, nihil curabimus in præſentia, quid alij dicant,

cant, ſed ſolùm contenti erimus eo; quòd vt in rebus obſcuris, probabiliſsimum omnium, adeoque etiam certiſsimum iudicabimus.

Tertia concluſio. *Bene diſtinguitur relatio tranſcentalis à prædicamentali, per hoc, quòd illa ſit adæquatè intrinſeca, & eſſentialis fundamento, hæc verò ſolùm extrinſeca, & accidentalis.* Probatur, quia ſicut illud conuenit omni, & ſoli relationi tranſcendētali, ita & hoc omni, & ſoli prædicamentali. Et ideo volitio, cognitio, actio, & alia huiuſmodi dicunt relationem tranſcendentalem ad ſuos terminos, quia illos eſsentialiter reſpiciunt. Contrà verò paries albus A. dicit relationem prædicamentalem ſimilitudinis in albedine, ad parietem B. quia eſt vtrique accidentale, habere albedinem, in qua fundetur hæc relatio. Ergo per hoc aſsignatur ſufficiens diſtinctiuum vnius ab alia.

Quarta concluſio, *ad relationem tranſcendentalem non eſt neceſſe, quòd actu, & verè exiſtat terminus, ad quē refertur fundamentum.* Probatur, quia poteſt dari relatio tranſcendentalis, non ſolùm ad terminum non exiſtentem, ſed etiam ad impoſsibilem, in ſententia admittentem ens rationis obiectiuum, vt patet in cognitione himæræ, & in cognitione creaturæ merè poſsibilis. Sicut enim illa terminatur ad aliquid impoſsibile, ita & hæc ad aliquid nullo modo exiſtens. Sed cognitio dicit relationem ad ſuum obiectum, eo quòd ſine illo intelligi non poſsit. Ergo ad huiuſmodi relationem non eſt neceſsaria termini exiſtentia.

Obijcies, eſt impoſsibile, quòd aliquid reale terminetur eſsentialiter ad aliquid impoſsibile. Ergo vel relatio tranſcendentalis non eſt aliquid reale, vel non

termi-

terminatur ad impoſſibile, poſito quòd illud admittatur vt conceptibile. Diſtinguo antecedens, eſt impoſſibile quòd aliquid reale terminetur eſſentialiter ad aliquid impoſſibile, tamquam ad terminum ſui intrinſecum, concedo: tamquam ad terminum ſibi omnino extrinſecum, nego antecedens; Et dico, relationem tranſcendentalem terminari ad chimæram, purè extrinſecè, vtpotequæ adæquatè identificatur cum ſolo fundamento. Nullum autem eſt abſurdum, quòd aliquid reale reſpiciat impoſſibile, purè ſub ratione termini extrinſeci, immò totum eſſe chimæræ formaliter, in ſententia chimærizante, conſiſtit in hoc, quòd nihil habeat præter rationem termini merè extrinſeci ad cognitionem realem, quod exprimitur illis vocibus *habet eſſe obiectiuè tãtùm in intellectu*, vt fusè fuimus proſecuti in diſputationibus metaphyſicis.

ARTICVLVS TERTIVS.

An relatio prædicamentalis ſit aliqua entitas ſiue modalis, ſiue realis, ſuperaddita extremis?

PRima concluſio, *relatio prædicamentalis non eſt modus ſuperadditus fundamento*. Et contra D. Tho: 1. p. qu. 28. ar. 2. ad 2. Caietan. ibidem Capreol. in 1. d. 30. q. 1. Ferrar. 4. cont. Gen. c. 14. alioſque communiter Thomiſtas. Probatur concluſio, quia finis cuiuſcunque modi poſitiui ſuperadditi,

 eſt

eſt ablatio indifferentiæ, ad aliquem effectum formalem, qui tali modo non poſito, poſſet non ſequi: Sed poſitis fundamento, termino, & proxima ratione fundandi, non poteſt non ſequi relatio: Ergo nulla ſupereſt indifferentia, auferenda per talem modum. Tum ſic, vbi ceſſat finis, ad quem eſt eſſentialiter modus ordinatus, ibi ceſſat poſſibilitas talis modi; vt probauimus in diſput. met. lib.1. diſp.2. ar.1. Ergo poſitis his tribus, nullus datur modus poſitiuus ſuperadditus, ad ponendam formaliter ipſam relationem. Probatur maior, inductione facta per omnes modos, de quibus fusè agemus in phyſicis; qui omnes admittuntur ad vnicam tollendam extremorum indifferentiam.

Obijcies primò, ſi relatio non eſt modus poſitiuus ſuperadditus, non poteſt explicari quid ſi ſimile *vt ſic*; Non enim poteſt dici, eſſe duo qualia, vnum in recto, & aliud in obliquo, nam hoc etiam verificatur de albo, & nigro, quæ non ſunt ſimilia. Sed hoc videtur abſurdum. Ergo relatio eſt modus. Nego maiorem. Primò, quia totum illud, quod aſſignabitur ab Aduerſarijs prò fundamento proximo ſimilitudinis, & prò termino illius, hoc ipſum per nos erit formaliter ſimilitudo. Deinde quia poteſt dici, relationem ſimilitudinis in genere, eſſe duo qualia vnico conceptu cognoſcibilia, adeoque vnica, eademque definitione definibilia, quod nullam trahit modi neceſſitatem. Tertiò quia difficultas, quam experimur in explicando ſimili in communi, non prouenit ex tali, vel tali quidditate relationis, ſed ex obiecto ipſo, quod cùm ſit reductum ad primos conceptus, difficulter, immò difficillimè alijs vlterius explicatur.

Obij-

Obijcies ſecundò, Si relatio non eſt modus; relatiua non diſtinguuntur à purè connotatiuis. Conſequens eſt abſurdum. Ergo & antecedens. Probatur maior, quia relatiua nihil eſſent aliud, quàm duo abſoluta, vnū in recto, & aliud in obliquo; ſicut eſt *cœna*, quæ dicit in recto comeſtionem, & in obliquo tempus veſpertinū. Nego maiorem; Quamuis enim relatiua ſint etiam connotatiua, non tamen ſunt purè connotatiua. Primò quia relatio ſemper dicit in recto fundamentum reale poſitiuum actu exiſtens. At connotatiua poſſunt importare in recto, non ſolùm aliquod negatiuum, vt patet in priuatione, quæ dicit in recto carentiam formæ in ſubiecto, & in obliquo aptitudinem ſubiecti ad illam recipiendam; verùm etiam aliquod non exiſtens, immo etiam chimæricum (in ſententia admittente ens rationis obiectiuum) quia poteſt vnum impoſſibile aliud connotare. Deinde quia connotatiua nihil aliud dicunt, quàm rectum, & obliquum; At relatiua dicunt etiam proximam rationem fundandi.

Secunda concluſio, *relatio prædicamentalis non eſt formalitas aliqua realiter diſtincta à fundamento, & termino formaliter ſumptis*. Eſt contrà Scotum in 2.d.1. q.5. & in 3.d.8. q.1., Iauell. 5.met. q.22. Sotum in prædicam. *ad aliquod* quæſt.2. alioſque multos relatos à Suar. in met. diſp. 47. ſect. 2. Probatur, quia præſcindendo à quolibet ſuperaddito, habetur formaliter eſſentia relationis, vt videbitur infra. Ergo cùm nulla ſit ratio admittendi hoc ſuperadditum, admitti omninò non debet.

Tertia concluſio, *Relatio prædicamentalis non identificatur adæquatè cum fundamento proximo*. Probatur, quia

poteſt illud exiſtere, abſque eo quòd detur relatio. Implicat autem exiſtere cauſam formalem adæquatam, quin exiſtat eius effectus formalis. Ergo cauſa formalis adæquata relationis non eſt ſolum fundamentum proximum. Probatur maior, quia poteſt e.g. dari paries albus A., abſque eo quòd ſit ſimilis parieti albo B. propter defectum exiſtentiæ ipſius parietis B. Sed paries albus A. eſt fundamentum relationis ſimilitudinis ad parietem album B. Ergo cum illo non eſt identificata adæquatè relatio prædicamentalis.

Quarta concluſio, *hæc relatio non conſiſtit tantùm in duobus abſolutis acceptis in recto*. Probatur, quia alioquin paternitas non diſtingueretur à filiatione. Nam paternitas nihil eſſet aliud, quàm Petrus, qui eſt genitor, & Paulus, qui eſt genitus; Et filiatio nihil eſſet aliud, quàm Paulus genitus, & Petrus genitor, qui ſunt ijdem. Sed hoc eſt contrà communem conceptum harum relationum. Ergo &c.

Quinta concluſio, *relatio prædicamentalis non diſtinguitur à fundamento, & termino formaliter ſumptis, quatenùs videlicet conſtituuntur in eſſe tales per proximam rationem fundandi*. Eſt Nominalium ferè communis, vt videre eſt penès Ocham in 1.diſt.30. quæſt.1. Gregor. diſt.28. quæſt.2. ar.2. Aegid. in 1.diſt.26. quæſt.4. Syluestrum in conflato quæſt.28. dubio 1. Heruæum in 1. diſt.30. ar.1. Suar. diſp.47. met. ſect.2. num.22. & demùm eſt ipſius Ariſtotelis, qui 5.phyſ. textu. 10. ait, *neque ei, quod eſt ad aliquod* (ſubintellige contingit motus ſecundũ ſubſtantiam) *contingit enim altero mutationem patiente, verè dici alterum nihil mutationis ſubire*; videlicet poſſe aduenire alicui de nouo relationem abſque

abſque vlla ſui mutatione intrinſeca, ſed per ſolam termini poſitionem, quod fieri non poſſet, ſi relatio eſſet aliquod extremis ſuperadditum, vt patet. Probatur ergo concluſio, quia his præciſè poſitis, & ablatis omnibus alijs, neceſſariò fundamentum refertur ad terminum; Eſt enim impoſſibile, dari e.g. parietem album A; & parietem album B., quin A. referatur ad B. Sed illud, quo ſolùm poſito, etiamſi intelligantur ablata, cætera omnia, ponitur effectus formalis, eſt cauſa formalis illius adæquata. Ergo nihil aliud ingreditur conſtitutionem formalem intrinſecam relationis, præter hæc duo. Ex quo ſequitur, relationem prædicamentalem eſse partim intrinſecam, & partim extrinſecam, fundamento, cùm hoc de ſe ſit indifferens ad hoc vt referatur, vel non referatur ad terminum, & non determinetur ad talem relationem, niſi per exiſtentiam termini formaliter ſumpti.

Obijcies primò cum Pallauicino lib. 5. qui eſt de incarnatione c. 11. nu. 184. contra tertiam, coexiſtentia cum rebus extrinſecis, aliquando eſt perfectio, & aliquando imperfectio ipſi fundamento, vt patet in coexiſtentia Petri cum cognitione vera, vel falſa. Sed perfectio debet eſse adæquatè intrinſeca illi, cuius eſt perfectio. Ergo coexiſtentia eſt adæquatè intrinſeca fundamento. Sed coexiſtentia eſt relatio prædicamentalis. Ergo hæc eſt adæquatè intrinſeca fundamento. Idem contingit in poſterioritate, vel prioritate; Nam perfectior eſt qui benè operatus eſt, illo, qui caret tali denominatione. Non niſi quia in primo datur prioritas in bono, & in ſecundo ſola poſterioritas. Ergo, &c.

Secundò, cum eodem ibidem contra ſecundam, pulchritudo, deformitas &c. non ſunt merè partes, ſed aliquid ab illis diſtinctum. Sed hæ ſunt relationes prædicamentales. Ergo &c.

Tertiò cum eodem ibid. n.182. Ariſtoteles, alijque tàm veteres Philoſophi, quàm recentes impugnantes illos, qui negabant relationes, vt Zenonem, Ocham &c. nomine relationis, debuerunt intelligere aliquid ſuperadditum, nemo enim vmquam negauit duo abſoluta. Ergo in eorum ſententia relatio prædicamentalis eſt aliquid extremis ſuperadditum, alioquin non plùs illi dixiſſent ponendo relationes, quàm alij, quos impugnant, illas negando.

Quartò. Poſſum diſtinctè, immò comprehenſiuè cognoſcere duas entitates e.g. duas durationes, abſque eo quòd intellectus certificetur de earum coexiſtentia. Itē poſſum cognoſcere duas albedines, non cognita earum ſimilitudine &c. Ergo coexiſtentia, ſimilitudo, aliæque ſimiles relationes, ſunt aliquid extremis ſuperadditum.

Quintò. Omnis relatiò prædicamentalis eſt coexiſtentia extremorum. Sed hęc eſt ſuperaddita extremis. Ergo & relatio.

Sextò, contra quintam nōn valet argumētum ex inſeparabilitate ad identitatem, vt à nobis probatum eſt in diſp. met. lib.1. diſp.2. art.5. Ergo ex eo quòd poſitis præciſè extremis, neceſſariò ponatur relatio, infertur quidem eorum inſeparabilitas cum illa, non tamen identitas; Alioquin poſſet etiam dici, quòd ira formaliter nil ſit aliud, quàm accenſio ſanguinis circa cor: Et quòd viſio ſit vnio ſpeciei viſibilis cum oculo;

Sicut

Sicut enim ita ſequitur neceſſariò ex accenſione ſanguinis circa cor; Ita & viſio ex tali vnione ſpecierum cum oculo, quæ ſunt falſiſſima.

Septimò. Relatio eſt ad terminum. Ergo non poteſt includere ipſum terminũ, alioquin & ſe ipſam includeret, & ad ſe referretur, quod eſt abſurdũ. Præterea ſi relatio includeret terminum, album A. e.g. quod eſt fundamentum relationis, ita referretur ad album B; quod eſt terminus, vt etiam hoc ad illud referretur. Ergo relatio non eſſet ad terminum, tamquàm ad aliquod abſolutum, ſed tamquàm ad aliquod relatiuum. Hoc autem dici non poteſt, alioquin admitteretur circulus vitioſus inter hæc extrema, & auferretur diſtinctio inter fundamentum, & terminum. Non ergo relatio includit formaliter terminum.

Octauò. Si per ſola extrema ſaluatur relatio prædicamentalis, poſſet etiam per illa eadem ſaluari tranſcendentalis. Conſequens eſt falſum, quia pugnat cum ſupradictis ar. 2. Ergo & antecedens.

Nonò. Si terminus eſſet pars intrinſeca relationis, ad ſolam illius multiplicationẽ, multiplicarentur relationes. Sed hi ſunt multiplicabiles in infinitum. Ergo etiam relationes, quod videtur abſurdum.

Decimò. Si relatio nihil eſt præter extrema, eſt aggregatum per accidens ex illis. Ergo non conſtituit peculiare genus entis, adeoque malè dicitur prædicamentalis. Præterea talis relatio eſſet merum accidens, reſpectu extremorum, quia videlicet illa poſſent non referri ad inuicem, eo quòd poſſent carere tali ratione proxima fundandi, per quam formaliter conſtituuntur in eſſe talia relatiua. Non ergo diſtin-

guerentur abſoluta à relatiuis, quia omnia poſſent fieri relatiua.

Vndecimò. Poteſt contingere, quòd aliquando creſcente termino, decreſcat ſimilitudo, vt contingit cum ex duobus albis vt 4. vnum fit magis album, videlicet vt 5., vt 6. &c. Tunc enim quò plures gradus albedinis creſcunt in vno, & non in alio, eò minor eſt eorum ſimilitudo. Sed ſi terminus ſit pars eſſentialis relationis, illo creſcente, decreſceret ipſa relatio, & ſimul creſceret; Non enim poteſt aliquid decreſcere, in ipſo formali partium incremento. Ergo cùm hoc inuoluat implicantiam, dicendum eſt à relatione terminum non includi.

Duodecimò. Pater dicit relationem ad filium, etiam quando non eſt generatio, quæ eſt ratio proxima fundandi. Ergo hæc non poteſt eſse prædicatum eſsentiale relationis paternitatis, alioquin poſset dari relatio paternitatis, abſque aliqua ſui parte conſtitutiua, quod implicat.

ARTICVLVS QVARTVS.

Soluuntur omnia argumenta allata contra doctrinam de Relationibus.

AD primum ductum ex eo, quòd aliqua coexiſtentia ſit perfectio, & omnis perfectio ſit intrinſeca, reſpondeo nullum eſse abſurdum, quòd aliquando, cùm terminus ſit intrinſecus ipſi fundamento, tota relatio ſit in ipſo fundamento. Hoc enim non arguit, relationem non includere terminum (quod vnicè impugnaret noſtram concluſionem) ſed ſolùm quòd eſse relationis ſequatur ad eſse fundamenti, & termini, atque adeo cùm aliquando per accidens terminus, quia eſt actus immanens, ſit in anima, quæ refertur ad illum, tota relatio eſt in anima, quod idem accidit de relatione cognitionis A. ad ſe ipſam, quæ eſt adæquatè in ipſa cognitione A., quæ eſt ſimul fundamentum, & terminus. Sicut ergo non ſequitur, vnionem animæ cum actu immanente, eſſe identificatam cum ipſa anima, per hoc quòd anima in ſeſe recipiat terminum illius; ita neque ſequitur ex illa perfectione coexiſtentiæ exiſtentis adæquatè in anima, quòd relatio ipſa ſit identificata adæquatè cum anima. Cęterùm quoad receptionem hanc particularem intrinſecam, totiùs huiuſce relationis in hoc fundamento, non valet conſequentia vniuerſalis, in ordine ad omnem relationem, reſpectu cuiuſcunque fundamenti. Vt autem reſpondeamus in forma, conceſ-

ceſſis præmiſſis, nego cõſequentiã, quæ non bene deducitur, niſi ly *coexiſtentia* ſupponat particulariter, ſicut ſupponit in maiori. Quod ſi dicatur, conceditur etiam conſequentia, vnde nihil ſequitur contrà nos. Ad inſtantiam de poſterioritate, reſponderem eodem modo, niſi peculiarem exigeret conſiderationem in re theologica. Quando enim inſtituitur ſermo de eo, qui bene operatus eſt, reſpectu cuius comparatur? ſi reſpectu alterius itidem bene, & ęquè benè operantis, non poteſt ille dici perfectior hoc, ex eo præcisè, quòd eius bona operatio, tempore præcedat bonam operationem alterius. Ratio eſt, quia Deo omnia ſunt prę-ſentia. Non ergo ex ratione præteriti, meritum augetur; Alioquin eſſet maximum infortunium naſci poſt alios, quia ſemper horum opera bona ęqualis intẽſionis, per hoc præcisè, quòd ſint poſteriora operibus aliorum, eſsent conditionis deterioris, quod dicere eſt temerarium. Sin autem fiat comparatio, reſpectu alterius, vel malè, vel ſaltem inæqualiter benè operãtis, nulla eſt comparatio. Siquidem bona operatio non poteſt comparari cum mala, in ratione perfectionis, vt patet. Neque bona poteſt dici perfectior meliore. Ergo comparatio debet procedere inter opera ęqualis intenſionis. Inter hæc autem prioritas purè temporanea, non auget eorum perfectionem, ſicut neque minuit poſterioritas. Intantùm ergò iuſtus habitualiter operans, dicitur perfectior iuſto actualiter operante in quantùm ſuponitur in illo dari perſeuerantiam in bono opere; adeoque dari non ſolùm illa opera, quę comparantur, ſed etiam alia, quæ nunc operatur, quorum acceſſio efficit in illo prępõderantiam; quam non habe-

haberet, ſi poſtquam bene operatus eſt Iuſtus, deinde quodammodò dormiat, & nihil boni faciat de nouo. Talis enim non erit perfectior alio, nunc eadē operante, quæ ipſe ante ſomnum, vel torpedinem fuerat operatus.

Ad ſecundum ductum ex pulchritudine, deformitate, &c. diſtinguo maiorem, hę non ſunt merè partes ſeorſim ſumptæ, & diſtributiuè, concedo: non ſunt merè partes ſumptæ collectiuè, & ſimul, nego maiorem. Et conceſſa minori, diſtinguo eodem modo conſequens, videlicet relationem prædicamentalem eſſe quidem aliquid ſuperadditum partibus ſeorſim ſumptis, non autem earum collectioni. Sicut enim totum (vt videbimus in 1. de gener.) eſt aliquid præter ſingulas partes, non autem præter omnium complexum, ita & relatio.

Ad tertium ductum ex auctoritate impugnantium negantes relationes, dico illam non extendi contrà negantes relationem ſuperadditam extremis, ſed ſolùm contrà negantes relationem ſuperadditam fundamento. Siquidem hi auctores impugnant illos, qui aliam non admittunt relationem, quàm eſſentialem fundamento, adeoque tranſcendentalem. Nihil ergo probatur exinde contra nos. Præterquamquòd quidquid dixerint veteres, nihil refert ad nos, quibus ſatis eſt probare quod aſſerimus.

Ad quartum ductū ex comprehēſione extremorum, nego conſequentiam. Sicut enim ex eo quòd ego poſſim diſtinctiſſimè cognoſcere materiam primam, abſque eo quòd cognoſcam hominem, non ſequitur, illam non eſſe partem intrinſecam hominis; Ita & in caſu

argumentum, eſt conceptus comparatiuus, ergo debet habere obiectum diuiſibile, ſaltem compoſitum. Cùm enim comparatio ſit inter plura, & nihil ſibi ipſi comparetur, obiectum huius comparationis nō poteſt eſse vnum tantùm indiuiſibile.

Ad quintum de coexiſtentia, nego maiorem, primò quia relatio prioritatis, & poſterioritatis eſt inter 2. non coexiſtentia. Et deinde quia multa ſibi coexiſtunt, quæ non referuntur ad inuicem, vt *homo, & lapis: calor, & color &c.* Terriò quia non omnis coexiſtentia eſt ſuperaddita extremis, nam coexiſtentia durationū, nihil eſt formaliter, præter ipſas durationes.

Ad ſextum ſitum in eo, quòd non valeat illatio ex inſeparabilitate extremorum à relatione, ad eorum cum illa identitatem, nego ſuppoſitum. Non enim ego infero huiuſmodi identitatem ex tali inſeparabilitate, ſed potiùs ex identitate, quam probo, ſequitur deinde probata inſeparabilitas. Et ratio eſt, quia probatio noſtræ concluſionis non procedit ex ſola poſitiua extremorum poſitione ad ipſam relationem, ſed ex poſitione facta per ablationem omnium aliorum. Huiuſmodi autem poſitio non poteſt inferre ſolam inſeparabilitatem, ſed etiam identitatem, vt patet; alioquin ſi hæc relatio non eſset identificata cum extremis, intelligeretur ablata in eorum poſitione, adeoque ex vna parte remaneret, quia ſupponitur inſeparabilis, & ex alia fuiſset ablata, quia ſupponuntur auferri omnia, præter extrema. Vel ergo hæc relatio conceditur identificata cum extremis, & habemus intentum; vel diſtincta, & non poteſt in noſtra hypotheſi remanere cū ſola poſitione extremorū; adeoque tantùm abeſt, vt ex

hoc

hoc argumento probetur ſola illius inſeparabilitas, vt vel probetur eius identitas, vel eius ſeparabilitas. Probo conſequentiam, In tali hypotheſi vel ſupponitur ablata, vel non? Si primum, ergo eſt ſeparabilis, non enim poteſt auferri aliquid ab alio permanente, quod ab illo eſt inſeparabile. Si ſecundum. Ergo eſt identificata, nam omnia alia, præter identificata, intelliguntur auferri. Ergo à primo ad vltimum nihil probat contra nos hoc argumentum.

Ad inſtantiam de ira, & de viſione, nego paritatem, & ſequelam, primò quia cùm ira formaliter ſit actus reſultans effectiuè, & non formaliter ex accenſione illa ſanguinis circa cor, poſſet, ſaltem ſupernaturaliter impediri à Deo, ſicut poteſt impediri viſio, etiam poſita vnione ſpecierum viſibilium cum oculo, quæ ſolùm eſt cauſa efficiens viſionis, & non formalis. At poſitis extremis formaliter, neque ſupernaturaliter poteſt impediri relatio, quæ eſt illorum effectus formalis. Deinde viſio, cùm ſit actus immanens potentiæ viſiuæ, debet eſſe aliquid diſtinctum à connexione ſpeciei viſibilis cum oculo, quæ connexio eſt potiùs effectus, & actus ipſius obiecti emittentis tales ſpecies viſibiles ſui, quã ipſius oculi illas recipientis. Quod idem dico de ira reſpectu accenſionis illius ſanguinis. Relatio autem ex nullo capite debet eſſe aliquid diſtinctum ab extremis relatiuis, eo quòd illorum non ſit effectus, in genere cauſæ efficientis, ſed ſolùm in genere cauſæ formalis, adeoque non poteſt eſſe eorum actus immanens.

Ad ſeptimum, ductum ex eo quòd relatio reſpiciat terminum, nego primò conſequentiam. Sicut enim per hoc quod totum includat partem, à qua formaliter

conſti-

conſtituitur, non includit ſe ipſum, ita neque relat . . refertur ad ſe ipſam, per hoc quòd referatur ad aliquo . ſui. Deinde diſtinguo antecedens, relatio eſt ad terminum *vt quo*, concedo: *vt quod*, nego antecedens, & cum illo conſequentiam. Sicut enim ſpecies viſibiles non vident, quamuis ſint ratio formalis, vt videatur obiectum; Ita & relatio non refertur, quamuis ipſa ſit ratio, vt fundamentum referatur ad terminum. Sicut ergo *materia, forma*, & *vnio* ſimul ſumptæ conſtituunt totum, à quo ſingulæ includuntur; Ita *fundamentum, terminus*, & *ratio proxima fundandi* conſtituunt relationem, à qua reſpicitur terminus, qui habet reſpectu illius, rationem vnius tantùm partis.

Ad inſtantiam de reſpectu fundamenti ad terminū, tamquam ad ſui correlatiuum, dupliciter reſpondeo, Primò diſtinguendo antecedens, A. refertur ad B. quod ad ipſum A. refertur per eumdem reſpectū formaliter, nego: per diuerſum formaliter reſpectum; & ſolùm eumdem phyſicè, tranſeat antecedens. Et diſtinguo eodem modo conſequens, relatio eſſet ad aliud relatiuum eadem relatione formaliter, nego, diuerſa relatione, tranſeat conſequentia. Ex qua non infertur circulus ille vitioſus, inculcatus in probatione ſubſumptæ minoris, qui ſolùm ſequitur ex eadem relatione formaliter. Deinde diſtinguo primum conſequens, relatio eſt ad terminum, tamquàm ad aliquod relatiuum formaliter, & reduplicatiuè ſumptū, nego: materialiter, & ſpecificatiuè ſumptum, concedo conſequentiam, ex qua taliter diſtincta, non ſequitur vllus circulus vitioſus.

Ad intelligentiam autem diſtinctionis, obſeruādum eſt,

eſt, omnem relationem prædicamentalem eſſe mutuam (& ideo non admiſi diſtinctionem illius in mutuam, & non mutuam allatam ab Arriaga). Ratio eſt, quia cum includat, tamquam partem ſui, ipſum terminum, etiam terminus debet eſſe relatiuus, vt conſtituens formaliter relationem. Fundamentum ergo diſtinguitur à termino merè extrinſecè per nominationem, ſeu aſſignationem accidentalem, eo quòd videlicet ponatur in recto. Cæterùm illud idem, quod nunc eſt fundamentum, poteſt eſſe terminus, ſi ponatur in obliquo. Et ideo ſi accipiantur materialiter, neuter ſibi vendicat, eſſe potiùs fundamentum, quàm terminum, quorum diuerſitas habetur formaliter per noſtros conceptus. Hoc poſito, cùm hi conceptus ſint inter ſeſe diuerſi, hinc eſt, quòd ſi modò vni applicentur vt fundamento, & alteri vt termino, & modò ordine inuerſo, numquam committatur circulus vitioſus, quia ſemper aſſignantur formaliter noua extrema per conceptuum nouitatem, adeoque noua relatio.

Ad octauum de illatione relationis tranſcendentalis, nego ſequelam. Diſparitas eſt, quia tranſcendentalis eſt etiam ad terminum non exiſtentem, vt videre eſt in volitione, & cognitione; Adeoque non poteſt illa quæ de facto exiſtit, includere partem de facto non exiſtentem.

Ad nonum de multiplicabilitate relationum, diſtinguo maiorem, multiplicarentur inadæquatè, tranſeat; adæquatè, nego maiorem. Et conceſſa minori, diſtinguo eodem modo conſequens, admittendo ſcilicet earum infinitam multiplicabilitatem inadæquatè, non autem adæquatè ſumptarum. Cùm ergo multiplica-

tio

tio relationum inadæquatè, nihil ſit aliud, quàm multiplicatio terminorum, ſi hæc nullum trahit abſurdum, neque illa. Sicut ergo abſque vllo abſurdo, multiplicatis in infinitum cognitionibus circa parietem A., multiplicantur cognita inadæquatè; Ita & multiplicatis terminis, multiplicantur inadæquatè relationes, abſque vllo abſurdo.

Ad decimum de aggregato per accidens, nego conſequentiam. Nam etiam locus eſt aggregatum per accidens ex ſuperficie corporis ambientis, & eiuſdem immobilitate; & tamen conſtituit peculiare prædicamentum. Quod idem dico de tempore, habitu, multiſque alijs. Ad inſtantiam de accidente, diſtinguo conſequens, ſi relatiua accipiantur materialiter, & ſpecificatiuè, concedo: ſi verò accipiantur formaliter, & reduplicatiuè, nego conſequentiam. Sicut enim comeſtio eſt indifferens ad hoc vt denominetur prandiũ, vel cæna, & illi eſt omninò per accidens, quòd fiat potiùs tempore meridiano, vndè denominetur prandiũ, quàm tempore veſpertino, vnde cæna denominetur; Ita & fundamentum eſt indifferens ad hoc vt connectatur cum tali termino potiùs, quàm cum alio. Quod idem dico de termino reſpectu fundamenti. Quare ſicut fundamentum poteſt tranſire ab *eſſe abſoluto*, ad *eſſe relatiuum*; Ita & terminus poteſt tranſire, ab *eſſe terminum*, ad *eſſe fundamentum* per aliam relationẽ. Quod ſi accipiantur formaliter vt fundamentum, vel terminus, non ſunt amplius indifferentes ad huiuſmodi tranſitum, ſicut non eſt indifferens ad eſſe cænam, comeſtio facta tempore meridiano, vt talis formaliter, & reduplicatiuè. Cùm ergo relatiua vt talia ſemper

luant iſtam formalitatem, quam non inuoluunt abſoluta, ideo ſemper hæc diſtinguuntur ab illis.

Ad vndecimum de decremento relationis, in ipſo actuali termini augmento, Reſpondeo, hoc poſſe contingere, ſi terminus accipiatur materialiter, non autem ſi formaliter accipiatur. Terminus enim formaliter ſumptus, in eo caſu talis relationis, non ſolùm dicit vnitatem ſimpliciter in eſſe album, ſed etiam vnitatem intenſiuam in eſſe taliter album, videlicet in eſſe album vt 4. vt 5. &c. Quare cùm ſupponamus per incrementum graduum tolli huiuſmodi vnitatem intenſiuam, non remanet amplius idem formaliter terminus, eo quòd non remaneat eadem ratio proxima fundandi, per quam formaliter conſtituitur in eſse talem terminum, qui vt talis proinde non eſt capax augmenti, vel decrementi.

Ad duodecimum, ductum ex relatione paternitatis, durante etiam tranſacta generatione, multi reſpondent, concedendo totum, eo quòd aſſerant, relationem paternitatis eſſe tranſcendentalem. Hæc tamen reſponſio ſuſtineri non poteſt, quia cùm hæc relatio fundetur in actione, & paſſione, non poteſt eſse identificata cum ſolo patre generante, vt eſset neceſsarium ad relationem tranſcendentalem. Et ratio eſt, quia actio trãſiens, qualis eſt generatio, eſt in termino, & non in agente. Ergo non poteſt eſse relatio tranſcendentalis, ſed prædicamentalis. Reſpondeo igitur primò, negando antecedens. Cùm enim generatio ſit actio, per quam diffunditur, & propagatur eſsentia patris, ſaltem quoad materiale, in ipſum filium, durante filio, non intelligitur tranſacta generatio, ſed perſeuerans in eſse

ad

ad minimum quoad partes primigenias, ex quibus ſubſtantialiter producitur filius. Quare bene poteſt concedi, iuxtà hanc reſponſionem, generationem eſſe rationem proximam fundandi talis relationis, quia cùm illi non deſit actualis exiſtentia, poteſt etiam intrinſecè conſtituere actualem relationem paternitatis. Secundò nego conſequentiam, cuius probationem diſtinguo, poſſet dari relatio paternitatis adęquatè ſumpta, abſque aliqua ſui parte, nego: poſſet dari inadæquatè, concedo antecedens, & nego conſequentiam, per quam aſſeritur, hoc implicare. Ad intelligentiam aduertendum eſt, paternitatem adæquatè ſumptam includere formaliter, non ſolùm actionem denominantem patrem genitorem, quæ dicitur generatio; ſed etiam paſſionē denominantem filium genitum, quę dicitur filiatio. Non dicitur ergo adæquatè conſiſtere paternitas, niſi in tempore complectente actionem emanantem e patre, & paſſionem receptam in filio. Sicut ergo quando datur ſola actio generatiua, non dicitur dari adæquatè paternitas, ita neque illa datur adæquatè, quando tranſacta generatione, ſola remanet filiatio, ſeu terminus generatus. Quare poſſet etiam diſtingui antecedens, quoad illam partem, generatio eſt ratio proxima fundandi adæquata paternitatis, nego: eſt ratio inadæquata, concedo antecedens. Et deinde diſtingui conſequens. Ergo poſſet dari hæc relatio adæquatè, abſque aliqua ſui parte, nego: poſſet dari inadæquatè, concedo conſequentiam. Bene igitur poteſt pater dicere relationem ad filium, etiã quando non datur generatio, quia tunc neque datur paternitas adæquatè, neque generatio intelligitur non exiſtere,

in ordine ad exiſtentiam paternitatis adæquatè. Numquam igitur verificatur, dari relationem ſine ratione proxima fundandi; Quia ſicut illa non datur adæquatè, niſi hæc adæquatè ponatur; ita ad illius exiſtentiam inadæquatam, ſequitur etiam inadæquatè ratio proxima fundandi.

Tertiò, diſtinguo antecedens, pater dicit relationem ad filium, quando ſimpliciter non eſt generatio, nego: quando non eſt generatio de præſenti, tranſeat conſequentia, ex qua non ſequitur, dari relationem ſine aliqua ſui parte. Cùm enim paternitatis denominatio, importet formam præteritam, ſicut eſt denominatio *antiqui*, *benedicti*, &c. ſatis eſt quòd illa præceſſerit, ad hoc, vt habeat exiſtentiam ſufficientem ad conſtituendam talem relationem. Quid enim eſt aliud, dari patrem, niſi dari illum hominem, qui alium genuit? Verùm quidem eſt, omnes has denominationes à forma præterita, dicere etiam aliquid de præſenti, quod nunc duret. Nam e.g. *prioritas* dicit nunc illud, reſpectu cuius denominatur prius, quod eſt vltimum complementum illius; *Aqua benedicta* dicit de præſenti qualitatem aliquam, per benedictionem infuſam in aqua, per quā aqua eleuetur ad hoc, vt habeat virtutem conferendi gratiam. Sic etiam paternitas dicit filium de præſenti, in quo remaneant partes illæ primigeniæ, de quibus egimus in prima reſponſione, & ſupra quas cadit denominatio generati.

Dices, quando datur generatio, non datur filius; & quando datur filius, non datur generatio. Ergo numquam dantur omnia illa tria ſimul; Et per conſequens vel illa omnia non ſunt de intrinſeca conſtitutione paterni-

ternitatis, vel hæc numquam datur adæquatè; quod vtrumque eſt abſurdum. Primò diſtinguo antecedens, quando datur generatio, non datur filius inchoatiuè, nego: non datur filius perfectè, tranſeat antecedens. Et conceſſa prima conſequentia, nego ſecundā, quoad vtramquem partem. Ratio eſt, quia cùm nuper ſtatuerimus, paternitatem adæquatè ſumptam eſſe aliquid eſſentialiter ſucceſſiuum, includens generationē antecedentem, & filiationem conſequentem, vtique tota ſimul exiſtere non poteſt, ſicut neque poteſt exiſtere *prioritas, poſterioritas, hora* &c. Cùm ergo includat partes priores, & poſteriores, exiſtere non poteſt adæquatè, niſi in tempore complectente ſaltem duas partes, in quarum vna ſit generatio, & in alia filiatio. An autem hæ partes debeant eſſe phyſicè diſtinctæ, vel ſolùm metaphyſicè, ſicut & ipſæ filiatio, & generatio, eſt alia quæſtio alibi examinanda. Poteſt ergo pater acquirere denominationem generantis per exiſtentiam inchoatam filij, ſicut conditor Vrbis denominatur talis, per hoc præcisè, quòd iecerit fundamenta illius; nō tamen poteſt dari adæquatè paternitas, niſi detur etiā perfectè filiatio. Deinde aliter diſtinguo idem antecedens, quando datur generatio adæquatè, non datur filius, nego; quando datur generatio inadæquatè, non datur filius, tranſeat antecedens. Et diſtinguo conſequens, numquam ſimul dantur illa tria, ſimultate temporis, concedo: ſimultate principiationis, nego conſequentiam.

Ex dictis infer primò, vnam relationem poſſe aliam fundare. Siquidem tota ſimilitudo, quæ intercedit inter duo alba A. & B. refertur ad ſimilitudinem, quæ

tercedit inter alia 2. alba C. & D. Ex hoc autem nullus ſequitur proceſſus infinitus, vt aliquis conatur inferre: Nam hæ relationes habent ſolùm combinationes finitas, poſito quòd finita ſint extrema relatiuorum. Numquam enim per additionem finiti in infinitum, fit tranſitus ex finito, ad infinitum, vt patebit in phyſicis.

Infer ſecundò, cauſam in actu primo dicere relationem tranſcendentalem ad effectus poſſibiles, eo quòd talis relatio ſit cauſæ eſſentialis, & adæquatè illi intrinſeca; Cauſam verò in actu ſecundo, vt talem formaliter dicere relationem prædicamentalem ad effectum productum, eo quòd talis reſpectus ſit illi partim intrinſecus, & partim extrinſecus, quia fundatur in actione, & paſſione. Quare cauſa in actu ſecundo, duplicem habet relationem ad effectum, alteram tranſcendentalem, quam habebat etiam in actu primo, & alteram prædicamentalem, quam acquirit ex poſitione termini, & per quam formaliter denominatur cauſa in actu ſecundo, ſeu actu cauſans.

Hæ autem relationes nõ ſunt inter ſeſe adæquatè diſtinctæ, ſed ſolùm inadæquatè, quatenus videlicet eadem relatio tranſcendentalis, quę nectit fundamentum cum termino vt purè termino, adueniente termini exiſtentia, denominatur prædicamentalis, per acquiſitionem ſolius extrinſecæ denominationis, illi reſultantis ex poſitione termini de nouo, ratione cuius connectit idem fundamentum cum eodem termino vt exiſtente.

Dices, ergo vna, eademque relatio poteſt eſſe tranſcendentalis, & prædicamentalis. Ergo non diſtinguuntur inter ſe. Diſtinguo primum conſequens, eadem rela-

relatio poteſt eſſe tranſcendentalis, & prædicamentalis adæquatè, nego: inadæquatè, concedo conſequentiam. Sicut enim in ſententia admittente formas partiales in viuentibus, eadem materia, quæ eſt ſub forma oſſis, poteſt eſse cum illa, & vnum totum per ſe, quod dicitur caro, & pars hominis, in quo includitur; Ita eadem cauſa, vt potens calefacere e. g. & eſt relatio tranſcendentalis per ſe, & eſt pars relationis prædicamentalis. Nam in primo caſu, conſideratur cum potentia ſecum identificata, vt præciſa ab exiſtentia actus, & in ſecundo, vt de facto actuata, ſeu coniuncta cum exiſtentia ſui actus. Quemadmodum ergo eadem eſt præciſè cauſa, quæ actuatur, cum illa, quæ poterat actuari; Ita eſt eadem relatio tranſcendentalis, ſiue coniungatur cum exiſtentia termini, ſiue cum ſola illius poſſibilitate. Diſtinguuntur tamen hæ duæ relationes etiam in caſu allato, tamquam totum, & pars, quatenus videlicet tranſcendentalis eſt pars prædicamentalis.

Vrgebis, relatio tranſcendentalis eſt eſſentialis fundamento, prædicamentalis autem accidentalis. Ergo non poſſunt in vnum coaleſcere. Diſtinguo conſequẽs, non poſſunt coaleſcere ſecundùm rectum, nego: ſecundùm obliquum, concedo conſequentiam. Dico igitur, rectum ſecundæ, eſſe idem fundamentum primæ relationis, quamuis diuerſimodè affectum extrinſecùs à denominatione termini aduenientis, & ideò dixi, eſſe vnum, & idem ſolùm inadæquatè, videlicet ſecundùm aliquam partem, & non ſecundùm omnes. Verùm de hoc, deque multis alijs ſpectantibus ad perfectam tractationem de relationibus, multò plura dicemus in metaphyſicis.

De reliquis prædicamentis, videlicet de quantitate, qualitate, tempore, loco, actione, & paſſione agemus in phyſica, metaphyſica, aliiſque philoſophicis libris, quorum laboribus inhæremus. De habitu egimus in primo libro. Et ideo non debemus ampliùs eorum quæſtiones inter logicas admiſcere, præſertim cùm propter connexionem, quam habent cum reliquis materijs, propriorem alibi ſibi vendicent tractationem.

DISPVTATIO V.

De Poſtprædicamentis.

ARiſtoteles in quinque poſtremis capitibus, libri prædicamentorum, explicat aliquos terminos, qui dicuntur poſtprædicamenta, *eo quòd de illis agatur in fine huius libri, & quia eorum notitia deducitur quodammodo, inſtar concluſionis, ex notitia prædicamentorum. Hæc autem ſunt quinque, videlicet* oppoſita, prius, ſimul, motus, habere. *Nos de ſingulis tractationem inſtituemus, quæ maiori breuitate fieri poterit, ſufficienti ad eorum notitiam. Omittimus tamen, præter morem, concluſiones, quia agitur de re ferè communi, de qua vix poteſt eſſe controuerſia penès auctores.*

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

De Oppoſitis, & Priori.

OPpoſita ſunt quadruplicis generis. Primum complectitur *relatiua*, cuiuſmodi ſunt *dimidium* reſpectu *dupli*: *ſcientia* reſpectu *ſcibilis*: *virtus* reſpectu *vitij* &c. Et hæc habent oppoſitionem, non in ordine ad exiſtendum ſimpliciter, poſſunt enim ſimul coexiſtere, ſed in ordine ad idem ſuppoſitum. Et ſic Pater in diuinis, opponitur filio relatiuè, per hoc præcisè, quòd paternitas non poſſit eſſe in eodem ſuppoſito cum filiatione, ſicut neque poteſt idem ſuppoſitum eſſe ſimul dimidium, & duplum: ſciens, & ſcibile: ſtudioſum, & vitioſum.

Secundum cõplectitur *priuatiua*, vt *cæcus*, *videns*. Ad hanc autem oppoſitionem duo requiruntur. Primum eſt, vt ſubiectum priuationis, ſit aptum ad illam formam, cuius habet priuationem. Et ideo lapis non dicitur cæcus, quamuis careat viſione, quia ad illam non eſt aptus. Alterum eſt *circumſtantia* determinata partis, & temporis. Ob cuius defectum neque adultus dicitur habere manum cæcam, quamuis hæc careat viſione, & ille ſit ſimpliciter aptus ad videndum, neque infans ante aliquot menſes à natiuitate dicitur edentulus, quamuis careat dentibus, quia adultus non habet in manu potentiam ad videndum, & infans tali tẽpore, eſt ineptus ad dentes, ſaltem naturaliter. His aliqui addunt tertium requiſitum, videlicet ordinem

irre-

irregreſſibilem, quem explicant per hoc, quòd huiuſmodi priuatio, eo quia proueniat ex corruptione potentiæ, ſit inauferibilis naturaliter. Vnde ortum traxiſſe aiunt adagium illud, *à priuatione ad habitum non datur potentia, ſiue regreſſus*. Quia videlicet, aiunt per hoc quòd aliquis dormiat, & actu non videat, non proinde dicitur cæcus, eo quia habeat integram potentiam ad videndum.

Sed hanc Doctrinam puto falſiſſimam. Ratio eſt, quia materia informata forma ligni, verè habet priuationem formæ ignis, & tamen poteſt naturaliter illam recipere; Ita aer tenebroſus dicitur luce priuatus, quãuis poſſit lucem recipere. Quare vel loquuntur de priuatione actus, vel de priuatione habitus, ſiue potentiæ? Si primum, eius falſitas patet exemplo materiæ, quæ ſimul habet priuationem ignis, & potentiam ad ignem. Si ſecundum, eſt etiam falſum, quia cùm potẽtia ſe habeat ad ſubiectum per modum actus, ſi poteſt ille inducere priuationem ſubiecto, cum retẽſione potentiæ, per ſui receſſum; poteſt etiam potentia proxima e.g. inducere ſui priuationem cum retenſione potentiæ remotæ, quam actuat, & quæ dicitur priuata. Et ideo materia prima, quatenus ſubſtat formæ aquæ, dicitur priuata potẽtia proxima ad formam ignis, quã poteſt acquirere per expulſionem frigoris, & humiditatis, factam introductione caloris, & ſiccitatis. Quare adagium illud *ex potentia ad habitum &c.* verum eſt, ſi bene intelligatur. Verus autem eius ſenſus eſt, quòd ſubiectum non poſſit tranſire ex priuatione formæ, ſeu habitus ad eamdem numerò formam, ſiue habitus, ſi talem priuationem habent ex corruptione illius. Et

ideo

ideo dicitur *non datur regreſſus*, id eſt reditus, ſaltem naturaliter, ſupponēdo ſcilicet, eumdem numerò effectū naturaliter recuperari non poſse.

Ad inſtantiam autem de cæco, dico, illum qui dormit, non dici cæcum, non quia verè tunc non habeat priuationem viſionis, ſed quia non habet priuationem potentiæ viſiuæ, quæ formaliter conſtituit cæcitatem. Quare exemplum cæci non eſt ad rem, cùm ex illo non probetur priuatio actus vt priuatio eſt, de qua eſt quæſtio, ſed ipſius potentiæ vt potentiæ, de qua nō eſt quæſtio. Hìc enim non diſputatur, an ſola actus viſiui priuatio conſtituat formaliter cæcitatem, nec ne, ſed an ſit de ratione priuationis ſupponere in obiecto corruptionem potentiæ, quod tali exemplo minimè probatur.

Tertium oppoſitorum genus complectitur contraria, & quartum contradictoria. Sed quia de his fusè egimus in Organo lib. 2. ar. 3. Ideo quicunque eorum tractationem voluerit, hunc librum conſulat. Quorū occaſione, inueniet etiam tractatū de ſubcontrariјs, & ſubalternis, tamquam ijs, quæ reducuntur vel ad contradictoria, vt ſubcontraria; vel ad relatiua, vt ſubalterna.

Prius quattuor modis poteſt aliquid dici. Primò prioritate temporis, quando videlicet tempore præcedit, vt ſenex reſpectu pueri. Et hanc prioritatem vocat Ariſtoteles in hoc capite, maximè propriā, eo quòd ſit omnium notiſſima, quia fundatur in tempore, quod patet omnibus. Cætera verò eatenùs priora dicuntur, quatenùs ad prioritatem temporis referuntur.

Secundò prioritate, quę dicitur *à ſubſiſtendi conſequētia*;

tia, quam innuimus in diſputatione de vniuerſalibus. Illud autem dicitur prius hoc genere prioritatis, quod ita infertur ex alio, vt hoc ipſum non inferat; cuiuſmodi eſt *vnum* reſpectu *duorum*, nam ex eo quòd ſint duo, valet inferre, quòd ſit vnum, non autem econuerſo. Quare hoc genere prioritatis, omnia vniuerſalia, & genera ſuperiora dicuntur priora, reſpectu ſuorum inferiorum. Siquidem bene infertur *eſt homo, ergo animal*, non autem e contra, *eſt animal, ergo homo*.

Tertiò prioritate dignitatis, ſeu ordinis, vt prorex reſpectu ciuis, & elementa reſpectu propoſitionum in geometria, ſeu proemium reſpectu narrationis in oratione. Sicut enim prorex eſt dignior ciue; Ita & elementa priùs traduntur, quàm propoſitiones, & priùs habetur proemium, quàm narratio. Immo quamuis ordine inuerſo traderentur ab aliquo, adhùc tamen dicerentur priora, quia priùs ordine tradi debent.

Quartò demum dicitur aliquid prius prioritate naturæ, ſeu cauſalitatis, quam prioritatem aliqui etiam vocant quoad conuertentiam, ſeu reciprocationem. Hæc autem prioritas non datur, niſi inter cauſam, & effectum; Et ideo Sol eſt prior natura ſua luce, cuius eſt cauſa. Prius autem prioritate naturæ non debet præcedere tempore ipſum poſterius, ſed poteſt eſſe in eodem tempore cum eo, vt contingit in ſole, qui eſt in eodem tempore cum ſua luce, cuius eſt cauſa, & quam natura præcedit. Et ideo Ariſtoteles hic c. 13. ait ea, quæ ita ſe habent, ſunt ſimul tempore. Hæc etiam prioritas datur inter ea, quorum vnum; quamuis verè non ſit alterius cauſa, tamen à nobis concipitur vt talis.

lis. Et ideo *homo* e.g. dicitur prior natura ipſa riſibilitate, quia licèt ſit phyſicè identificatus cum illa, nihilominus tamen concipitur à nobis vt cauſa illius, ſaltem metaphyſica. Nomine autem cauſæ intelligitur totum illud, quod ſe tenet ex parte actus primi phyſici, ideſt ex quo conſtituitur principium completum, & potens exire in actum cauſandi, vt ſunt *accidentia, conditiones ſine quibus non* &c.

Aliqui conantur explicare huiuſmodi prioritatem, per hoc, quòd prius poſſit eſſe ſine poſteriori, poſterius verò ſine priori eſſe non poſſit. Quia tamen hoc non conuenit omni cauſæ ſimpliciter, etiam poſſibili, cùm ſit poſſibilis aliqua cauſa, quæ non habeat hoc prædicatum, ſed eſſentialiter coniungatur cum ſuo effectu, vt probabimus in ſecundo phyſicorum; Ideo non poteſt admitti hæc explicatio, niſi cum duplici limitatione. Prima eſt, quòd ſermo ſit ſolùm de cauſis actu exiſtentibus, vel potentibus exiſtere in hoc ordine rerum, non autem de alijs poſſibilibus in alio ordine. Secunda eſt, quòd non extendatur ad cauſas inadæquatas, ſed reſtringatur ad ſolas adæquatas, cuiuſmodi non eſt vlla creatura, quæ ſine Deo efficere nihil poteſt.

Ex his facile erit conijcere poſteriora; Siquidem contrariorum eſt eadem diſciplina. Vt autem omnia memoria teneri poſſint, his carminibus comprehenſa cernantur, *tempore, natura, prius ordine, dic & honore. Cauſaque cauſato dicitur eſſe prior*.

Theologi, vt explicarent myſterium Trinitatis, inuexerunt in ſcholas quintum genus *prioris*, videlicet *originis*. Num cùm ex vna parte Pater in diuinis, ſit

pr-

primum principium aliarum Perſonarum, & ex alia nullo ex quattuor dictis modis poſſit appellari prior, non *tempore*, quia eſt ſimul ab æterno: non *dignitate*, quia eſt æqualis: non *ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam*, quia mutuò cum alijs infertur: Non *natura*, quia non eſt cauſa; Ideo ad ſaluandam eius prioritatem, adinuenere prioritatem originis, quæ conſiſtit in hoc, quòd vnum ſit quomodocumque principium alterius, dummodo ſit verum principium, non autem ſolùm per noſtrum modum concipiendi, ſeu per aliquam fictionem, vt eſt pater æternus, à quo verè, & proprijſſimè Filius principiatur, vt aſſeritur à Theologis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Simul, motu, & habere.

TRipliciter poſſunt aliqua eſse ſimul. Primò ſimultate temporis, quando videlicet ſunt eodem tempore; Et hæc dicuntur ab Ariſtotele, *quorum generatio eſt in eodem tempore*, ideſt quorum neutrum eſt prius, neque poſterius. Et dicitur proprijſſimè ſimultas, & datur e.g. inter ſeſſionem, & ſcriptionem, quando aliquis ſedens ſcribit. Secundò ſimultate naturæ, quæ conſiſtit in mutua conuertentia conſequentiæ eorum, quorum vnum eſt principium alterius, vt ſunt *duplum*, & *dimidium*, *pater*, & *filius* in diuinis, & cætera mutuò correlatiua. Tertiò, dicuntur ſimul ea, quæ ex æquo diuidunt aliquod genus. Et

ideo *volatile*, *greſſibile*, & *aquatile* dicuntur ſimul eſse, quia ex æquo diuidunt *animal*. Tunc autem dicuntur diuidere genus ex æquo, quando æquè immediatè illud diuidunt, ita vt vnum non diuidat id, quod eſt diuiſum ab alio. Nam *rationale*, *volatile*, & *irrationale*, non diuidunt ex æquo *animal*, quia *volatile*, potiùs diuidit *irrationale*, quàm *animal*, eò quòd ſit illi magis immediatum, quã huic. Alij explicant diuiſionem generis ex æquo, per hoc, quòd membra diuidentia ita ſe habeant, vt vnum non dependeat ab alio, cuiuſmodi ſunt *volatile*, & *aquatile* reſpectu *animalis*. Sed hæc explicatio ſuſtineri non poteſt, nam e. g. *corpus*, & *accidens* ſunt ab inuicem independentia, & tamen ex æquo non diuidunt *ens*; cum *corpus* diuidat illud mediante *ſubſtantia*, ad quam reducitur, accidens autem immediatè.

Ex dictis colligit Ariſtoteles, genera, & ſpecies non eſſe ſimul natura, ſicut duplum, & dimidium, quia nõ eſt mutua conſequentia à genere ad ſpeciem, accipiendo tamen genus, & ſpeciem primointentionaliter, prò ipſis naturis, ſcilicet *animali*, *homine*, *equo* &c. non autem ſecundointentionaliter, nam tunc cùm ſint correlatiua, ſunt ſimul natura.

Motus eſt tranſitus rei ex potentia in actum, vt eſt tranſitus plantæ ex potentia ſeminis in actum plantæ. Species autem motus enumerantur ſex ab Ariſtotele c. 14. videlicet *generatio*, *corruptio*, *augmentatio*, *diminutio*, *alteratio*, & *ſecundùm locum mutatio*.

Generatio eſt productio compoſiti ſubſtantialis, vt eſt *productio ignis*, *plantæ* &c. Huius autem deſtructio dicitur *corruptio*, vt *extinctio ignis*, *mors hominis* &c. *Augmentum* eſt acquiſitio maioris quantitatis, vt quando

creſcit

creſcit planta, & homo adoleſcit. *Diminutio* eſt amiſſio habitæ quantitatis, vt quando homo decreſcit, minuitur planta &c. *Alteratio* eſt motus qualitatis, vt productio caloris in aqua &c. *Mutatio ſecundùm locum* eſt quando ex vno fit tranſitus ad alium locum. Hæc autem innuiſſe ſit ſatis, nam earũ proprias definitiones, tunc afferemus, cum de ijs agemus ex profeſſo.

Poſtremum eſt *Habere*. Hoc autem dicitur octo modis, vt colligitur ex capite. 15. Primò enim dicitur *ſecundum habitum*, vel *diſpoſitiones*, vt habere ſcientiam, iuſtitiam, frigiditatem &c. Secundò *Secundum quantitatem*, & magnitudinem, vt habere tres palmos, ſeu decempedas, ideſt eſſe menſurabile ſecundùm tres palmos, aut decempedas. Tertiò *Secundùm veſtem*, vel *ornatum*, vt habere veſtem ſericam, annulum aureum &c. Quartò habere partes, vt habere caput, manum &c. Quintò *Secundùm partem*, vt habere annulum in digito, pileum in capite &c. Sextò *per modum vaſis*, vt ænophorus, vel calix habet vinum &c. Septimò *Secundùm poſſeſſionem*, vt habere domum, agrum &c. Octauò *habere vxorem*, & hoc dicitur impropriè, quia vir in tantùm dicitur habere vxorem, in quantùm illi cohabitat. Cæterum neque eſt Dominus illius, cùm ſint ſibi mutuò ſubditi, neque illam habet, niſi vt ſociam, & cohabitantem.

LIBER

LIBER QVINTVS. LOGICAE

Priorum, & Poſteriorum.

EGimus vſque adhùc de ijs, quæ ſpectant ad primam, & ſecundam intellectus operationem, videlicet de terminis, & propoſitionibus, quæ ſunt materia proxima, & remota ſyllogiſmorum. Veniendum demùm eſt ad ipſius formæ ſyllogiſticæ elucidationem, quod fit in 4. libris, duobus prioribus, & totidem poſterioribus, qui dicuntur analytici *ab* ἀναλύειν *quæ reſolutionem ſignificat, eo quòd in eis procedatur ab Ariſtotele methodo reſolutiua, quam docet eſſe aptiſſimam ad tradendas ſcientias, ſicut compoſitiua ad artes factiuas. Diuiduntur autem hi libri in reſolutiones priores, & poſteriores, vt ſeruetur ordo proprius ſcientiarum, in quibus ex vniuerſalioribus ad particularia paulatim deſcenditur. In*

prioribus ergo agitur de ſyllogiſmo in vniuerſùm, & in poſterioribus de ſyllogiſmo in particulari, videlicet de demonſtratione. Nos quia ferè omnia ſpectantia ad ſyllogiſmum in communi, ſatis ſuperque tradidimus in Organo lib. 3. per totum; & multa, quæ ſpectant ad ſylogiſmum in particulari, expoſuimus in libro primo huius tomi diſp. 3. Ideo cætera pauca, quæ ſuperſunt, feſtinanter percurramus, vt videlicèt ad rem phyſicam quantociùs accedamus. Vnicam ergo inſtituemus diſputationem, in qua agemus de omnibus ijs, quæ quomodocunque reducuntur ad quidditatem intrinſecam ſyllogiſmi, & quæ vſque adhùc omiſimus ad hunc locum.

DISPVTATIO VNICA

De Forma,& quidditate ſyllogiſmi.

ARTICVLVS PRIMVS.

An concluſio ſit de eſſentia, & quidditate intrinſeca ſyllogiſmi? Vbi an præmiſſæ cauſent efficienter concluſionem?

Ratio dubitandi deſumitur ex lib.6. ethic. c.3., & primo poſter. t.5. vbi aſſeritur à Philoſopho, nomine ſyllogiſmi non venire,niſi aggregatum præmiſſarum.Eius autem fundamentum in talibus locis eſt, quia videlicet poſito tali complexo, nulla ſupereſt intellectui vlterior difficultas ad aſſenſum præſtandum, adeoque neceſſitatur ad concluſionem. Ex quo aliqui deducunt, concluſionem deinde non ſequi, tamquam partem eſſentialem, ſed vt proprietatem, ſeu effectum neceſſarium illius, vt videtur loqui Phyloſophus lib.1.prior.c.26 & alibi ſæpe.Quarè ſicut calefactio, conſequens neceſsariò ad approximationem ignis ad paſsum, non dicitur pars appro-

ximationis, ſed effectus illius; ita & concluſio non erit pars ſyllogiſmi, ſed effectus ad illum conſequens. Prò reſolutione.

Notandum eſt, Ariſtotelem non fuiſse conſtantem in acceptione huius termini *ſyllogiſmus*. Nam aliquando illius nomine intellexit, vt vidimus, ſolas præmiſsas: aliquando ſolam concluſionem, vt primò prior. c.5., & 1. poſter. c.2. t.19., & 2. poſt. t.3. & aliquando aggregatum ex præmiſſis, & concluſione, vt 2. prior. c.7. & primo de anim. t.48.

Concluſio prima, *concluſio eſt de eſſentia, & de intrinſeca ratione, & quidditate ſyllogiſmi*. Eſt contra Albert. Magn. in c.1. primi lib. prior. tract.1. c.5. Niphum comment. 2. in 2. prior. dub.2., alioſque nonnullos Recentiores. Probatur primò ex definitione ipſa ſyllogiſmi, tradita 1. prior. c.1., videlicet *oratio, in qua quibuſdam poſitis, alterum quid à poſitis, neceſſe eſt contingere, eo quòd hæc ſint*. In qua aduertunt hic Conimbric. ſyllogiſmum dici *orationem in qua*, non autem *ex qua concluſio infertur*. Tum ſic. ſyllogiſmus eſt oratio, in qua eſt cõcluſio. Ergo hæc eſt eius pars eſsentialis. Probatur conſequentia, quia alioquin falſum eſset; concluſionem eſse intrà ſyllogiſmum, eo quòd effectus ſit extrà cauſam.

Secundò à priori, quia ſyllogiſmus eſt eſsentialiter tertia intellectus operatio. Sed hæc eſsentialiter includit concluſionem, expreſsam per ly *ergo*. Ergo & ille. Maior eſt euidens, non enim eſt aliquod accidentale iudicio, quòd inferatur ex alio, vt infrà patebit. Minor probatur, quia alioquin nullum daretur diſcrimen inter ſecundam, & tertiam intellectus operationem.

Tertiò, quia ſi ſyllogiſmus conſtaret ex ſolis præmiſſis, enthymema conſtaret ex ſolo antecedenti. Sicut enim ſe habet concluſio ſyllogiſmi ad præmiſſas, ita & conſequentia enthymematis ad eiuſdem antecedens. Sed hoc eſt abſurdum; quis enim dicat, vnicum tantùm iudicium eſſe diſcurſum formalem? Ergo falſum eſt antecedens.

Ad rationem dubitandi reſpondeo, præmiſſas eſse quidem cauſam concluſionis, etiam in genere cauſæ efficientis vt mox patebit; ex hoc tamen non ſequitur, illam non eſſe de ratione intrinſeca ſyllogiſmi, ſed ſolùm eam non eſſe de ratione intrinſeca præmiſſarum, quòd vltrò concedo. Sicut enim e. g. per hoc quòd forma ſubſtantialis ligni ſit effectus materiæ primæ, ex cuius potentia educitur, non arguitur, eam non eſſe de ratione intrinſeca ligni, quod conſtat ex materia, & forma vnitis; Ita per hoc quòd præmiſſæ ſint cauſa concluſionis, arguitur quidem earum diſtinctio ab hac, non tamen hanc non eſſe partem intrinſecam ſyllogiſmi, qui formaliter reſultat ex connexione præmiſſarum cum concluſione, tamquam aliquod totum, in quo illa tria formaliter includantur vt conſtitutiua intrinſeca, & eſſentialia. Quando igitur Ariſtoteles ait, nomine ſyllogiſmi intelligi præmiſſas ſolas, tunc locutus eſt de ſyllogiſmo vt mouente intellectum ad concludendum, ſeu inferendum, adeoque prò ſyllogiſmo intellexit argumentum, ideſt id, ex quo aliud infertur. Et ideo ab illo excluſit concluſionem. Sicut contra excluſit ab illo præmiſſas, quandò prò illo intellexit ſolam illationem, ſeu diſcurſum virtualem; Incluſit autem tam concluſionem, quàm præmiſſas, quando ſumpſit ſyllogiſmum

Probatur tertiò, quia ſi præmiſſæ concurrerent ſolùm formaliter, non neceſſitarent phyſicè intellectum ad concluſionem, inijciendo illi antecedentem neceſſitatem, ſicut bonitatis propoſitio non neceſſitat voluntatem ad amorem illius. Cùm ergo intellectus neceſſitetur etiam quoad exercitium, vt infrà patebit, vtique eius concurſus ad concluſionem eſt connexus neceſſariò, cum præmiſſarum concurſu neceſſitantium.

Neque obſtat quòd voluntati ad amorem finis ſufficiat illius formalis propoſitio, vt contra nos vrget Arriaga diſp. 15. log. ſect. 5. n. 61. Nam voluntas eſt libera, adeoque non poteſt ad actus liberos obiecti cognitione neceſſitari, quod de intellectu minimè verificatur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An poſitis præmiſſis, neceſſitetur formaliter intellectus ad concluſionem, & quomodo?

ATtulimus definitionem ſyllogiſmi in Organo philoſophico lib. 3. c. 1. deſumptam ex primò prior. c. 1. *eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliud quiddam ab his, quæ poſita ſunt, ex neceſſitate accidit, eò quòd hæc ſunt*. In qua explicuimus lÿ *ex neceſſitate accidit* prò neceſſitate, quam diximus intelle-

ctui ineſſe, ad inferendam cõcluſionem, poſito aſſenſu præmiſſarum. Hinc oritur quæſtio, ſuper hac neceſſitate, an videlicet illa verè detur, & in quo formaliter conſiſtat?

Oſeruandum eſt, duplicem à Philoſophis admitti neceſſitatem, aliam quę dicitur quoad ſpecificationem, & aliam quoad exercitium. Neceſſitas quoad ſpecificationem eſt illa, quæ neceſſitat quidem ad ſpeciem, non tamen ad actum, vt eſſet e.g. illa, quam habet Petrus ad amandum Paulum, quocumque amoris actu ipſe voluerit, ita tamen, vt ſi nolit vllo modo amare, poſſit, non tamen poſſit Paulum odiſſe. Quare hæc neceſſitas eſt potiùs negatiua, quàm poſitiua, eo quòd potiùs retrahat ab actu oppoſito, quàm impellat ad actum poſitiuum. Et ideo dicitur neceſſitas contrarietatis, quia neceſſitat ad vnum ex duobus contrarijs, non tamen abſolutè, ſed ex ſuppoſitione, quòd voluntas velit operari. Neceſſitas quoad exercitium tunc datur, quando potentia cogitur poſitiuè ad actum A. determinatè, neque poteſt illum non elicere. Et ideo dicitur neceſſitas contradictionis, eo quòd cogat ad vnam contradictionis partem determinatè, cuiuſmodi eſſet illa, quam habet Caius ad deſcendendum, poſito quòd impellatur ab alio è feneſtra deòrſum.

Concluſio, *Poſitis præmiſſis rectè diſpoſitis, neceſſitatur intellectus ad concluſionem, non ſolùm neceſſitate contrarietatis, ſed etiam contradictionis*. Probatur quoad primam partem, quia poſito quòd intellectus bene percæptis terminis, eorumque cõnexione cum medio, aſſenſum præbuerit his duabus præmiſſis, *omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo*, non poteſt elicere iſtam con-

clu-

cluſionem, *ergo Petrus non eſt animal*, quæ eſt propoſit o oppoſita concluſioni eliciendæ. Ergo habet neceſsitatem contrarietatis ad hanc, *ergo Petrus eſt animal*. Conſequentia eſt euidens. Antecedens probatur, quia verum vt verum non poteſt eſse motiuum intellectus ad diſsenſum, ſicut bonum vt bonum non poteſt mouere voluntatem ad odium. Sed poſitis his præmiſsis bene diſpoſitis, concluſio elicienda, videlicet *ergo Petrus eſt animal*, repræſentatur intellectui vt verum, iuxta illa *quæ ſunt eadem vni tertio*, &c. Ergo non poteſt mouere ad concluſionem oppoſitam; alioquin poſset intellectus aſſentiri falſo vt falſo, & negare verum vt verum, quod eſt abſurdum.

Probatur quoad ſecundam partem, quia intellectus eſt potentia neceſsaria. Ergo poſitis omnibus ad agendum requiſitis, non poteſt non agere. Sed poſitis præmiſſis rectè diſpoſitis, & aſsenſu circa illas, iam ſunt poſita omnia requiſita, ad hoc vt intellectus eliciat talem concluſionem. Ergo non poteſt intellectus illam non elicere, & per conſequens neceſſitatur ad illam, quoad exercitium.

Obijcies primò, poteſt voluntas non amare bonum vt bonum. Ergo etiam intellectus non aſſentiri vero vt vero. Secundò poteſt intellectus impediri à voluntate, nè exeat in talem concluſionem, eo quòd ſit regina cæterarum potentiarum. Ergo non eſt neceſſitatus, ſaltem quoad exercitium. Tertiò, ex iiſdem præmiſſis plures poſſunt deduci concluſiones, ſcilicet vniuerſalis, & particularis, conuertens, & conuerſa. Ergo intellectus non eſt neceſſitatus ad hanc numerò concluſionem, adeoque quoad exercitium.

Ad primum primò nego conſequentiam. Diſpari tas deſumitur ex libertate voluntatis, quam intellectus non habet. Deinde diſtinguo antecedens, poteſt voluntas non amare bonum vt bonum, ſi repræſentetur vt purè bonum, ſine vllius admixtione mali, nego antecedens; In hoc enim fundat D.Tho: 1.p. q.82. ar.2. neceſſitatem amoris beatifici in Patria. Si verò illi repræſentetur cum admixtione alicuius mali, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Non enim currit paritas, cùm in veritate concluſionis, nulla poſſit apparere admixtio falſitatis, eo quòd veritas ſit vna tantùm, & bonitas multiplex, videlicet honeſta, vtilis, & delectabilis. Et hæc eſt ratio quarè nos liberè operemur circa creata, immo etiam circa Deum cognitum per ſpecies rerum creatarum, quia inter creata nihil eſt purè bonum, adeoque ſemper voluntas reperit in illis aliquod malum, quod refugiat, & ratione cuius poſſit illud obiectum reſpuere. Sicut & ipſe Deus, quãuis ſit omnis bonitatis origo, & eſſentialiter à ſe omne malum excludat, tamen vt cognitus abſtractiuè per ſpecies rerum creatarum apparet non vt purè bonus; Et ideo poteſt odio haberi, & poſtponi, quamuis imprudenter, per peccatum, alicui bono creato, quod hic & nunc appareat peccatori maius bonum ſibi. Ex quo colligit D.Tho: omne peccatum mortale ſapere infidelitatem, & idololatriam, vt innuimus in diſputationibus metaphyſicis. Verùm hæc ad theologos.

Ad ſecundum diſtinguo antecedens, poteſt intellectus impediri in ordine ad concluſionem obſcuram, & ineuidentem, concedo: in ordine ad concluſionem claram, & euidentem, nego antecedens. Et diſtinguo

eodem

eodem modo conſequens, non eſt neceſſitatus intellectus quoad exercitium, ad omnem concluſionem, etiã ineuidentem, concedo: non eſt neceſſitatus ad concluſionem claram, & euidentem, cuiuſmodi eſt concluſio directa in prima figura, nego conſequentiam. Prò quo obſeruandum eſt, voluntatem non exercere ſuum imperium circa omnes, & ſingulos actus, tàm intellectus, quàm aliarum potentiarum materialium. Non enim poteſt voluntas impedire e.g. nè oculus videat obiectum rectè diſpoſitum, & applicatum potentiæ viſiuæ, neque facere quòd potentia loco motiua nõ moueatur deorſùm, ſi e feneſtra aliquis proijciatur; neque quòd auris non audiat, nares non odorentur &c. Sicut ergo imperiũ voluntatis non cadit, niſi circa illas operationes indifferẽtes potentiarũ materialiũ, ad quas nõ ſunt omnino, ſaltẽ quoad modum à natura determinatæ; Ita neque cadit, niſi ſupra illas intellectus operationes, ad quas nõ eſt à natura determinatus, loquẽdo de imperio directo. Operationes autem, ad quas non eſt intellectus determinatus, ſunt actus obſcuri, qui cùm ſint erroribus obnoxij, nõ debent ita facilè poſse fieri; adeoque expedit, vt eorum exercitium pendeat à voluntate, à qua ſecundùm regulas prudentiæ, quando expedit, imperentur, & quando non expedit opportunè cohibeantur; Quare circa actus claros, & euidentes, voluntas imperium exercere non poteſt, niſi indirectè, & mediatè, quatenùs videlicet poteſt excitare phantaſmata, & ſpecies, quibus determinetur intellectus ad hanc apprehenſionem potiùs, quàm aliam, & illa mediante, ad tale iudicium, ſeu concluſionem. Cæterùm numquam poteſt voluntas, poſitis præmiſsis in forma, excitare phantaſma-

taſmata ad apprehenſionem, à qua determinetur intellectus ad actum oppoſitum concluſioni eliciendæ, quia hoc eſset non regere, tamquam ſubditum intellectum, ſed illius naturam peſsundare, & euertere, adeòque potiùs tyrannidem exercere, quod naturæ alieniſſimum eſt.

Dices, poteſt voluntas per excitationem phantaſmatum proponere intellectui obiectum potentius, & validius, adeoque illum diſtrahere, ſaltem indirectè, à concluſione elicienda, & allicere ad actum, non quidem illi oppoſitum, ſed alium impertinentem, faciendo, vt non aduertat ad bonitatem talis illationis. Ergo ſaltem poſſet illum impedire quoad exercitium talis actus. Reſpondeo concedendo totum. Hoc enim non probat, intellectum non eſſe neceſſitatũ ad hunc actum quoad exercitium directè, & per ſe, ſed ſolùm indirectè, & per accidens, quod non pugnat cum noſtra concluſione, procedente ſolùm de neceſſitate directa, & per ſe; alioquin nulla cauſa eſſet neceſſaria, quia omnes poſſent per accidens impediri, nè agant? Quis autem dicat, quòd ſi per accidens aliqua impediatur, falſificetur proinde principium illud, *cauſa neceſſaria debitè applicata, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, neceſſariò agit?* Siquidem hoc debet intelligi directè, & per ſe, præſcindendo à quocumque caſu fortuito. Quis enim dicat, ignẽ non calefacere per hoc quòd poſsit aliquã do eius calor à vento vehementiſsimo diſtrahi aliò, vel vacuo intermedio, ſeu alio quocunque miraculo impediri per accidens, vt contigit in fornace Babylonica? Et ratio eſt, quia in huiuſmodi euentibus fortuitis, & violentis, vel ponitur obex poſitiuè, vel tollitur aliquod ex neceſ-

ſariò

ſariò prærequiſitis ad agendum. Ergo non eſt idem caſus, de quo procedit concluſio, quod videlicet intellectus, ſeu cauſa, & habeat omnia requiſita, & careat impedimentis.

Ad tertium nego conſequentiam. Nam hæ concluſiones, quæ poſſunt deduci ex ijſdem præmiſsis, verè non ſunt plures, ſed vna tantùm, vt vidimus in Organo. Et ratio eſt, quia qui infert *ergo omnis homo eſt animal*, profectò infert etiam *ergo Petrus eſt animal*, quæ continetur in illa vt ſubalternata; & præterea *ergo aliquod animal eſt homo*; quæ eſt illius conuertens. Ex veritate autem conuerſæ, debet ſemper poſse inferri veritas conuertentis, vt diximus in loco citato. Ceterùm præſcindendo ab his propoſitionibus, non poſsunt ex ijſdem præmiſsis deduci plures concluſiones, quæ verè ſint plures, & quarum vna vel formaliter, vel virtualiter non ſit alia.

Ex dictis infer, neceſſitari quidem intellectum ex præmiſſis ad concluſionem quoad ſubſtantiam, non autem quoad modum, nempe facilitatem, firmitatem aſſenſus, voluptatem &c. vt diximus in lib. 1. diſp. prima, at. 5. & in diſp. proemiali.

ARTI-

ARTICVLVS TERTIVS.

An concluſio reflectat ſupra obiectum præmiſsarum? Vbi an requiratur iudicium de bonitate illationis?

RAtio dubitandi eſt, quia cùm intellectus ducatur à præmiſſis ad concluſionem, debent præmiſſæ habere rationem motiui formalis; atque adeo cùm ab hoc intellectus præſcindere non poſſit in operando, videtur, quòd dum elicit ipſam concluſionem, debent aduertere ad vim motiuam impellentium præmiſſarum, adeoque reflectere circà earum obiectum.

Prima concluſio, *non ſemper intellectus determinatur ſufficienter à præmiſſis ad inferendam quamlibet concluſionem*. Probatur, quia aliquando concluſio eſt adeo obſcura, vt nõ parùm defatigetur intellectus in illius executione, eo quòd eius bonitas ex præmiſſis clarè non appareat. Non poteſt ergo ad illam ſufficienter determinari, niſi ex aliquo alio iudicio, quo clarè appareat bonitas illationis.

Secunda concluſio, *Hoc iudicium debet eſſe phyſicè diſtinctum ab ipſis pręmiſſis, ſi illę ſint obſcuræ, & indirectę.* Probatur primò, quia poſitis præcisè præmiſsis e. g. *aliquis homo eſt ſubſtantia, nullus equus eſt homo*, non poteſt

teſt intellectus iudicare, an bonum ſit hic, & nunc inferre hanc concluſionem in *Friſeſomorum*, *ergo aliqua ubſtantia non eſt equus*, quia ſemper dubitabit, an illa ſit vera, & verè inferatur ex illis. Ergo requiritur aliquod aliud iudicium, phyſicè diſtinctum ab illis præmiſſis, quo intellectus amittat illam dubitationem, & cognoſcat, verè talem concluſionem ex illis ſequi, adeoque eſse veram in ſe.

Deinde quia hoc iudicium debet eſse euidens, eo quòd debeat aduertere connexionem illius concluſionis, cum aliquo ex illis principijs *dictum de omni*, &c. Debet ergo diſtingui à premiſſis obſcuris.

Tertia concluſio, *hoc iudicium de bonitate illationis, non eſt neceſſarium in ordine ad concluſiones directas, & euidentes*. Probatur primò, quia de earum veritate dubitari non poteſt. Et deinde quia alioquin daretur proceſſus in infinitum in huiuſmodi iudicijs; nam etiam illa ſunt concluſiones pendentes ex illis principijs *dictum de omni, dictum de nullo* &c. ſine quorum aduertentia, & applicatione, cognoſci non poteſt bonitas illationis. Dicendum igitur eſt, has concluſiones cognoſci vt optimas in ipſis præmiſſis, abſque vllo alio iudicio antecedenti.

Quarta concluſio, *iudicium de bonitate illationis non poteſt eſſe identificatum formaliter cum ipſa concluſione obſcura*. Probatur, quia hoc iudicium debet ſe tenere ex parte motiui formalis, & actus primi, quo adæquatè poſito, poteſt vel indirectè, (vt ſupra dictum eſt) vel ſaltem ſupernaturaliter impediri concluſio, quæ eſt actus ſecundus, ſicut poteſt impediri, nè ignis calefaiat, poſitis omnibus requiſitis in actu primo ad calefacien-

ciendum. Non poſſet autem vllatenùs impediri, ſi eſſet identificatus cum concluſione, quia poſito toto actu primo, intelligeretur poſita etiam ipſa concluſio, quæ eſſet cum illo inadęquatè identificata, videlicet cum tali iudicio. Ergo ab illo diſtinguitur.

Quinta concluſio, *intellectus non mouetur ab obiecto præmiſſarum immediatè ad concluſionem, ſed à iudicijs antecedentibus, quæ dicuntur præmiſſæ formales*. Probatur, quia ad hoc vt intellectus iudicet e.g. *Petrum eſſe riſibilem*, non ſatis eſt *quòd verè Petrus ſit homo, & omnis homo ſit riſibilis*; ſed debet hoc ab illo cognoſci, & cognitum affirmari. Si enim ſupponamus, ab aliquo non cognoſci, omnem hominem eſſe riſibilem, vtique non poterit ab illo inferri, *ergo Petrus eſt riſibilis*, per hoc præcisè quòd Petrus ſit homo, & omnis homo ſit riſibilis; nam poterit hoc ab illo negari. Illud ergo, quod immediatè, & proximè determinat intellectum ad hoc inferendum, eſt quòd ille conceſſerit illas præmiſſas, quibus conceſſis, non poteſt deinde non concedere conſequentiam, quæ continetur in illis. Sicut ergo obiectum non mouet immediatè ad illud concedendũ, ſeu iudicandum, ſed ſolùm ad illud apprehendendũ, ita nec mouet immediatè ad hoc inferendum ex illo, quod ſine iudicio fieri non poteſt.

Sexta concluſio. *Actus concluſionis non reflectit ſuprà obiectum præmiſſarum, neque illud attingit, vt rationem formalem motiuam*. Probatur primò, quia ſi illud attingeret, maximè quia deberet ab illo moueri ad eliciendam concluſionem. Sed (vt modò diximus) intellectus non mouetur ab obiecto ad eliciendam concluſionem. Ergo neque illud attingit.

Pro-

Probatur ſecundò,quia poteſt haberi tota eſſentia, ſiue quidditas concluſionis formalis,abſque eo quòd illa reflectat ſupra tale obiectum. Ergo non eſt neceſſaria hæc reflexio. Conſequentia eſt euidens.Antecedens probatur,quia ſaluatur primò, illam eſſe aſſenſum mediatum, & pendentem eſsentialiter à præmiſſis, per hoc quòd pendeat à præmiſſis formalibus, tamquam à determinatiuo,ſeu motiuo formali. Deinde quomodo aſsentiamur illius obiecto propter aliud;nam aſsentimur illi propter aſsenſum præſtitum circà obiectum præmiſsarũ.Tertiò quomodò dicatur aſsenſus eſsentialiter illatiuus, nam pendet eſsentialiter à præmiſſis formalibus,ex quibus infert veritatem ſui obiecti.Quartò demum quomodo ſit eſsentialiter concluſio, & non poſſit variari quoad ordinem cum præmiſſis, propter dependentiam eſsentialem ab illis,quam præmiſsę non habent.

Obijcies primò,ideo intellectus infert,*ergo Petrus eſt animal*, quia videt *Petrum*, & *animal* connecti cum eodem medio, quod eſt *homo* in præmiſſis, ex vi illius *quæ ſunt eadem in vno tertio* &c. Sed nõ poteſt hoc videre, niſi videat connexionem, quæ eſt inter obiectum præmiſſarum, & obiectum concluſionis, in qua connexione ſita eſt tota eſſentia, & vis ſyllogiſmi.Ergo quando elicit concluſionem, attingit totum hoc, & per conſequens obiectum præmiſsarum. Deinde non poteſt voluntas amare medium vt medium, niſi etiam amet finem eodem actu.Ergo neque intellectus poteſt aſsentiri obiecto concluſionis, niſi per eamdem concluſionem attingat intrinſecè obiectum præmiſsarum.

Ad primum concedo totum, quod non impugnat

concluſionem noſtram. Aliud enim eſt, quòd intellectus attingat obiectum præmiſſarum, dum elicit concluſionem, & aliud, quòd illud attingat formaliter per ipſam concluſionem. Primùm concedo, vt ſupra ſuppoſui, nam hoc eſt attingere tale obiectum extrinſecè; ideſt per alium actum, non autem intrinſecè, & eſſentialiter, ideſt per eumdem actum concluſionis. Secundum negaui, & iterum nego propter rationes allatas. Poteſt igitur intellectus huiuſmodi connexionem attingere, adeoque ipſum obiectum præmiſſarum, vel per iudicium de bonitate illationis prærequiſitum ad concluſionem obſcuram; vel per ipſam minorem, in qua continetur tale iudicium virtualiter, ſaltem in ſyllogiſmis euidentibus, & directis, vel per vtramque præmiſſam coexiſtentem concluſioni, vt probabimus ar. 5. Numquam ergo ex hoc infertur, eſſe neceſſarium, quòd hoc obiectum intrinſecè attingatur ab ipſa concluſione.

Ad ſecundum nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia tota bonitas, quam habet medium vt medium, habet à fine, cùm per ſe, vt purè tale nullam habeat bonitatem. Quare vt ſit obiectum amabile, & terminet aliquem actum amoris, debet connecti cum ipſo fine, à quo præciſum nō eſt amabile. Obiectum autem concluſionis eſt per ſe cognoſcibile, quia per ſe eſt verum, adeoque potens terminare ipſam concluſionem, cùm ſaltem ab Angelo, vel à Deo cognoſcatur ſine vllo ordine ad obiectum præmiſſarum; Immò cùm potiùs hoc, quàm illud habeat rationem medij, ex eo quòd finis debeat inuolui formaliter in ratione medij, vt medij, potiùs ſequeretur oppoſitum, videlicet obiectum

con-

conclusionis inuolui formaliter in obiecto præmiſsarum, quia hoc eſt medium ad illud cognoſcendum. In fine autem non debet neceſsariò apparere medium.

Dices, obiectum conclusionis, quatenùs tale, cognoſci non poteſt, nisi cognoſcatur obiectum præmiſsarum, à quo habet, vt sit formaliter tale. Ideo enim credo e. g. *eſſe diem*, quia *credo, eſſe ſolem*, aliter non crediturus. Ergo in obiecto conclusionis neceſsariò debet inuolui reflexio ad obiectum præmiſsarum. Nego conſequentiam, quæ non infertur ex illo antecedenti. Quare verum eſt, me ideo credere eſse diem, quia credo eſse ſolem, quamuis falſum ſit, obiectum concluſionis fieri tale formaliter ab obiecto præmiſſarum. Ex hoc autem aliud non infertur, quàm dependentia, ſeu connexio eſsentialis huius iudicij *eſt dies*, ab illo alio *eſt ſol*; adeoque ly *ideo* non dicit dependentiam obiecti conclusionis ab obiecto præmiſsarum (Posito enim ſole, si ego hoc non credam, non proinde ſum ſufficienter determinatus ad illum aſsenſum *ergo eſt dies*.) ſed ſolùm vnius iudicij ab alio, quod nos non negamus. Obiectum ergo conclusionis, vt tale eſt formaliter, inuoluit quidem dependentiam ab alijs iudicijs formalibus antecedentibus, sine quibus intelligi non poteſt, non autem dependentiam ab eorum obiecto. Quando igitur dico, *ergo Petrus eſt rationalis, quia eſt homo, & omnis homo, eſt rationalis*, ly *quia* denotat non rationalitatem, eiuſque connexionem cum homine, & vtriuſque cum Petro, ſed connexionem huius aſsenſus cum alijs aſsensibus antecedentibus, præſtitis circa hæc duo.

ARTICVLVS QVARTVS.

An concluſio poſſit eſse notior,& certior, quàm præmiſsæ? Vbi an concluſio ſit eſsentialiter concluſio?

SVpponendum eſt, non ſemper conclusionem deduci ex duabus tantùm præmiſsis, cùm aliquando deducatur ex pluribus,vt videre eſt penès Euclidem, & præcipuè in primis libris elementorum, in quibus aliquando conclusio deducitur ex quinquaginta, vel ſexaginta præmiſſis antecedentibus, aliquibus immediatè, & alijs mediatè.

Prima conclusio, *concluſio illata ex pluribus præmiſſis, poteſt aliquando eſſe notior,& certior, non quidem omnibus, ſed aliquibus ex illis præmiſſis*. Probatur, quia poteſt in tali caſu cōclusio eſſe euidens, licèt pendeat ab aliquibus ex illis pręmiſsis ineuidētibus; nā tūc adhùc intellectus aſſentiretur conclusioni, quamuis non aſsentiretur talibus præmiſsis. Cognitio autē euidens ſemper eſt notior, & certior, quàm ineuidens. Ergo &c. Minor, & conſequentia ſunt euidentes. Maior probatur, quia poſsum ego credere, cælum eſse incorruptibile, & quia hoc aſſeritur ab Ariſtotele, & quia hoc probo ratione ipsius simplicitatis, vel connexionis ineluctabilis eius materiæ cum ſua forma. In tali autem caſu hæc cōclusio, *ergo cælum eſt incorruptibile*, eſt multò cer-

tior, quàm hæc pręmiſsa *Ariſtoteles ait, Cælum eſſe incorruptibile*. Ergo &c.

Secunda conclusio, *Poteſt etiam hoc contingere, quando concluſio pendet à duabus tantùm præmiſſis*. Probatur, quia id, ex quo deducitur conclusio, non ſunt præmiſsæ ſeorsim ſumptæ, ſed earum complexum. Quare licèt complexum sit certius, poteſt tamen aliqua eius pars eſse incertior, & ignotior, vt patet in hoc ſyllogiſmo *omne rationale eſt homo, aliquod animal eſt rationale, ergo aliquod animal eſt homo*. In hoc enim ſyllogiſmo conclusio eſt ita euidens in *Darij*, vt nullus poſsit de ea rationabiliter dubitare. De maiori verò multi dubitarunt, vt Porphirius, Plato, alijque quos ſuprà retulimus, in lib. 2. diſp. 2. quando egimus de differentia, & in Organo, quando egimus de definitione. Hæc igitur concluſio, *ergo aliquod animal eſt homo*, eſt multò certior, & notior, quàm illa maior *omne rationale eſt homo*; non tamen eſt certior, quàm complexum ex maiori, & minori ſimul. Et ratio eſt, quia obiectum materiale non poteſt eſſe certius ſuo obiecto formali. Sed concluſio habet rationem obiecti materialis crediti, & complexum ex præmiſſis habet rationem obiecti formalis, propter quod creditur. Ergo hæc non poteſt eſſe certior, quàm illud.

Tertia concluſio, *quando ambę præmiſſæ ſunt probabiles, qualibet ſeorſim ſumpta, & in inſtanti præcedenti ad actũ concluſionis, eſt probabilior, & certior, ſaltem negatiuè, ideſt eſt minùs incerta, quàm concluſio*. Probatur, quia ſi intellectus deberet diſſentiri vel alicui ex pręmiſſis, vel ipſi cõcluſioni, potiùs diſſentiretur cõcluſioni, cùm non poſſit aſſentiri concluſioni, quin perſeueret in aſſenſu vtriuſ-

que præmiſsæ. Contrà verò poteſt perſeuerare in aſsenſu vnius præmiſſæ, & negare aſſenſum alterius, adeoque etiam conclusionis pendentis ab aſſenſu vtriuſque. Poteſt enim prò tempore A diſſentiri tali præmiſſæ, & alteri aſſentiri, & prò tempore B. diſſentiri concluſioni. Hoc autem fieri non poſset, ſi hæ præmiſsæ etiam ſeorſim ſumptæ, non eſsent certiores concluſione, ſaltem negatiuè, & regulariter loquendo. Ergo verè ſunt tales.

Quarta concluſio, *quando præmiſſæ ſunt ſolùm probabiles, etiam in inſtanti, in quo elicitur concluſio, aſſenſus vnius præmiſſæ, poteſt eſſe aliquando æquè, aliquandò minùs incertus, quàm aſſenſus concluſionis*. Probatur ex dictis, quia poteſt vna huiuſmodi præmiſſa eſse certior concluſione, adeoque poteſt etiã intellectus illi aſſentiri cum maiori certitudine; & poteſt aliquando eſſe æquè incerta, adeoque illi aſsentiri cum æquali certitudine. Ergo &c.

Quinta concluſio, *actus concluſionis eſſentialiter, & intrinſecè eſt talis à præmiſſis diſtinctus*. Probatur, quia actus concluſionis, vt talis formaliter, dicit dependentiam à præmiſſis, tamquam à determinatiuo formali. Hanc autem dependentiam non dicunt ipſæ præmiſſæ. Ergo intrinſecè, & eſſentialiter differunt.

Dices, in hoc ſyllogiſmo expoſitorio, *Petrus eſt Rex. Sed Rex moritur. Ergo Petrus moritur*, hæc concluſio poteſt fieri maior hoc modo, *Petrus moritur, ſed Petrus eſt Rex, ergo Rex moritur*. Ergo non eſt eſsentialiter concluſio, ſed ſolùm per accidens, & extrinſecè. Diſtinguo maiorem, in tali ſyllogiſmo illa concluſio materialiter ſumpta poteſt fieri maior, concedo, formaliter ſumpta, ſeu vt ſupponens formaliter, nego antecedens.

dens. Et diſtinguo eodem modo conſequens, videlicet concluſionem materialiter non eſse eſsentialiter concluſionem, ſed ſolùm formaliter ſumptam. Quamuis enim ſint ijdem termini vocales in illa propoſitione, ſiue ponantur primo loco, ſiue ſecundo, non tamen illis correſpondet idem conceptus mentalis, ſed alius omninò diuerſus.

Ex dictis infer, poſse aliquandò haberi perfectum diſcurſum in vnico tantùm actu formaliter indiuiſibili, & virtualiter tantùm diuiſibili, qui eſsentialiter, & intrinſecè cognoſcat vnam veritatem obiectiuam ex alia. Sicut enim concluſio eſsentialiter pendens à præmiſſis formaliter diſtinctis, dicitur diſcurſus formalis, ita & hæc cognitio eſsentialiter cognoſcens vnum ex alio, dicitur diſcurſus virtualis. Huiuſmodi eſset cognitio angelica, qua cognoſcendo niuem, cognoſceret in illa frigus, ita vt hoc ex illa cognoſceret. Hunc autem diſcurſum virtualem Deo non repugnare ſupponit Arriaga cum multis alijs lib.7. logicæ diſp.15. ſect.1. Et ratio, quam affert eſt hæc, quia Deus cognoſcendo ſe, cognoſcit creaturas. Ergo cognoſcit vnum ex alio; Non pluribus actibus, ſed vno, eodemque. Ergo per diſcurſum virtualem. An autem cōcludat hic modus philoſophandi, alibi examinabimus. Certè in præſentia poteſt etiam ſuſtineri vt probabilis.

ARTICVLVS QVINTVS.

An debeant præmiſſæ eſſe ſimul cum concluſione?

RAtio dubitandi eſt, quia multi putant, cum ipſa concluſione dari tantùm maiorem: Alij dari tantùm minorem: Alij dari tantùm vtriuſque recordationem, ſeu memoriam; Et alij demùm, dari omnes ſimul formaliter.

Prima concluſio, *poteſt dari aliquod iudicium reflexum, quod indiuiſibiliter attingat totum aliquem ſyllogiſmum*. Probatur quia, vt vidimus in fine alterius articuli, poteſt per vnicum actum indiuiſibilem haberi diſcurſus virtualis. Ergo etiam pòterit dari alius actus reflexus, attingens per modum obiecti, integrum aliquem ſyllogiſmum. Probatur conſequentia, quia ita ſe habet diſcurſus virtualis ad obiecta concluſionis, & præmiſſarum, ſicut hic actus reflexus ad ipſam concluſionem, & præmiſſas formales. Sed ille poteſt vnum obiectum cognoſcere ex alio. Ergo & hic vnum iudicium ex alio.

Contra hanc concluſionem acerrimè inuehuntur Conimbricenſes, illam appellando *temerariam, & inſolentem, vtpote quæ nullum habeat ex veteribus patronum, nullum exemplum in ſimilibus, nullum efficax fundamentum, & multa philoſophica dogmata demoliatur*. Videatur

tur articulus. 5. quæſt. 4. in cap. primum de præcognitis, & inuenientur hæc verba. Vt autem appareat, quàm abs re doctrina tam ſolida ita dilaceretur, eorum refero fundamenta. Primum eſt, quia ille actus ſimul eſſet diſcurſiuus, & non diſcurſiuus: pendens, & non pendens à ſe ipſo. Probant ita ſequelam, eſſet diſcurſiuus, & pendens, vt attingens concluſionem: non eſſet, vt attingens præmiſſas. Ergo admitteret in ſe formaliter contradictoria. Secundum eſt, quia ſi hoc dicatur de actu cognoſcitiuo vnius ſyllogiſmi, poterit de omnibus dici. Ponatur ergo actus A. cognoſcens ſyllogiſmum, cuius vna præmiſſa ſit de fide, vel opinatiua, & altera demonſtratiua, ſeu euidens. Tum ita agumentantur, hic actus erit ſimul euidēs, & ineuidēs: certus, & incertus: neceſſarius, & contingens, quæ ſunt abſurda. Probant partem poſitiuam per hoc, quòd tendat in præmiſſam neceſſariam, & partem negatiuam, per hoc quòd tendat in præmiſſam opinatiuam.

Verùm vtraque hæc ratio nihil probat. Non prima, quia hic actus eſſet ſolùm diſcurſiuus virtualiter, non autem formaliter. Non ergo de illo verificarentur illa contradictoria. Neque probat ſecunda. Per hoc enim quòd ego cognoſcam actum incertum, & obſcurum per modum obiecti, non ſequitur, quòd huiuſmodi mea cognitio reflexa ſit incerta, & obſcura. Sicut econtra cognitio reflexa cognitionis directæ claræ, & euidentis, non eſt neceſariò clara, & euidens, vt probauimus libro 2. diſp. 1. ar. 15. Illa ergo cognitio reflexa talis ſyllogiſmi, cuius vna præmiſſa eſſet de fide, & alia euidens, poſſet eſſe vel euidens, vel ineuidens, iuxtà applicationem potentię cognoſcitiuæ, eiuſque cōcurſum

ciendum. Non poſſet autem vllatenùs impediri, ſi eſſet identificatus cum concluſione, quia poſito toto actu primo, intelligeretur poſita etiam ipſa concluſio, quæ eſſet cum illo inadęquatè identificata, videlicet cum tali iudicio. Ergo ab illo diſtinguitur.

Quinta concluſio, *intellectus non mouetur ab obiecto præmiſſarum immediatè ad concluſionem, ſed à iudicijs antecedentibus, quæ dicuntur præmiſſæ formales.* Probatur, quia ad hoc vt intellectus iudicet e.g. *Petrum eſſe riſibilem*, non ſatis eſt *quòd verè Petrus ſit homo, & omnis homo ſit riſibilis*; ſed debet hoc ab illo cognoſci, & cognitum affirmari. Si enim ſupponamus, ab aliquo non cognoſci, omnem hominem eſſe riſibilem, vtique non poterit ab illo inferri, *ergo Petrus eſt riſibilis*, per hoc præcisè quòd Petrus ſit homo, & omnis homo ſit riſibilis; nam poterit hoc ab illo negari. Illud ergo, quod immediatè, & proximè determinat intellectum ad hoc inferendum, eſt quòd ille conceſſerit illas præmiſſas, quibus conceſſis, non poteſt deinde non concedere conſequentiam, quæ continetur in illis. Sicut ergo obiectum non mouet immediatè ad illud concedendũ ſeu iudicandum, ſed ſolùm ad illud apprehendendũ, ita nec mouet immediatè ad hoc inferendum ex illo, quod ſine iudicio fieri non poteſt.

Sexta concluſio. *Actus concluſionis non reflectit ſuprà obiectum præmiſſarum, neque illud attingit, vt rationem formalem motiuam.* Probatur primò, quia ſi illud attingeret, maximè quia deberet ab illo moueri ad eliciendam concluſionem. Sed (vt modò diximus) intellectus non mouetur ab obiecto ad eliciendam concluſionem. Ergo neque illud attingit.

Pro-

Probatur ſecundò,quia poteſt haberi tota eſſentia, ſiue quidditas concluſionis formalis,abſque eo quòd illa reflectat ſupra tale obiectum. Ergo non eſt neceſſaria hæc reflexio. Conſequentia eſt euidens.Antecedens probatur,quia ſaluatur primò, illam eſſe aſſenſum mediatum, & pendentem eſsentialiter à præmiſſis, per hoc quòd pendeat à præmiſſis formalibus, tamquam à determinatiuo,ſeu motiuo formali. Deinde quomodo aſsentiamur illius obiecto propter aliud;nam aſsentimur illi propter aſsenſum præſtitum circà obiectum præmiſsarũ.Tertiò quomodò dicatur aſsenſus eſsentialiter illatiuus, nam pendet eſsentialiter à præmiſſis formalibus,ex quibus infert veritatem ſui obiecti.Quartò demum quomodo ſit eſsentialiter concluſio, & non poſſit variari quoad ordinem cum præmiſſis, propter dependentiam eſsentialem ab illis,quam præmiſsę non habent.

Obijcies primò,ideo intellectus infert,*ergo Petrus eſt animal*, quia videt *Petrum*, & *animal* connecti cum eodem medio, quod eſt *homo* in præmiſſis, ex vi illius *quæ ſunt eadem in vno tertio* &c. Sed nō poteſt hoc videre, niſi videat connexionem, quæ eſt inter obiectum præmiſſarum, & obiectum concluſionis, in qua connexione ſita eſt tota eſſentia, & vis ſyllogiſmi.Ergo quando elicit concluſionem, attingit totum hoc, & per conſequens obiectum præmiſsarum. Deinde non poteſt voluntas amare medium vt medium, niſi etiam amet finem eodem actu.Ergo neque intellectus poteſt aſsentiri obiecto concluſionis, niſi per eamdem concluſionem attingat intrinſecè obiectum præmiſsarum.

Ad primum concedo totum, quod non impugnat

Tt concluſ-

concluſionem noſtram. Aliud enim eſt, quòd intellectus attingat obiectum præmiſsarum, dum elicit concluſionem, & aliud, quòd illud attingat formaliter per ipſam concluſionem. Primum concedo, vt ſupra ſuppoſui, nam hoc eſt attingere tale obiectum extrinſecè; ideſt per alium actum, non autem intrinſecè, & eſsentialiter, ideſt per eumdem actum concluſionis. Secundum negaui, & iterum nego propter rationes allatas. Poteſt igitur intellectus huiuſmodi connexionem attingere, adeoque ipſum obiectum præmiſsarum, vel per iudicium de bonitate illationis prærequiſitum ad concluſionem obſcuram; vel per ipſam minorem, in qua continetur tale iudicium virtualiter, ſaltem in ſyllogiſmis euidentibus, & directis, vel per vtramque præmiſsam coexiſtentem concluſioni, vt probabimus ar. 5. Numquam ergo ex hoc infertur, eſſe neceſsarium, quòd hoc obiectum intrinſecè attingatur ab ipſa concluſione.

Ad ſecundum nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia tota bonitas, quam habet medium vt medium, habet à fine, cùm per ſe, vt purè tale nullam habeat bonitatem. Quare vt ſit obiectum amabile, & terminet aliquem actum amoris, debet connecti cum ipſo fine, à quo præciſum nō eſt amabile. Obiectum autem concluſionis eſt per ſe cognoſcibile, quia per ſe eſt verum, adeoque potens terminare ipſam concluſionem, cùm ſaltem ab Angelo, vel à Deo cognoſcatur sine vllo ordine ad obiectum præmiſsarum; Immò cùm potiùs hoc, quàm illud habeat rationem medij, ex eo quòd finis debeat inuolui formaliter in ratione medij, vt medij, potiùs ſequeretur oppoſitum, videlicet obiectum

con-

conclusionis inuolui formaliter in obiecto præmiſſarum, quia hoc eſt medium ad illud cognoſcendum. In fine autem non debet neceſſariò apparere medium.

Dices, obiectum conclusionis, quatenùs tale, cognoſci non poteſt, niſi cognoſcatur obiectum præmiſſarum, à quo habet, vt ſit formaliter tale. Ideo enim credo e. g. *eſſe diem*, quia *credo, eſſe ſolem*, aliter non crediturus. Ergo in obiecto conclusionis neceſſariò debet inuolui reflexio ad obiectum præmiſſarum. Nego conſequentiam, quæ non infertur ex illo antecedenti. Quare verum eſt, me ideo credere eſſe diem, quia credo eſſe ſolem, quamuis falſum ſit, obiectum concluſionis fieri tale formaliter ab obiecto præmiſſarum. Ex hoc autem aliud non infertur, quàm dependentia, ſeu connexio eſſentialis huius iudicij *eſt dies*, ab illo alio *eſt ſol*; adeoque ly *ideo* non dicit dependentiam obiecti conclusionis ab obiecto præmiſſarum (Poſito enim ſole, ſi ego hoc non credam, non proinde ſum ſufficienter determinatus ad illum aſſenſum *ergo eſt dies*.) ſed ſolùm vnius iudicij ab alio, quod nos non negamus. Obiectum ergo conclusionis, vt tale eſt formaliter, inuoluit quidem dependentiam ab alijs iudicijs formalibus antecedentibus, ſine quibus intelligi non poteſt, non autem dependentiam ab eorum obiecto. Quando igitur dico, *ergo Petrus eſt rationalis, quia eſt homo, & omnis homo eſt rationalis*, ly *quia* denotat non rationalitatem, eiuſque connexionem cum homine, & vtriuſque cum Petro, ſed connexionem huius aſſenſus cum alijs aſſensibus antecedentibus, præſtitis circa hæc duo.

ARTICVLVS QVARTVS.

An concluſio poſſit eſse notior,& certior, quàm præmiſsæ? Vbi an concluſio ſit eſsentialiter concluſio?

SVpponendum eſt, non ſemper conclusionem deduci ex duabus tantùm præmiſsis, cùm aliquando deducatur ex pluribus,vt videre eſt penès Euclidem, & præcipuè in primis libris elementorum, in quibus aliquando conclusio deducitur ex quinquaginta, vel ſexaginta præmiſſis antecedentibus, aliquibus immediatè, & alijs mediatè.

Prima conclusio, *concluſio illata ex pluribus præmiſſis, poteſt aliquando eſſe notior,& certior,non quidem omnibus, ſed aliquibus ex illis præmiſſis.*Probatur,quia poteſt in tali caſu cõclusio eſſe euidens, licèt pendeat ab aliquibus ex illis pręmiſsis ineuidẽtibus; nã tũc adhùc intellectus aſſentiretur conclusioni,quamuis non aſsentiretur talibus præmiſsis.Cognitio autẽ euidens ſemper eſt notior, & certior,quàm ineuidens. Ergo &c. Minor, & conſequentia ſunt euidentes. Maior probatur, quia poſſum ego credere, cælum eſse incorruptibile, & quia hoc aſſeritur ab Ariſtotele, & quia hoc probo ratione ipsius simplicitatis, vel connexionis ineluctabilis eius materiæ cum ſua forma. In tali autem caſu hæc cõclusio, *ergo cælum eſt incorruptibile*, eſt multò cer-

tior,

Digitized by Google

tior, quàm hæc pręmiſsa *Ariſtoteles ait, Cælum eſſe incorruptibile*. Ergo &c.

Secunda concloſio, *Poteſt etiam hoc contingere, quando concluſio pendet à duabus tantùm præmiſſis*. Probatur, quia id, ex quo deducitur concluſio, non ſunt præmiſsæ ſeorſim ſumptæ, ſed earum complexum. Quare licèt complexum ſit certius, poteſt tamen aliqua eius pars eſse incertior, & ignotior, vt patet in hoc ſyllogiſmo *omne rationale eſt homo, aliquod animal eſt rationale, ergo aliquod animal eſt homo*. In hoc enim ſyllogiſmo concluſio eſt ita euidens in *Darij*, vt nullus poſsit de ea rationabiliter dubitare. De maiori verò multi dubitarunt, vt Porphirius, Plato, alijque quos ſuprà retulimus, in lib. 2. diſp. 2. quando egimus de differentia, & in Organo, quando egimus de definitione. Hæc igitur concluſio, *ergo aliquod animal eſt homo*, eſt multò certior, & notior, quàm illa maior *omne rationale eſt homo*; non tamen eſt certior, quàm complexum ex maiori, & minori ſimul. Et ratio eſt, quia obiectum materiale non poteſt eſſe certius ſuo obiecto formali. Sed concluſio habet rationem obiecti materialis crediti, & complexum ex præmiſſis habet rationem obiecti formalis, propter quod creditur. Ergo hæc non poteſt eſſe certior, quàm illud.

Tertia concluſio, *quando ambę præmiſſæ ſunt probabiles, qualibet ſeorſim ſumpta, & in inſtanti præcedenti ad actũ concluſionis, eſt probabilior, & certior, ſaltem negatiuè, ideſt eſt minùs incerta, quàm concluſio*. Probatur, quia ſi intellectus deberet diſſentiri vel alicui ex pręmiſſis, vel ipſi cõcluſioni, potiùs diſſentiretur cõcluſioni, cùm non poſſit aſſentiri concluſioni, quin perſeueret in aſſenſu vtriuſ-

que præmiſsæ. Contrà verò poteſt perſeuerare in aſſenſu vnius præmiſſæ, & negare aſſenſum alterius, adeoque etiam conclusionis pendentis ab aſſenſu vtriuſque. Poteſt enim prò tempore A diſſentiri tali præmiſſæ, & alteri aſſentiri, & prò tempore B. diſſentiri conclusioni. Hoc autem fieri non poſset, ſi hæ præmiſsæ etiam ſeorſim ſumptæ, non eſsent certiores concluſione, ſaltem negatiuè, & regulariter loquendo. Ergo verè ſunt tales.

Quarta concluſio, *quando præmiſſæ ſunt ſolùm probabiles, etiam in inſtanti, in quo elicitur concluſio, aſſenſus vnius præmiſſæ, poteſt eſſe aliquando æquè, aliquandò minùs incertus, quàm aſſenſus concluſionis*. Probatur ex dictis, quia poteſt vna huiuſmodi præmiſſa eſse certior concluſione, adeoque poteſt etiã intellectus illi aſſentiri cum maiori certitudine; & poteſt aliquando eſſe æquè incerta, adeoque illi aſsentiri cum æquali certitudine. Ergo &c.

Quinta concluſio, *actus concluſionis eſſentialiter, & intrinſecè eſt talis à præmiſſis diſtinctus*. Probatur, quia actus concluſionis, vt talis formaliter, dicit dependentiam à præmiſſis, tamquam à determinatiuo formali. Hanc autem dependentiam non dicunt ipſæ præmiſſæ. Ergo intrinſecè, & eſſentialiter differunt.

Dices, in hoc ſyllogiſmo expoſitorio, *Petrus eſt Rex. Sed Rex moritur. Ergo Petrus moritur*, hæc concluſio poteſt fieri maior hoc modo, *Petrus moritur, ſed Petrus eſt Rex, ergo Rex moritur*. Ergo non eſt eſsentialiter concluſio, ſed ſolùm per accidens, & extrinſecè. Diſtinguo maiorem, in tali ſyllogiſmo illa concluſio materialiter ſumpta poteſt fieri maior, concedo, formaliter ſumpta, ſeu vt ſupponens formaliter, nego antecedens.

dens. Et diſtinguo eodem modo conſequens, videlicet concluſionem materialiter non eſse eſsentialiter concluſionem, ſed ſolùm formaliter ſumptam. Quamuis enim ſint ijdem termini vocales in illa propoſitione, ſiue ponantur primo loco, ſiue ſecundo, non tamen illis correſpondet idem conceptus mentalis, ſed alius omninò diuerſus.

Ex dictis infer, poſse aliquandò haberi perfectum diſcurſum in vnico tantùm actu formaliter indiuiſibili, & virtualiter tantùm diuiſibili, qui eſsentialiter, & intrinſecè cognoſcat vnam veritatem obiectiuam ex alia. Sicut enim concluſio eſsentialiter pendens à præmiſſis formaliter diſtinctis, dicitur diſcurſus formalis, ita & hæc cognitio eſsentialiter cognoſcens vnum ex alio, dicitur diſcurſus virtualis. Huiuſmodi eſset cognitio angelica, qua cognoſcendo niuem, cognoſceret in illa frigus, ita vt hoc ex illa cognoſceret. Hunc autem diſcurſum virtualem Deo non repugnare ſuppenit Arriaga cum multis alijs lib.7. logicæ diſp.15. ſect.1. Et ratio, quam affert eſt hæc, quia Deus cognoſcendo ſe, cognoſcit creaturas. Ergo cognoſcit vnum ex alio; Non pluribus actibus, ſed vno, eodemque. Ergo per diſcurſum virtualem. An autem cōcludat hic modus philoſophandi, alibi examinabimus. Certè in præſentia poteſt etiam ſuſtineri vt probabilis.

tur articulus. 5. quæſt. 4. in cap. primum de præcognitis, & inuenientur hæc verba. Vt autem appareat, quàm abs re doctrina tam ſolida ita dilaceretur, eorum refero fundamenta. Primum eſt, quia ille actus ſimul eſſet diſcurſiuus, & non diſcurſiuus: pendens, & non pendens à ſe ipſo. Probant ita ſequelam, eſſet diſcurſiuus, & pendens, vt attingens concluſionem: non eſſet, vt attingens præmiſſas. Ergo admitteret in ſe formaliter contradictoria. Secundum eſt, quia ſi hoc dicatur de actu cognoſcitiuo vnius ſyllogiſmi, poterit de omnibus dici. Ponatur ergo actus A. cognoſcens ſyllogiſmum, cuius vna præmiſſa ſit de fide, vel opinatiua, & altera demonſtratiua, ſeu euidens. Tum ita agumentantur, hic actus erit ſimul euidēs, & ineuidēs: certus, & incertus: neceſſarius, & contingens, quæ ſunt abſurda. Probant partem poſitiuam per hoc, quòd tendat in præmiſsam neceſſariam, & partem negatiuam, per hoc quòd tendat in præmiſsam opinatiuam.

Verùm vtraque hæc ratio nihil probat. Non prima, quia hic actus eſset ſolùm diſcurſiuus virtualiter, non autem formaliter. Non ergo de illo verificarentur illa contradictoria. Neque probat ſecunda. Per hoc enim quòd ego cognoſcam actum incertum, & obſcurum per modum obiecti, non ſequitur, quòd huiuſmodi mea cognitio reflexa ſit incerta, & obſcura. Sicut econtra cognitio reflexa cognitionis directæ claræ, & euidentis, non eſt neceſariò clara, & euidens, vt probauimus libro 2. diſp. 1. ar. 15. Illa ergo cognitio reflexa talis ſyllogiſmi, cuius vna præmiſsa eſset de fide, & alia euidens, poſset eſse vel euidens, vel ineuidens, iuxtà applicationem potentię cognoſcitiuæ, eiuſque cōcurſum

ſum, &c. numquam tamen ſimul eſset euidens, & ineuidens, vt contendit Aduerſarius.

Secunda concluſio, *præmiſſæ debent eſſe ſimul tempore cum concluſione*. Probatur, quia cauſa vt cauſans debet coexiſtere effectui. Sed præmiſsę cauſant phyſicè concluſionem, vt vidimus in primo articulo. Ergo debent illi coexiſtere. Conſequentia eſt euidens. Maior probabitur in phyſicis, quamuis vix indigeat probatione. Qui enim fieri poteſt, vt ignis nunc non exiſtens, nunc calefaciat? Vt oculus iam extinctus nunc videat? &c. Confirmatur quia poſitis præmiſſis, datur cauſa adæquata, & neceſsaria concluſionis. Ergo non poteſt illa non ſequi.

Obijcies primò, inter cauſam, & effectum ſufficit coexiſtentia negatiua, quòd videlicet illa ſit in tempore immediatè antecedenti ad effectum, ita vt nullum tempus mediet; Non ergo requiritur coexiſtentia poſitiua. Secundò poteſt concluſio gigni per habitum relictum à præmiſſis; Non ergo requiritur immediata, & realis virtus præmiſsarum. Tertiò ſufficit præmiſsarum memoria, ſeu recordatio ad eliciendam concluſionem. Ergo poſſumus aſſentiri concluſioni ex vi præmiſsarum, multo ante ſpatio tẽporis formatarum.

Ad primum nego antecedens. Et ratio à priori eſt, quia effectus poni non poteſt, niſi per virtutem efficientis. Debet ergo exiſtere talis virtus, quando generatur effectus, alioquin poſset homo mortuus prò tempore A. occidere Petrum exiſtentem prò tempore B. immediatè conſequenti, quod eſt ridiculum. Hæc, autem virtus vel eſt eſsentialis cauſæ, vel accidentalis? Si primum; ergo cùm eſsentia dari non poſsit abſque

eo,

eo, cuius eſt eſsentia, neque poterit dari hæc virtus abſque cauſa. Si ſecundum, cùm accidens exiſtere non poſſit abſque ſubiecto, vtique ſi ſubiectatur in tali cauſa prò tempore concluſionis, debet etiam dari ipſa cauſa ſubiectata; Alioquin poſset nunc albedo A. dari in pariete prò tempore antecedenti à Deo deſtructo.

Dices, poteſt remanere calor, qui calefaciat, igne pereunte. Sed calor eſt virtus ignis. Ergo poteſt remanere virtus, abſque eo, cuius eſt virtus; adeoque poteſt ſequi concluſio, remanente ſolo habitu præmiſsarum. Nego ſubſumptum. Diſparitas eſt primò, quia habitus non eſt virtus cognitionis, ſed effectus reſultans ex illius virtute; non enim cognoſcimus formaliter per habitum, & *vt quo*, ſicut ignis formaliter calefacit per calorem, ſed ſolum efficienter, & *vt quod*, quatenus videlicet habitus eſt cauſa alterius cognitionis, per quam cognoſcimus. Deinde quia habitus præmiſsarum non neceſſitat ad concluſionem, ſicut ipſæ præmiſsæ. Non ergo poteſt ex illo reſultare concluſio, tamquam ex præmiſsarum virtute, ſicut expoſitione caloris in manu neceſsariò reſultat calefactio.

Vnde patet reſponſio ad ſecundum, videlicet poſse quidem efficienter, & mediatè gigni actum concluſionis ex habitu præmiſsarum, non autem formaliter, & proximè, eò quia earum virtus formalis ſit cum illis identificata, & habitus ad ſummum ſit virtus potentiæ, & non actus.

Ad tertium nego antecedens. Siquidem poſita qualibet præmiſsarũ recordatione, ſi verè illis nunc formaliter non aſsentiamur, neque poſsumus aſsentiri con-

concluſioni, vt patet experientia. Præterquamquòd vel loquimur de concluſione euidenti, vel de probabili? Si primum, cùm illa pendeat à præmiſſis euidentibus, in quibus continetur, vtique illis poſitis, neceſsariò ponitur, vt ſupra diximus, illiſque recedentibus, vel corruptis, neceſsariò non ponitur, eo quia effectus neceſsarius ſemper coniũgatur cum ſua cauſa proxima, & formali adæquata, cuiuſmodi ſunt præmiſsæ ſcientificæ. Si ſecundum, cùm illa pendeat à præmiſſis probabilibus, & hæ ſufficienter non determinent intellectum ad concluſionem, vt probauimus art. 3. huius diſp., vtique multò minùs poterit ad illam determinare earum ſola memoria, ſeu recordatio.

Tertia concluſio, *Semper ambæ præmiſſæ ſunt ſimul tempore cum concluſione, adeoque non ſufficit aliquando coexiſtentia cum illa ſolius minoris*: Probatur, quia effectus debet coexiſtere toti ſuæ cauſæ ſufficienti, & adæquatæ. Sed cauſa adæquata concluſionis non eſt ſola minor, ſed complexum præmiſsarum. Ergo debet vtrique coexiſtere, nè dicamus illam gigni à maiori non exiſtente, quod ſupra tamquam abſurdum reiecimus.

Dices, poteſt contingere, quòd elicitis præmiſſis, non ſtatim appareat bonitas illationis, vt ſupra ſuppoſuimus. In tali autem caſu concluſio non coexiſtet præmiſſis, ſed fiet in tempore omninò poſteriore. Ergo non omnis concluſio præmiſſis coexiſtit, niſi dicamus tempore concluſionis præmiſsas repeti, quod videtur ſuperuacaneum. Reſpondeo, verum eſse quod ſupponitur in maiori, numquam tamen probari, eſse abſurdum, quòd repetantur præmiſsæ, cum ſit concluſio obſcura. Et ideo conceſsa maiori, nego minorem. Quamuis

uis enim aliqua concluſio ſit tempore poſterior ad has numero præmiſsas vt has, non tamen eſt poſterior ad has ſpecie præmiſsas, quia eadem repetendo iudicia cum intellectus concluſionem elicit, ſemper illam elicit ex tali ſpecie motiuo, quamuis numero diuerſo, quod ſufficit nobis.

Vrgebis, aliquando concluſio ſupponit triginta, vel quadraginta præmiſſas. Eſt autem impoſibile, quòd vel omnes illę ſimul tempore cum concluſione eliciantur, vel quòd elicitæ ſimul repetantur. Ergo falſum aſsumptum. Reſpondeo, in tali caſu concluſionem ſimul fieri cum illis præmiſſis, quæ ſunt magis immediatæ, & proximæ, & ſunt cæteroqui ſufficientes ad illam concluſionem. Et ratio à priori eſt, quia non eſt neceſse, quòd coexiſtat illationi, niſi illud, à quo formaliter vltimò determinatur intellectus inferens. Hæc autem formalis determinatio ſunt ſolæ præmiſsæ poſtremæ, ſeu immediatæ, cùm aliæ determinent illum ad alias concluſiones, ſaltem virtuales, & hæ ad alias, vſque quò veniatur ad hanc omnium poſtremam. E.g. illud, quod immediatè determinat intellectum ad hanc concluſionem, *ergo Petrus eſt ens*, non eſt quòd *ille ſit rationalis*, & *omne rationale ſit homo*, & *omnis homo ſit animal*, & *omne animal ſit viuens*, & *omne viuens ſit corpus*, & *omne corpus ſit ſubſtantia*, & *omnis ſubſtantia ſit ens*; Omnes, inquam, hæ præmiſsæ non determinant proximè ad illam concluſionem, ſed ſolùm hæ vltimæ *omnis ſubſtantia eſt ens*, *Petrus eſt ſubſtantia*, quibus ſolùm poſitis, intellectus eſt ſufficienter determinatus ad illam concluſionem proximè inferendam.

Dices demùm, & difficiliùs, hæ poſtremæ præmiſsæ habent

habent rationem concluſionum in ordine ad alias premiſſas. E.g. hæc *Petrus eſt ſubſtantia*, pendet ab his, *omne viuens eſt ſubſtantia*, *Petrus eſt viuens*: Et hæc pendet ab his *omne animal eſt viuens*, *Petrus eſt animal*; & ſic deinceps. Vel ergo omnes hæ præmiſſæ debent coexiſtere poſtremæ concluſioni, quod trahit proceſſum in infinitum, vel fruſtrà requiritur huiuſmodi coexiſtentia. Nego conſequẽtiam. Et ratio eſt, quia effectus phyſicus non debet coexiſtere, niſi principio proximo efficienti, à quo vltimò accipit eſſe, vt probabitur in primo de generatione. Cùm ergo concluſio ſyllogiſmi A. e.g. nõ accipiat eſſe vltimò, niſi à præmiſſis eiuſdẽ ſyllogiſmi, alteri nõ coexiſtit. Illa ergo ſucceſſio, ſeu ſeries ſyllogiſmorũ vnius ad aliũ, poteſt quidem eſse cauſa remota, & mediata, non tamen proxima talis concluſionis.

Quòd ſi replices, poſse in eodem ſyllogiſmo dari plures præmiſsas, & vnicam concluſionem, reſpondeo caſum eſse logicè impoſſibilem. Et ratio eſt euidens, quia ſtructura ſyllogiſmi ſita eſt in eo, quòd extrema concluſionis ita connectantur cum medio, vt ex illius connexione, inferatur eorumdem connexio inter ſe. Eſt autem impoſſibile, quòd eadem extrema connectantur in eodem ſyllogiſmo cum pluribus medijs. Vel ergo illæ præmiſsæ continent idem medium, vel diuerſum? Si primum, non ſunt plures, niſi grammaticaliter, & materialiter, eo quòd habeant formaliter eãdem mouendi vim. Si ſecundum, tot conſtituent ſyllogiſmos, & concluſiones, quot media continebunt inter ſeſe diuerſa. Numquam igitur accidet, quòd eadem numerò concluſio pendeat immediatè, & proximè à pluribus formaliter præmiſſis, quàm à duabus.

HÆC

HÆC AVTEM SIMVL CVM OMNIBVS ALIIS, QVÆ DIXI IN HIS, ET ALIIS MEIS LIBRIS, QVOS VSQVE ADHVC EXPOSVI, OMNI CVM ANIMI DEMISSIONE, ET OBSEQVIO SPONTE SVBIICIO CENSVRÆ, ET IVDICIO SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ, QVAM VT VERÆ FIDEI MAGISTRAM, ET VERITATIS PETRAM VENEROR, ET SVSPICIO, ET SEMPER VENERATVS SVM.

Totius Logicæ Finis.

Errata Corrige.

Pag. 4. *imbecillam ſe*, imbecillum ſe. Pag. 6. *excipientem*, excipiente. Pag. 16. *rreyciendam*, reijciendam. 19. *proprium Tertie*, proprium tertiæ. 20. *ſubloco*, ſuo loco. 22. 23. 22. *acquiſitionũ*, acquiſitionem. 23. *probatur quartò*, probatur tertiò. 24. *quod ſunus*, quod ſumus. 26. *boc ſecundim*, boc ſecundũ 29. *denpendenter*, dependenter 31. *neceſſaria*, neceſſaria. 32. *ſcientiam factè*, ſcientiã perfectè. 45. *nouus effectus*, adde, qui non poſſit tribui cauſſæ priori. 50. *frequenıatione*, frequentatione. 55. *Prima concluſio*, Tertia concluſio. 56. *Secunda concluſio*, Quarta concluſio. 59. *Fracaſſ.* Fracaſt. 66. *Quare ſi*, Quare ſit. ibid. *formaliter im*, formaliter in. 69. *Ergo, & ante* Ergo & antec. 80. *à quodlibet primo*, à quolibet primo. 89. *ſenſietur*, ſentietur. 90. *produca*, producat. 91. *diſtinguo maiorem*, diſtinguo antecedẽs. 104. *exigua ex pacte*, exigua ex parte. 111. *agitur, vocantur*, reuocãtur. 131 *per per*, per. 134. *conſtituunt*, conſtituat. 162. *ſubaltemata*, ſubalternata. 164. *de edem formaliter*, de eodem formaliter. 166 *thelogicis*, theologicis. 172. *Secunda concluſio*, Tertia concluſio. 174. *contradictorias*, contradictorios. ibid *cum actum fidei*, cum actu fidei. 182. *intellectas*, intellectus. 184. *coningi*, coniungi. 204. *s. Tho:* S Tho: 206. *ſingulas excitent*, ſingulas excitent. 210. *afferuimus*, aſſeruimus. 216. *vnde ſit*, Iudæ ſit. 218. *ſeu intentionem*, ſeu intentionẽ, ibid. *intentio*, intentio. 222 *actuis*

ſed na-

ſed habitui, habitui, ſed actui. 229. *ſtatutaria*, ſtatuaria. 231. *nego maiorem*, nego antecedens. 253. *nego maiorem*, nego antecedens. 265. *interer exceſſum*, inter exceſſum. 267. *demonatiuè*, denominatiuè. 270. *lib* lib 1 286. *ſunt ide*, ſunt idem. 287. *nomiue*, nomine. 294. *rugibitatis*, *rugibilitatis*, rugibilitatis. 306. *conuenientia*, conuenientia. 307. *E ſub hac ratione*, Ergo ſub hac ratione. 311. *in praſentando*, in repræſentando. 323. *h autem*, hæc autem. ibid, *accut ſi*, ſicut. 324. *repraſentatis*, repræſentatis. 367. *eſſe aliquid*, poſſe eſse aliquid. 402. *proiude*, proinde. ibid. *cognoſceretur*, cognoſcitur. 407. *quarto libro*, adde diſp. 5. ar 2. 416. *vt probauimus in primo argumẽto*, vt probauimus in reſponſione ſecundi. 420. *per Aduerſario*, per Aduerſarios. 424. *dicut*, dicunt. 425. *ex diſcurſu, & rugitu*, ex rugitu, & hinnitu. 429 *longiſſimum eſſe*, longiſſimum eſset. 434. *vt eſt rationalis*, vt eſt rationale. 435 *pradicare in quale*, prædicari in quale. 438. *tantùm poſſet*, tantùm poſſit. 439. *diſtiuigi*, diſtingui. ibid. *rugitus, hinnitus*, mugitus, hinnitus. 445. *inſepabilitas*, inſeparabilitas ibid. *connexionem*, adde immediatam. 464. *defactus*, defectus. 466. *excluſio*, excluſio. 466. *lib. diſp:* 1 lib. 3. diſp. 1. 470 *intrinſecat*, intrinſeca. 471. *ad equum animal à rationali, quod non eſt contrahibile, obiectiuè praſcindendo*, ad equum, obiectiuè præſcindendo animal à rationali, quod non eſt contrahibibile, non obſtante. 477. *ex hoc ipſe capite*, ex hoc ipſo capite. 478 *niſi habere*, niſi habeat. 479. *adhùc affuſſit*, adhùc affulſit. 492. *propriùs*, propriùs 495. *Probatut*, Probatur. 507. *ſopra nos*, ſuprà nos. ibid. *poclines*, proclines. 508 *praceperunt*, percæperunt. 517. *vendicabile*, vendibile. 536. *ſingulas partes*, ſingulas partes. 552. *ex analogis attributionis*, Adde & propoitionis. ibid. *probauimus*, probamus. 562 *immediatè*, mediatè. 565. *qua ſubordinantur*, quæ non ſubordinantur. 566. *prodicabilium*, prædicabilium. 582. *oco citato*, loco citato. 583. *Cõpreudat*, comprehendat. ibid. *aliſque communiter*, aliiſque communiter, 597. *Solo, & Alberto*, Soto ex alberto. 599. *quod ſocundam*, quoad ſecundam. 600. *Traſcentalis*, traſcendentalis. ibid. *chimera*, chimeræ. ibid. *illa terminatur*, illa (vt aiunt) terminatur. ibid. *in ſententia admittentem*, in ſententia admittente. 61. 613. 618. *luant*, inuoluant. 626. *habent*, habeat. 629. *Num*, Nam. 644. *non repugnat*, nõ repugnat. ibid. *omnes poſſent*, omnes poſſunt. 646. *debent aduertere*, debeat aduertere.

INDEX

RERVM NOTABILIVM,

Quæ continentur in vtraque parte huius primi tomi.

ABſtractio vniuerſalis; Vide vniuerſale. Non poteſt eſſe falſa 331. Non fit ab intellectu agente 336. Sed à paſſibili, ibid.

Abſtractio negatiua 320. Præciſiua 321. Vide præciſio, ſiue cognitio præciſiua. Quomodo fiat. 322.

Accidens logicum vt prædicabile. 446.

Accidentia materialia concurrunt ad productionẽ ranę. 71

Accidens metaphyſicum 444. Poteſt inducere corruptionem diſpoſitiuam ſubiecti, ibid. Non poteſt eſſe intrinſecè inſeparabile 443. In quo differat à proprio, ibid. Non connectitur immediatè cum eſſentia, ſed cum indiuiduatione ſubiecti, ibid. Eſt eſſencialiter ens in alio 579. Et incompletum 585. Et relatiuum. 599.

Actus tam intellectiui, quàm volitiui reflectunt ſupra ſe 253. *Sunt*

253. *Sunt eſſentialiter ſucceſſiui* 208. *Et affixi tali tempori* 528. *Sunt cauſa habitus inſtrumentalis* 75. *Aequiuoca, & inadæquata* 76. & 85. *Secundaria, & indirecta* 78. *Sunt identificati cum facilitate, vel difficultate,* 96. *Eorum perfectio deſumitur ex obiecto, & ex modo tendendi.* 202.

Actio, & paſſio quomodo diſtinguantur. 567.

Actus intellectiuus neceſſariò verus eſt conditionalis 524. *Eius veritas eſt inadæquatè extrinſeca, ibid. Eius verificatiuũ datur nunc conditionatè* 525. *Et tandem reducitur ad infinitã perfectionem Dei, ibid. Adæquatus, & inadæquatus* 557. *Contingenter verus vnde dicatur* 529. *Non poteſt ex vero fieri falſus* 527. *Neque eſſe ſimul verus, & falſus* 530. *Soluuntur varia ſophiſmata* 531 *Euidens non pendet à voluntate* 249. & 643. *Niſi indirectè, & mediatè, ibid. Obſcurus non eſt bonus, niſi vt medium ad euidentiam* 174. *Non differt à claro, niſi ſecundùm magis, & minùs* 192. *Et ideo poteſt cũ illo coniungi, ibid. Eſt identificatus cum obſcuritate* 193. *Pendet ab imperio voluntatis* 249. & 643. *Quomodo proponatur voluntati* 250. *Vnde proueniat eius obſcuritas* 321. *Speculatiuus nihil mouet extrà intellectum* 77. *Non poteſt idem actus eſſe ſimul naturaliter ſcientia, & opinio* 196. & 210. *Malè hoc probatur à Pallauicino, ibid. Si tamen daretur, non diſtingueretur ſpecie merè negatiuè* 200. *Poteſt ſupernaturaliter dari* 213. *Poteſt etiam dari actus compoſitiuus indiuiſibiliter attingens totũ aliquem ſyllogiſmum* 656. *Quilibet actus affirmatiuus affirmat obiectum à ſui veritate diſtinctum.* 532.

Actus fidei poteſt eſſe immultiplicabilis potentia ſimultatis 423.

tis 422. *Non tamen ſimultate potentia*. 423.

Aequiuoca quomodo definiantur 540. *Definiuntur ſub ratione vniuoca* 542. *Definiuntur æquiuocata, non æquiuocantia, ibid. Non bene diuiduntur in æquiuoca à caſu, & à conſilio* 543. *Reijcitur Arriaga, ibid.*

Aggregatum per accidens poteſt analogicè definiri. 392.

Agens in quo ſenſu intendat aſſimilare ſibi paſſum. 86.

Alteratio quid ſit. 632.

Amor beatificus vnde dicatur neceſſarius. 642.

Analoga admittuntur ab omnibus 545. *Non tamen vt media inter vniuoca, & æquiuoca* 554. *Eorum genera* 546. *Non dantur Analoga inæqualitatis, ſeu proportionis* 551. *Neque mixta* 552. *Neque attributionis* 553. *Nullum datur medium* 553. *Admittuntur à nobis ſolùm ſecundùm dici*. 556.

Angeli non acquirunt habitum circa naturalia 55. *Sed ſolùm circa cognita abſtractiuè, & coniecturaliter* 56. *Habuerunt à Deo ſpecies omnium naturalium* 55. *Non inferunt vnum ex alio* 63. *Poſſunt facere vniuerſale directè circa ſupernaturalia* 379. *Poſſunt etiam in pura natura differre inter ſeſe ſolo numero, vel ſpecie* 411. & 410. *De facto fuerunt in ſua ſpecie athoma multiplicati* 414. *Reijcitur oppoſita ſententia Thomiſtarum* 416. *Vnde habeant diſtinctionem tàm ſpecificam, quàm numericam* 417. & 422. *Eorum perfectio eſt proxima Deo* 420. *Continẽtur ſub prædicamento ſubſtantiæ ſub vtraque acceptione*. 580.

Animæ rationales cur non poſſint in plures ſpecies multiplicari. 420.

Antonius Perez Ingeniorum Phœnix 449. *Conatur afferre diſparitatem cur præciſio obiectiua admittatur in diuinis, non autem in creatis* 450. *Reijciuntur eius fundamenta.* 453.

Antepredicamenta. 540.

Aptitudo naturæ vniuerſalis 337. *Non eſt relatio ficta, neque poſſibilitas extrinſeca plurium* 338. & 340. *Conſtituitur per cognitionem comparatiuam.* 339. & 342. *Eſt proprietas conſequens ad naturam vniuerſalem* 338. *Eſt illi eſſentialis, & intrinſeca* 339. *Eſt aliquid contingens, ibid. Non eſt ſolanon repugnantia ad exiſtendum in multis* 341. *Neque negatio prædicati taliter repugnantis, ibid. Eſt denominatio intrinſeca reſultans ex cognitione comparatiua* 342. *Eſt partim poſitiua, & partim negatiua.* 343.

Ars non datur ad operationes neceſſarias, ſed ſolùm ad indifferentes 17. *In quo diſtinguatur ab experiētia* 230. *A ſyndereſi, & prudentia* 235. & *natura* 274. *Non eſt perfecta, ſine theorica* 231. *Quomodo definiatur* 267. *Dicitur habitus factiuus genericè, non ſpecificè* 271. *Omnis ars eſt virtus, etiã furandi, ludendi, & decipiendi.* 273.

Arriaga putat inſolubile argumentum contra definitionem generis 394. *Ait diſtinctionem eſſe carentiam identitatis* 429. *Putat poſſe per ſimplicem apprehenſionem cognoſci hominem eſſe equum* 522. *Reijcitur dicens, poſſe eamdem propoſitionem fieri magis, & minùs veram* 536. *Malè diuidit æquiuocum vt ſic in æquiuocā à caſu, & à conſilio.* 543.

Augmentum quid ſit. 631.

Author

Author ſubmittit totum hunc librum, & omnia ſua opera cenſuræ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. 663.

B

Bonum vt ſic eſt vna ſpecies veri. 392. Bruta non acquirunt habitum. 50. Vnde prouemant eorum facilitas, & promptitudo, quam acquirunt ad operandum. 53. Quam voluptatem ſentiant in operando. 54. Non percipiunt vllam voluptatem ex cantu, & cur. 257.

C

Cauſarum diuerſitas non ſemper arguit diuerſitatem effectuum 315. Cauſa adæquata ſemper eſt perfectior effectu 72. Non autem inſtrumentalis, & principalis inadæquata 71. & 78. Non agit, niſi actu exiſtat 88. In actu primo refertur ad effectum tranſcendentaliter, & in actu ſecundo etiam prædicamentaliter 622. Non poteſt eſſe deſtructiua effectus 91. Cauſalitas mutua non repugnat 79. Non datur inter actum, & habitum. 79.

Certitudo omnis eſt formalis, quia non datur radicalis 167. Eſt identificata cum ſubſtantia actus. 193.

Chirurgia ſubalternatur geometriæ. 161.

Chriſtus D. non habuit cognitionem practicam delectationis illicitæ 66. Non diſtinguitur ſpecie à puro homine. 204.

Concluſio pendet à ſolis præmiſſis formalibus 167. & 648. Sequitur neceſſariò ex præmiſſis 169. Debet eſſe ſimul tempo-

 re

re cum illis 171. Eſt de quidditate ſyllogiſmi 636. Pendet eſſentialiter à præmiſſis, ibid. Eſt illarum effectus 637. & 638. Non reflectit ſupra obiectum illarum 648. Poteſt eſſe notior aliqua præmiſſa, non tamen omnibus 652. Non deducitur ex præmiſſis ſeorſim, ſed ab earum complexo 653. Eſſentialiter diſtinguitur à præmiſſis 654. Poteſt materialiter ſolùm variari. 655.

Conformitas cum obiecto eſt relatio prædicamentalis ipſius cognitionis ad obiectum 523. Eſt inadæquatè extrinſeca cognitioni, ibid.

Confeſſarius poteſt abſque mendacio negare, ſe audiſſe peccata, quæ verè audijt in cõfeſſione 501. Reijcitur opinio Pallauicini de prolatione purè materiali, ibid. Quomodo debeat reſpondere importuno interrogatori 507. Afficitur iniuria ſuper confeſſione interrogatus 508. Debet puniri quomodocunque reuelet confeſſionem, ibid. Non poteſt laudare innocentiam pœnitentis defuncti cognitâ per confeſſionem. 511.

Cognitio, Vide actus, operatio intellectus. Quomodo originetur à ſenſibus 334. Poteſt eſſe ſimul clara, & obſcura reſpectu eiuſdem, & quomodo 352. Eſt vitalis, & naturalis imago ſui obiecti 520. Abſtractiua eſt in ſe vniuerſalis in repræſentando 311. Quomodo det vnitatem vniuerſalem in eſſendo, ibid. Eſt cauſa efficiens vniuerſalis 312. Eſt obſcura, & confuſa, 322. Vnde proueniat eius claritas, & obſcuritas. 323.

Cognoſcere aliquod vt vnum non eſt cognoſcere in illo vnitatem 317. Idem cognoſci, & non cognoſci non ſemper ſunt contradictoria 469. Inuoluunt contradictionem in creatis de facto

ctio exiſtentibus, non autem in diuinis 483. *Cognoſci idem clarè, & non cognoſci clarè non ſemper ſunt contradictoria* 485.

Concreta ſecundarum intentionum non conſtituntur formaliter per relationem fictam. 123.

Conſeruatio rei eſt replicata productio. 89.

Contrarietas rigoroſa quibus conſtituatur. 588.

Creata vnde trahant formaliter imperfectionem 460. *Semper dicunt in recto perfectionem.* 466.

Cythariſtica vocatur ars à Philoſopho. 272.

D

Definitio non poteſt eſſe prima intellectus operatio. 128.

Defectus non poteſt excludi per alium defectum in eodem ordine 452. *Defectus creaturæ dicit in recto perfectionem.* 465.

Demonſtratio quid ſit, & quotuplex 143. *Quomodo differt à ſcientia ſimplici, ibid. Non poteſt eſſe in aliis modis, quàm in* Barbara, & Celarent 144 *Poteſt habere præmiſſas virtualiter ſolùm immediatè notas.*

Denominatiua quomodo definiantur 544. *Quid ad illa requiratur, ibid.*

Deus cur non habeat vllam potentialitatem 73. *Non poteſt vt credendũ proponere obiectum euidens metaphyſicè* 182. *Quomodo cognoſcat, ſe cognoſcere omnia intelligibilia* 571. *Poteſt cognoſcere vniuerſale factum à nobis* 373. *Non tamen illud directè facere* 374. *Eius omnium comprehenſione non minuitur libertas* 378. *Non poteſt includere contradictoria*

 457. *Quo*

457. *Quomodo poſſit vniuocè conuenire cum creaturis 362. Continetur ſub prædicamento ſubſtantiæ dictæ à ſubſiſtendo, non autem à ſubſtando 580. Sub conceptu proprio, & immediatè non continetur ſub vllo genere 58 . Neque ſub genere ſubſtantiæ 582. Continetur tamen mediatè, & quomodo 587. Eſt indiuiduum metaphyſicum, ibid. Habet veras relationes 597. Non apparet nobis vt purè bonus 642. Poteſt habere diſcurſum virtualem,* 655.

Dialectica non ſemper accipitur pro logica. 155.

Differentia omnis eſt poſitiua 190 Non habet propriam contrarietatem cum alia 588. Non eſt in ſubiecto, niſi metaphyſico, ibid. Generica, & ſpecifica non conſtituunt duo prædicabilia 385. Eſſentialis inter indiuidua eiuſdem ſpeciei 695. Specifica athoma 431. Subalterna 432. Componebatur à Platonicis 437. Communis 433. Propria, & propriſſima, ibid. Fundamentaliter quomodo definiatur logicè 435. Prædicatur immediatè de ſola ſpecie 435. Quomodo ſaluetur eius vniuerſalitas 412. Dantur differentiæ vltimæ ſimplices 439. Etiam compoſitæ 440. Non tamen ex pluribus genericis 441. Non poteſt conſtitui per prædicata communia. 454.

Diſcurſus perfectus poteſt aliquando haberi per vnum actum. 654.

Diſtingui ab alio eſt prædicatum ſecundarium 452. Non eſt perfectio in imperfectiore. 461.

Diſtinctio non eſt carentia identitatis 429. Specifica non poteſt haberi per meram negationem 196. 199. 427. 428. Non ſemper habetur per formam 417. Neque per differentiam notabilem 424. Neque per diſſimilitudinem eſſentialem 426. Ne-

426. *Neque per differentiam ſub conceptu communi* 627. *Explicatur in quo conſiſtat* 430. *Numerica non ſemper habetur per materiam* 417. *Non eſt adæquatè inſtituta ad conſeruandam ſpeciem, ibid. Neque propter inſufficientiam indiuiduorum* 418. *Virtualis intrinſeca. Vide præciſio obiectiua, De ſuo cōceptu formali non implicat* 457. *Eſt inuenta à Theologis, & cur* 475. *Cur dicatur virtualis intrinſeca, ibid. Poteſt in Deo admitti, quin admittatur in creatis defacto exiſtentibus* 478. *Neceſſariò importat aliquam phyſicam pluralitatem obiectiuam* 482. *In quo ſenſu detur per intellectum, ibid. Non pugnat cum illo principio* quæ ſunt eadem vni tertio *&c. ibid.*

Diuiſio eſt negatio vnionis 300. *Diuiſio generis ex æquo in quo conſiſtat.* 631.

Dormiens eſt aliqualiter liber, & diſcurrit imperfectè 49. *Quare non dicatur cæcus, etiamſi non videat.* 627.

Duratio indiuiſibilis eſt poſſibilis 199. *Poteſt diſtingui ſpecie merè negatiuè ab alia, in ſententia Pallauicini, ibid.*

E.

ENs *vt ſic diuiditur adæquatè in ſubſtantiam, & accidens* 558. *Eſt vniuocum, ibid. Significat quod eſt, vel poteſt eſſe, ibid. Eſt genus* 560 *In quo ſenſu fuerit hoc negatum ab Ariſtotele* 56 . *Cur non fuerit poſitum in linea prædicamentali, ibid. Præſcindit formaliter à differentijs, à quibus non præſcinditur* 562. *Conuenit vniuocè omnibus prædicamentis* 563. *Ens per accidens poteſt eſſe obiectum ſcientiæ rigoroſæ.* 157.

Ens

157. Ens corruptibile, vt conſideratur à phyſica, eſt incorruptibile, & neceſſarium 158. Ens poſitiuum non poteſt conſtitui per negatiuum 429. Ens omninò abſolutum neque datur; neque poteſt dari. 598.

Euidentia eſt identificata cum ſubſtantia actus 194. Poteſt dari de cognitione obſcura 252. Euidentia metaphiſica non poteſt coniungi cum probabilitate 174 Neque cum fide tam diuina, quàm humana 175 Includit potentiam phyſicam formidandi 83. Non autem moralem 84. Non excludit omnem formidinem radicalem de poſſibili, ſed ſolùm de facto 184. Euidentia phyſica ſemper includit aliquam formidinem radicalem 178. Poteſt coniungi cum fide diuina, & non cum humana 177. Includit aliquam potentiam non imprudenter formidandi. 183.

Excluſio entitatis defectuoſæ, non ſemper dicit perfectionem in excludente 460. 455. Aliquando eſt imperfectio, ibid. Quando dicat perfectionem. 466.

Exiſtentia obiectiua eſt rebus extrinſeca. 32.

F

Facile, & difficile quid ſint. 103.

Facultatum nomine quid intelligat Ariſtoteles. 269.

Falſitas habetur per ſolam difformitatem cũ obiecto. 522.

Felicitatis vnus dies non facit felicem, quomodo intelligatur. 81.

Fides diuina nihil debet inuoluere in obiecto formali, quod non ſit diuinum 177. Poteſt phyſicè coniungi cum euidentia phyſi-

phyſica 177. *Non autem cum metaphyſica* 175. *Non poteſt coniungi cum fide humana* 193. *Fides eſt virtualiter diſcurſiua* 168. *Eſt obſequiũ preſtitũ per intellectũ circa auctoritatẽ loquentis* 176. *Fides humana non poteſt coniungi cum euidentia metaphyſica* 175. *Neque cum phyſica*. 177.

Fonſecæ opinio de Vniuerſalibus reijcitur. 289.

Formido actualis, & radicalis, Vide opinio, Vtraque poteſt per accidens diſponere ad ſcientiam, 89. *Et ad ſuam deſtructionem*. 190.

G

G*Enus quam relationem dicat ad ſpeciem* 124. *Quid ſit, & quotuplex* 38. *Eius definitio eſt quidem bona lato modo, non tamen rigoroſè* 387. *Diuerſificatur à ſpecie per particulam* tantum 391. *Definitur in ordine ad ſpeciem materialiter ſumptam* 393. *In eius definitione definitur generitas in concreto*, 395. *Eius definitio verificatur de toto concreto, ſed diuerſo modo* 396. *Non ſaluatur in vna ſpecie, cæteris implicantibus* 398. *Non tamen requirit quòd actu exiſtant plures ſpecies* 400. *Sufficit ſi cognoſcantur vt poſſibiles, ibid. Non differt ſpecie à ſpeciebus inferioribus* 432. *Quomodo ſit pars ſpeciei* 584. *Eſt illa imperfectius* 589. *Non eſt ſimul natura cum illa* 631. *Summum, & ſubalternum non ſunt duo prædicabilia, ſed vnum*. 385.

Generatio non tranſit, durante filio 618. *Perſeuerat in illo quoad partes primigenias* 619. *Quãdo illa datur, datur filius, ſaltem inchoatiuè* 621. *Quid ſit*. 631.

Gra-

Gratia habitualis eſt accidens. 579.

H

HAbere quot modis dicatur. 632.
Habitus ſupernaturalis quid ſit 40. *Non generatur ex actibus* 71. *Eſt potiùs potentia, quàm habitus, ibid. Fit in inſtanti,* 94.
Habitus naturalis vnde dicatur, & quomodo definiatur 41. *Eius exiſtentia* 33. *Non datur in potentijs materialibus, ſeu ſenſibus* 44. *Eius finis quis ſit, ibid & 52. neque datur in membris externis* 45. *Propriè non datur, niſi in potentijs animæ rationalis* 48. *non acquiritur per actus materialiter factos* 49. *Non datur in brutis* 50. *Non eſt, niſi in ſubiecto volitiuo, ibid. Non inducit neceſſitatem* 51. *Non conſiſtit formaliter in remotione impedimenti* 57. *Eſt aliquid poſitiuum* 58. *Non tamen conſiſtit formaliter in ſpeciebus impreſſis* 60. *Neque in expreſſis* 66. *Neque in maiori attentione ad obiectum, ibid. Eſt qualitas quædam ſuperaddita* 67. *Quomodo deſtruatur* 69. *Eſt imperfectior actu* 72. *Eſt complementum potentiæ, ibid. Eſſentialiter ordinatur ad actum* 73. *Eſt identificatus cum ſua duratione* 74. *Generatur efficienter ab actibus* 75. *Eſt veluti ſemen actuum, ibid. Vide actus. Generatur imperfectè à primo actu & perfectè a multis* 80. *Aliquando etiam perfectè ab vno actu* 81. *Intenditur per quemlibet actum ſe intenſiorem* 83. *Etiam per remiſſiorem* 84. *Non corrumpitur, vel remittitur negatiuè, per ſolam ceſſationem ab actibus* 87. *Eſt qualitas ex natura ſua permanens, & ſtabilis, ibid. Non pendet in* conſer-

conſeruari ab actibus, ibid. Remittitur, & corrumpitur formaliter per habitum, & efficienter per actum contrarium 90. Remittitur negatiuè ſolùm occaſionaliter 92. Tertiùs impeditur, ibid. Non acquiritur, & corrumpitur in inſtanti. 93. Non concurrit ad actum · · ? quo 95. Sed · · quò in genere cauſæ efficientis, ibid. Eſt cauſa actus quoad modum, & ſubſtantiam 96. Concurrit eodem concurſu cum potentia, & immediatè 97. Non trahit ad actum, ſed trahitur 99. Non mouet formaliter voluntatem 100. Quomodò illam iuuet 101. Eius finis eſt triplex, & quis 102. Limitatur ab actibus 108. & 109. Quomodo poſſit concurrere ad actum circa diuerſa obiecta 108. Determinat intellectum in actu primo 220. Non eſt virtus cognitionis, ſed effectus ex illa reſultans 659. Eſt eſſentialiter accidens 579. Speculatiuus includit ſemper aliquam partem practicam 37. Habitus præmiſſarum non neceſſitat ad ipſam concluſionem 659. Habitus opinatiuus, & ſcientificus intenſi non poſſunt phyſicè copulari 217. Poſſunt autem ſupernaturaliter, ſicut remiſſi 218. Habitus opinionis poteſt eſſe cum actu ſcientiæ, & viceuerſa. 221.

I

IDeæ Platonicæ quid eſſent 285. Verè non fuerunt à Platone aſſertæ, ſed per inuidiam illi attributæ. 286.
Identitas opponitur contradictoriè diſtinctioni. 459.
Ignis quę admittat contraria. 589.
Inaleitas, & perſeitas. 558.
Indiuiſio eſt vnio. 300.

Indiuiduum vagum non eſt vniuerſale, & cur 385. *Indiuidua non differunt ſpecie logica à parte rei* 295. *Differunt eſſentialiter, ibid. Quomodo verificetur quòd Petrus vt homo non differat à Paulo* 296. *Hæc propoſitio eſt ſimpliciter falſa* 297. *Quomodo definiatur logicè* 419. *Et metaphyſicè* 421. *Nullum poteſt dari in ſua ſpecie inmultiplicabile* 408. 416. 422. *&c.*

Inductio facta per omnia eſt certa, & euidens. 153.

Irrationale eſt poſitiuum, quamuis explicetur per actum negatiuum, & cur. 429.

Intellectus agens, & paſſibilis 334. *Non eſt determinatus ad ſuas operationes quoad modum, ſed ſolum quoad ſubſtantiam* 25. 26. 28. 645. *Vnde fiat imperturbabilis.* 30. *Quomodo acquirat habitum* 47. *Poſita præmiſſarum apprehenſione, neceſſitatur ad concluſionem quoad ſubſtantiam, non autem quoad modum* 61. *Experitur in operando eamdem cum voluntate difficultatem* 68. *Eſt perfectior intellectione ſolùm identicè, & ſpecificatiuè ſumptus* 73. *Non operatur, niſi dependenter à phantaſia* 92. *A nulla ſcientia dirigitur immediatè* 126. *Eius directio in actu primo eſt etiam in actu ſecundo, ibid. Eius operationes ſunt obiectum materiale logicæ* 127. *Vide obiectum. Poteſt ſimul habere plures actus* 170. *Non poteſt habere iudicium, ſine ſimplici apprehenſione* 170. *Non poteſt ſimul aſſentiri, & diſſentiri eidem obiecto* 171. *Cognoſcit euidenter, vnum contradictorium eſſe falſum, ibid. Si haberet ſimul ſcientiam, & opinionem, non eſſet ſimul certus, & incertus* 185. *Si replicetur miraculosè, non poteſt in vno loco ſcire, & in alio opinari* 195. *Per vnicam intellectionem attingit*

tingit ea omnia, quæ illi proponuntur per vnicam ſenſationem 207. Laborat in concluſionibus obſcuris 25. Non ſemper determinatur ſufficiẽter à præmiſſis 646. Sed aliquãdo eget iudicio de bonitate illationis, ibid. Non mouetur ab obiecto præmiſſarum ad concluſionem, ſed ab ipſis præmiſſis formalibus 648. Intellectus concludens non attingit obiectum præmiſſarum per ipſam concluſionem 650. Intellectus vt virtus quid ſit. 266.

Intenſio quid ſit. 81.

Ira formaliter quid ſit 614. Reſultat ſolùm efficienter ex accenſione ſanguinis, ibid. Poſſet à Deo impediri, etiam poſt ſanguinis accenſionem, ibid.

Iudicium de bonitate illationis eſt neceſſarium ad concluſionem obſcuram 641. Hoc autem debet eſſe euidens 64. Et ideo diſtingui à concluſione obſcura, ibid. Iudicium confuſum non eſt diuerſum à ſimplici apprehenſione confuſa ſpecie logica, ſed phyſica 34. Quas habeant differentias, ibid.

Iuſtus habitualis in quo ſenſu eſt perfectior iuſto actuali 60. In quo ſenſu iuſtus habitualiter ſit perfectior iuſto actualiter 71.

L.

Logica quid ſit? pag. 18. Non verſatur circa prima principia, ibid. Naturalis, & artificialis, ibid. Actualis 19. Habitualis, ibid. Vniuerſalis, & particularis, ibid. Docens, & vtens 20. Probatur, dari logicam docentem, vniuerſalem tam actualem, quàm habitualem 21. Eſt ſimpliciter neceſſaria ad bene definiendum &c. 22. Eſt modus ſciendi 23. Eſt

etiam,

etiam neceſſaria ad perfectè comparandas omnes alias ſcientias 30. *Non tamen quoad modum, ſed quoad ſubſtantiam* 32. *Logica docens non diſtinguitur ab vtente* 34. *Eius obiectũ, Vide obiectum. Cur dicatur à verbo logos* 116. *Ad illam nõ ſpectat ſyllogiſmus, ſeu definitio vocalis* 118. *Quomodo habet eumdem finem cum ſcientiſs* 133. *Conſiderat operationes intellectus vt dirigibiles* 135. *Eſt ſcientia lato modo* 151. *Variæ ſententiæ de eius natura* 23. *Eſt adæquatè practica* 39. *Admiſcetur cum cognitionibus ſpeculatiuis aliarum ſcientiarum* 241. *Seruit ſcientijs præcipiendo* 243. & 244. *Quomodo dicatur illis inſeruire, ibid. Eſt inſtrumentum per modum ducis* 244. *Habet prò fine veritatẽ formalem actuum imperatorum, ibid. Conſiderat operationes vt dirigibiles* 245. *Eſt virtus intellectus* 259. *Eſt ars, ibid. Vocatur aliquando demonſtratiua* 275. *Probat ſuas concluſiones per certiſſimas cauſas, & methodo ſcientifica.* 276.

Libri perihermenias, & elenchorum non ſunt partes logicæ. 7.

Locutio omnis eſt in genere ſigni 474. *Quomodo fuerit primò inſtituta* 497. *Eius inſtitutio induxit obligationem* 498. *Non eſt inſtituta adæquatè in bonum loquentis* 503. *Eius finis proximus eſt manifeſtatio ſcientiæ.* 5.6.

M

Manus hominis inſtrumentum inſtrumentorum. 142. *Martinus de Eſparſa negat opinionem radicalem. Et cur?* 466.

Materia prima eſt prior forma in ratione fundamenti, & poſterior in ratione finis cui. 577.

Mathematica cõtemplatur obiectum vt imaginabile 156. *Eſt rigorosè ſcientia ſpeculatiua* 157. *In quo ſenſu prære quiratur ad logicam* 32. *Facilè diſcitur à pueris, ibid. Non eſt ſpeculatiua ſecundùm problemata.* 247.

Matrimonium poteſt fieri per ſolos nutus. 496.

Metaphyſica contemplatur obiectum vt intelligibile 156. *Eſt ſciẽtia ſpeculatiua* 157. *Bene dicitur theologia* 158. *Conſiderat Deum, & Angelos* 159. *Eius certitudo in quo fundetur.* 535.

Medium ſcientificum non deſtruit obiectum opinionis 221. *Neceſſarium in quo differat à medio ſufficienti.* 53.

Memoria non verſatur, niſi circa obiectum ante cognitum. 255.

Mendacium numquam eſt licitum, & cur? 499.

Mentiens ſemper, loqui non poſſet. 500.

Modus non datur, niſi ad tollendam indifferentiam. 502.

Mors non eſt accidens reſpectu hominis, quamuis ſit reſpectu materiæ. 446.

Motus quid ſit, & quotuplex. 631.

Muſica dicitur ars à Philoſopho. 272.

N

N*Atura humana non datur, niſi contracta, & diuiſa ad ſingularia* 297. *Non habet à parte rei negationẽ inferiorum* 299. *Non datur, niſi per intellectum* 301. *Nullam verè*

verè dicit negationem, ibid. Concipitur vt vna numerò directè, & per ſpecies rei ſingularis 318. Non tamen vnitate intrinſeca, ſed extrinſeca. 319.

Nauſea ex cibo, & lectitatione eiuſdem, vnde proueniat. 103.

Neceſſitas quoad ſpecificationem, & exercitium. 640.

Particula n accipitur præciſiuè, & negatiuè. 179.

Non repugnantia in quo ſenſu præcedat actum. 299.

Nutritiua, & augmentatiua diſponit per accidens ad ſui deſtructionem. 190.

Nutus ſunt formaliter verba. 496.

O

Obiectum quid ſit 111. Adæquatum, ibid. Inadæquatum, attributionis, attributum, materiale, & formale 112. Quomodo antecedat potentiam 309. Poteſt ſub diuerſa formalitate cognoſci vt ſuperius, & inferius reſpectu eiuſdem 389. Omne obiectum eſt poſſibile, & reale 594. Obiectum ſcientiæ quomodo debet eſſe neceſſarium. 140.

Obiectum materiale proximum logicæ non ſunt voces 115. Neque res omnes 119. Neque ens rationis fictum 122. Neque eſt intellectus 125. Sed eius operatio 127. Cuius rectitudo eſt obiectum formale 134. Et attributionis eſt ſyllogiſmus 136. Obiectum formale habitus actiui non debet phyſicè diſtingui à materiali 135. Eſt in ſe indifferens, vt materiale 136. Obiectum concluſionis poteſt à Deo cognoſci abſque ordine ad obiectum præmiſſarum 650. Pendet à præmiſſis forma-

formalibus, non autem obiectiuis. 651.

Obligatio veracitatis in loquendo extenditur ad omnem caſum. 303. & 509.

Oculus non poteſt ferri in colorem vt ſic. 359.

Operatio intellectus. Vide intellectus, ſeu Actus. Quomodo dirigatur à logica 18. *Habet materiam, & formam* 29. *Quomodo ſit praxis* 244. *Conſideratur à logica* 127. *Vt dirigibilis,* 245. *Eius rectitudo eſt obiectum formale logicæ* 134. *Prima operatio intellectus habet veritatem formalem diſpoſitiuè* 131. *Et incomplexã* 520. *Nõ poteſt eſſe falſa, ibid. Quãuis determinet ad iudiciũ falſum* 521. *Non poteſt cognoſcere hominem eſſe equum* 522. *Eſt per ſe expetibilis* 131. *In quo ſenſu poſſit malè fieri* 532. *Intellectus eſt ad illam determinatus, & quomodo, ibid.*

Opinio quid ſit 164. *Actualis, & radicalis, ibid. Proxima, & remota* 165. *Eſt ſolùm expetibilis conditionatè* 191. *Differt eſſentialiter à ſcientia* 193. *Eſſentialiter pendet à talibus præmiſſis* 193. *Non eſt contradictoria, neque contraria ſcientiæ* 207. *Actu formidoloſa non poteſt eſſe cum vlla ſcientia, neque metaphyſicè* 172. *Radicaliter formidoloſa poteſt quidem ſupernaturaliter coniungi cum ſcientia* 179. *Non autem naturaliter* 173. & 192. *Neque identificari in eodem actu* 196. & 210. *Diſponit remotè, & per accidens ad ſcientiam.* 189.

Oppoſita relatiua, & priuatiua 625. *Ad priuatiua non requiritur ordo irregreſſibilis* 625. *Quomodo intelligatur adagiũ illud, à priuatione ad habitum non datur regreſſus.* 626.

P

PArs in abſtracto non poteſt prędicari in quid de toto, poteſt autem in concreto 323. Non poteſt dari eſſentialis, quin ſit perfectiua, vel perfectibilis. 33

Paternitas non poteſt eſſe relatio tranſcendentalis 618. Non datur, tranſacta generatione, ibid. Quando dicatur exiſtere adæquatè 619. Dicitur etiam à generatione præterita 620. Eſt eſſentialiter ſucceſſiua 621. Numquam poteſt exiſtere tota ſimul, ibid.

Peccatum ſapit infidelitatem, & idololatriam. 642.

Pedes ex ſaltu acquirunt facilitatem negatiuè. 46.

Perſonæ diuinæ non ſunt idem inter ſe in eo ordine, in quo ſunt idem cum tertio. 482.

Perſpectiua ſubalternatur geometriæ. 162.

Phantaſia quam ſedem habeat, & quæ obiecta 333. Quomodo iuuet intellectum ad cognoſcendum. 335.

Philoſophia multipliciter accipitur. 242.

Phyſica eſt rigorosè ſcientia ſpeculatiua 157. Eius certitudo in quo fundetur. 535.

Potentia non limitatur ab actu 108. Materialis determinatur ab obiecto 359. Non fertur, niſi circa præſentia 359. Phyſica eſt prior ſuo actu 298. Non tamen logica, ibid.

Practica, & praxis quid ſit 222. & 244. Vide ſcientia. Non debet cognoſcere obiectum vt factibile per ſe 259. Sed vt ſimpliciter factibile à cognoſcente 259. Quomodo explicetur ſine circulo. 261.

Prædi-

Prædicata intrinſeca rerum contingentium circumſcribuntur loco, & tempore, non autem extrinſeca. 310.

Præciſio, Vide abſtractio. Non neceſſariò eſt mutua 562. *Obiectiua ſimpliciter non implicat* 467. *In creatis non eſt admittenda* 322. *Poteſt tamen in illis aſſeri vt poſſibilis* 458. & 478. *Non poteſt admitti in ſolo Deo, niſi aſſignetur peculiaris ratio* 470. *Aſſignatur hæc ratio* 477. *Quæ formalitates poſſint obiectiuè præſcindi* 472. *Non poteſt dari circà obiectũ omninò ſimplex* 473. *Aequiualet præciſioni phyſicè* 474. *Poſſet ex aliqua hypotheſi admitti etiam defacto in creatis* 477. *Soluuntur obiecta* 479. *Defacto implicat in creatis vt creatis* 484. *Tamen actu exiſtentibus* 485. *Et non poſſibilibus, ibid.*

Prædicamenta bene fuerunt diuiſa in decẽ claſſes 566. *Vnde ab inuicem diſtinguantur, ibid. Cur dicantur prædicamenta* 567. *Non differunt formaliter vt entia, ſed obiectiuè vt talia.* 563.

Præmiſſæ, Vide concluſio. Debent eſſe ſimul tempore cum concluſione 170. 658. 660. *Earum recordatio non ſufficit* 171. 659. *Sunt cauſa efficiens concluſionis* 638. *Subſtituuntur loco ſpeciei impreſſæ, ibid. Scientificæ neceſſitant phyſicè intellectum ad concluſionem* 639 & 640. *Etiam neceſſitate contradictionis* 640. *Non tamen quoad modum* 645. *Hoc non valet de opinatiuis* 190. 211. & 215. *Non ſemper illæ ſolæ ſufficiunt* 646. *Quid aliud requiratur, ibid. Diſtinguuntur phyſicè à iudicio de bonitate illationis obſcuræ* 646. *Qualibet præmiſſa ſeorſim eſt certior concluſione, in iſtanti antecedenti* 653. *Et aliquando etiam in inſtanti cõcluſionis* 654. *Non ſufficit*

ficit earũ exiſtẽtia negatiua 658. Aliquãdo repetũtur, quãdo elicitur cõcluſio 660. Hoc tamẽ nõ valet de præmiſſis mediatis 661. Nõ poſſunt plures præmiſſæ immediatè gignere eãdẽ numerò concluſionẽ 662. Opinatiuæ impediuntur à ſcientificis, ſi cum illis coniungantur 191. Sunt illis neceſſariò poſteriores in cauſando concluſionem 213. Non ſunt illis formaliter contrariæ, ſed diſparatæ 215. Sunt cauſa æquiuoca concluſionis, ibid.

Prædicabilia ſunt ſolùm quinque 381. Vnde ſumatur eorum diſtinctio 380. & 384. Sunt tota metaphyſica, & per accidens 391. Poſſunt conſtitui inadæquatè per aliquod negatiuum, ibid. Ratio prædicabilis vt ſic non eſt vniuoca 384 In quo ſenſu dicatur analoga 556. Poteſt tamen dici genus lato modo 385. & 389. Quomodo ſit genus, & ſuperior genere 389. Non eſt ſemper formaliter genus 390. Prædicabilitas vniuerſalis quid ſit, & quotuplex 343. Neque habetur per ſolam cognitionem abſtractiuam, neque per ſolam comparatiuam, ſed per vtramque ſimul 344. Prædicari in quid 409. In quale, ibid. In quale quid. 435.

Prius, & poſterius ſupponunt diſtinctionem, & quam 99.

Prioritas temporis 627. A ſubſiſtendi conſequentia, ibid. Dignitatis, ordinis, & naturæ 628. Originis. 629.

Probabile dicit moralem potentiam formidandi 174. Eſt noxium ſcienti, ibidem.

Proprium fundamentaliter eſt quadruplex 443. Formaliter vt vniuerſale, quomodo definiatur 444. Prædicatur immediatè ſolùm de ſpecie, ibid.

Prudentia quid ſit 235. & 267. In quo ſenſu dicatur

catur virtus moralis, ibidem.

Pueri facilè diſcunt mathematicam, & cur. 32.

Pulchritudo non eſt aliquid præter complexũ partiũ. 611.

Q

Q*Valitas non poteſt eſſe ſuſceptiua contrariorum* 571. *In quid, in quale, in quale quid. Vide Prædicari.*

R

R*Amus expoſitus à caupone eſt ipſius locutio.* 518.

Recordari eſt iterum cognoſcere 255. *Nemo recordatur, ſe dormiſſe ex memoria dormitionis* 256. *Omnis recordatio eſt rei cognitæ.* 257.

Rectitudo operationis intellectiuæ eſt obiectum formale logicæ 134. *Vide operatio, actus, obiectum.*

Regreſſus demonſtratiuus quid ſit, & quomodo faciendus 145. *Eius vtilitas.* 146.

Regulæ anteprædicamentales. 564.

Relatio quomodo definiatur in concreto 592. *Quomodo in abſtracto* 593. *Realis, & rationis, ibid. Non poteſt admitti ad terminum impoſſibilem* 594. *Aequiparantiæ, & diſquiparantiæ, ibid. Alia genera relationum* 595. *Paternitas eſt prædicamentalis* 618. *Non datur adæquatè non exiſtente generatione* 619. *Prædicamentalis ſemper eſt mutua* 262. 616. *Non tamen admittit circulum vitioſum* 393. *Probatur dari etiam in creatis* 597. *In quo differat à tranſcendentali* 600.

Non eſt modus ſuperadditus 601. Non eſt formalitas ſuperaddita 603. Non identificatur adæquatè cum fundamento proximo, ibid. Non conſiſtit ſolùm in duobus abſolutis 604. Non diſtinguitur ab extremis formaliter ſumptis, ibid. Aliquando per accidens eſt tota in fundamento 60[illegible]. Non eſt ſola extremorum coexiſtentia 6 3. Non probatur ex ſola inſeparabilitate ab extremis, ibid. Non poteſt à Deo impediri, poſitis extremis 614. Eſt ad terminum vt quo 615. tamquàm ad relatiuum materialiter, ibid. Ex hoc non ſequitur circulus 616. Neque multiplicabilitas eius in infinitum 617. Non poteſt creſcente formaliter termino ipſa decreſcere 618. Poteſt vna relatio aliam fundare 621. Non tamen ſequitur proceſſus infinitus 622. Relatiua in quo diſtinguantur à purè connotatiuis 603. Et ab abſolutis 617. Quæ relatio negabatur ab antiquis 596. & 611. Tranſcendentalis non poteſt includere eſſentialiter terminum 616. Poteſt fieri prędicamentalis per ſolam termini poſitionem 622. Eſt idem cum illa ſecundùm rectum 623. Adeoque illius pars, ibid.

Remiſſio quid ſit. 82.

S

Sapientia quid ſit. 266. & 268.

Scientia habitualis totalis eſt qualitas compoſita 106. *Scientiæ omnes mutuātur à logica præcepta bene operandi* 27. *Actualis ſimplex quid ſit* 138. *Debet eſſe concluſio vera, & euidens* 139. *Prætereà vniuerſalis, & neceſſaria* 140. *Debet habere præmiſſas indemonſtrabiles, primas, & immediatas* 141. *Da-*

141. *Datur de nouo* 148. *Confutantur Sceptici, & Academici, ibid. Non poteſt eſſe cum opinione actu formidante* 172. *Neque cum formidine radicali naturaliter* 173. *Poteſt autem ſupernaturaliter* 179. *Vide opinio. Quomodo dicatur non poſſe formidare* 179. *Pugnat cum actu obſcuro ſumpto in cõcreto* 94 *Non ex repugnantia intrinſeca* 194. *Quam oppoſitionem babeat cum opinione* 207. *Non datur propriè, & rigorosè, niſi de ſubſtantia* 561. *De accidente autem ſolùm indirectè, & mediatè* 562. *Subalternata debet verſari circa obiectum ſubalternantis à ſe reſtrictum* 160. *Differt ab illa ſolùm accidentaliter* 16 . *Non eſt rigorosè ſcientia, ibid. Eſt imperfectior ſubalternante, ibid. Completur ab illa in ratione ſcientiæ* 62. *Scientia vt virtus quid ſit* 266. *Speculatiua quid ſit* 155. *Diuiditur adæquatè in phyſicam, metaphyſicam, & mathematicam* 157 *Omnes aliæ reducuntur ad has* 152. *Eſt inutilis, & ideo nobilior practica, quæ eſt neceſſaria* 229. *Scientia practica actualis datur de facto* 224. *Non ſit practica per ordinationem liberam voluntatis, ſeu intellectus reflexionem* 225. *Sed eſt intrinſecè talis, ibid. In quo formaliter conſiſtat eius eſſentia, ibid. Per quid differat à ſpeculatiua* 226. *Eſt de obiecto neceſſario ex ſuppoſitione* 230. *Semper incipit à ſpeculatiua* 229. *Debet eius obiectum eſſe in poteſtate cognoſcentis* 232. *Non tamen in libertate, ibid. Vnde cognoſcatur* 234. *Eius proprietates, ibid. Eſt triplex, videlicet ſynderęſis, ars, & Prudentia.* 135.

Scriptura non poteſt adhiberi purè materialiter 509. *Non ſubrogatur vocibus.* 517.

Senſus non vitiatus non decipitur 149. *Vnius error corrigitur*

gitur per alium ſenſum, ibid. Omnes ſimul ſenſus numquam falluntur 150. Præter quinque externos dantur etiam interni 333. Senſus communis quam habeat ſedem, & quæ obiecta. 333.

Sfortia Pallauicinus 195. Eius argumenta contrà actum ſimul opinatiuum, & ſcientificum 196. Reÿciuntur vt falſa 198. Quomodo explicet cognitionem practicam 259. Impugnatur, ibid. Ait poſſe à Deo fieri vniuerſale directè 369. Impugnatur, ibid.

Signum quid ſit 493. Quotuplex 494 Eſt argumentum prò exiſtentia ſignati 495. Omne ſignum ad placitum eſt rigoroſa locutio 495. Etiam aliquod naturale. 496.

Simultas temporis, & naturæ. 630.

Similitudo non eſt vnitas formalis 291. & 306. Non datur formaliter à parte rei, ibid. Eſt vnitas ad ſummum fundamentalis 306. Quomodo explicetur 602. Dicit cognitionem comparatiuam. 612.

Species logica non datur à parte rei, ſed ſolùm phyſica 295 In quo differant hæ ſpecies, ibid. & 314. Species vt ſic quotupliciter accipiatur 404. Species logica ſubalterna, ſubÿcibilis, & athoma 405. Subÿcibilis non habet inferiora 406. In quo ſenſu dicatur ſpecies 407. Athoma bene definitur 407 Eſt perfectior indiuiduis. 690.

Species impreſſa, & expreſſa vnde deriuent 335.

Sol dicitur immultiplicabilis extrinſecè 401. Et ideo eſt terminus vniuerſalis, ibid.

Sophiſtica eſt virtus, quamuis doceat modum decipiendi. 273. & 274.

Subie-

Subiectum quomodo refertur ad prædicatum, & viceuerſa. 123.

Subſtantia quomodo accipiatur 568. 590. *Prima, & ſecunda* 569. *Quomodo prima ſubſtantia ſit in ſuperioribus* 570. *Quid requiratur ad illam, ibid. Secunda debet vniuocè prædicari de ſuis inferioribus* 572. *Bene diuiditur ſubſtantia vt ſic in primam, & ſecundam* 573. *Non tamen vt genus in ſpeciem* 574. *Neque vt totum in partes &c.* 575. *Sed vt ſubiectum in accidentia* 576. *Dicitur à ſubſtando, ſeu ſubſiſtendo, ibid. Per quid diſtinguatur ab accidente* 577. *Quomodo dicatur ſimpliciter prima* 578. *Quomodo exiſtat vt genus in ſpecie* 584. *Eſt principium radicale ſubſiſtendi* 585. *Quid ſit ſummum illius genus* 586. *Eſt eſſentialiter relatiua.* 599.

Subſiſtentia quid ſit 576. *Vbi de illa agatur ab Authore* 591. *Subſiſtere eſt perfectio ſimpliciter ſimplex.* 580.

Suſpicio non eſt ſcientia, & cur. 162.

Syllogiſmus aliquando accipitur prò ſolis præmiſſis 635. *Aliquando prò ſola concluſione* 636. *Aliquando prò vtriſque ſimul, ibid. Includit intrinſecè concluſionem* 636. *Eſt eſſentialiter tertia operatio, ibid. Quomodo definiatur.* 639.

Syndereſis quid ſit. 235.

T

Terminatio libera Dei quid ſit 455. *Impugnatur.* 457.

Theologia verſatur circa cognitiones practicas de virtutibus, & vitijs. 247.

Diuus Thomas negat, ſcientiam practicam intrinſecè differre

ferre à ſpeculatiua 223. Ait ens eſſe analogum. 557.

Topica eſt ſcientia, & virtus 272. Topicus ſyllogiſmus non poteſt eſſe euidenter falſus 153. Semper eſt probabiliter verus, ibid. Præcepta de illo faciendo ſunt euidentia 154. Semper habent veritatem illationis. 273.

Trinitas Perſonarum diuinarum ſupponitur ex fide, neque probatur rationibus philoſophicis. 483.

V

Vapor non differt ſubſtantialiter ab aqua 425. Vnde acquirat raritatem, & leuitatem, ibid.

Veneti Senatores prudentiſſimè cuncta moderantur 507. Quomodo reſpondeant, quando de ſecretis interrogantur, ibid.

Venereis in rebus non datur paruitas materiæ, & cur 504. Contraria opinio fuit vetita à ſocietate Ieſu, & à nonnullis alijs Religionibus, ibid.

Verbum æternum eſt locutio Patris. 496.

Verum vt ſic eſt vna ſpecies boni 392. Veritas tranſcendentalis quid ſit 519. Veritas formalis 519. Incomplexa, ſeu imaginis, & complexa, ſeu ſigni 520. Incomplexa reperitur etiam in prima operatione, ibid. Veritas complexa ſolùm eſt in ſecunda, & tertia operatione 522. Habetur per conformitatem cum ſuo obiecto, ibid. Eſt ſolùm inadæquatè intrinſeca 523. Etiā veritas neceſſaria 523. Quę eſt cōditionalis 524. Per quid verificetur 525. Vide actus neceſſariò verus. Prædicatur analogicè de cognitionibus, vocibus, & rebus 526. Eſt effectus veritatis obiectiuæ 527. Eſt prædicatum ſecundarium 532. Quæ

532. *Quæ opponitur ignorantiæ, opponitur etiam falſitati* 130. *Non poteſt eſſe maior, & minor.* 634.

Virtus quid ſit, & quotuplex 264. *Virtus intellectiua quæ, & quæ eius ſpecies.* 265.

Viſio beatifica eſt ſucceſſiua 74. *Eſt vera locutio* 496. *Viſio non cadit ſub memoriam, niſi vt precognita* 257. & 258.

Vnio non poteſt dari, niſi inter vnibilia 473. *Vnio in compoſito ſubſtantiali eſt ſolùm ſubſtantia* vt quo. 578.

Vnio hypoſtatica in Chriſto Domino eſt ſucceſſiua. 174.

Vniuoca quomodo definiantur. 540.

Vnitas in genere quid ſit 304. *Nullam dicit negationem* 309. *Opponitur diuiſioni* 313. *Intrinſeca* 304. *Non ſufficit ad vniuerſale* 350. *Eſſentialis, ſeu ſpecifica non datur à parte rei* 300. *Extrinſeca quid ſit* 304. *Formalis non datur à parte rei* 291. *Vnitas vniuerſalis non eſt ficta* 305. *Neque eſt conuenientia, ſeu ſimilitudo* 306. *Neque aliquid negatiuum* 309. *Quid ſit* 306. *Conſtituit vniuerſale in concreto, non autem in abſtracto.* 310.

Vniuerſale quid, & quotuplex ſit 277. *Definitur* 289. *Vniuerſale logicum in quo diſtinguatur à metaphyſico* 279. *Eſt idem phyſicè cum inferioribus* 286. *Multiplicatur in illis* 281. *Participatur ab illis ſecundùm totum, ibid. Probatur dari* 283. *Neque eſt idea Platonica* 285. *Non datur à parte rei* 287. *Non datur extra, ſeu ante ſingularia* 292. *Neque datur in ſingularibus nemine cogitante, ibid. Datur dependenter ab intellectu* 293. *Eſt obiectum proximum ſcientiæ* 298. *Eſt opus intellectiuum* 303. *Eſt aliquod totum* 304. *Non multiplicatur ad ſolam multiplicationem abſtractionum* 312. *Prærequirit*

requirit cognitionem ſenſitiuam inferiorum 316. Eſt terminus ſecundæ intentionis 319. & 366. Non fit per cognitionem reflexam negationis inferiorum 326. Non debet ſpoliari inferioribus 327. Non fit per abſtractionem realem, ſeu præciſiuam obiectiuè 329. & 486. Neque per intentionalem negatiuam, ibid. Sed per præciſiuam formaliter directam, & abſolutam 330. Non fit ab intellectu agente, ſed à paſſibili 336. Eius aptitudo, Vide aptitudo, & prædicabilitas. In actuali prędicatione de inferioribus retinet formaliter vniuerſalitatem 349. Poteſt etiã fieri aliquo modo per ipſam actualem prædicationem 350. & 363. Non amittit vniuerſalitatem ex identitate cum ſingulari 352. Neque per hoc quòd aliquo modo appareant ſingularia 354. Hæc autem prędicantur diſiunctiuè, ibid. Non poteſt fieri à voluntate directè 357. Neque ab oculo, ſeu alia potentia materiali 358. Propriè, & directè non fit per ſecundam, & tertiam intellectus operationem 362. Sed ſolùm per primam 365. Eius cauſa materialis ſunt plura indiuidua ſimilia 366. Fundamentaliter poteſt eſſe aliquod corporeum 367. Formaliter verò eſt ſemper ſpirituale, ibid Poteſt à Deo cognoſci 372. Non tamẽ fieri directè 374. Eius factio dicit deficientiam cognitionis, ibid. Nõ poteſt fieri, niſi à diſcurſiuo in remedium ignorantiæ 376. Cur Deus cognoſcendo vniuerſale, illud non faciat 376. Poteſt ab Angelis fieri circa aliqua obiecta 379. Eius vniuerſalitas ſaluatur etiam in vno ſubiecto vniuerſali. 442.

Voluntas à nullo purè phyſico mouetur ad operandum 100. Quomodo adiuuetur ab habitu 101. Quomodo dirigatur ab intellectu, illique imperet omnes actus obſcuros 250. Non poteſt

teſt dirigi immediatè 25. Concurrit ad motum omnium aliarum potentiarum 45. Quomodo acquirat habitum ad imperandum 47. Non eſt libera circa purum bonum 642. Poteſt intellectum impedire à concluſione obſcura, non autem à clara, ibid. Voluptas eſt illicium, & eſca ad operandum 45. Eſt ſignum habitus acquiſiti 46.

Vox humana quomodo definiatur 491. In quo differat ſignificatiua à non ſignificatiua, ibid. Non ſignificat naturaliter ſed ad placitum 497. In quo conſiſtat eius ſignificatio 499. Non poteſt proferri, inter loquendum, purè materialiter 530. *Poteſt tamen recitari, & renarrari materialiter 512. Eius ſignificatio non eſt obiectum ſignificatum 514. Significat conceptum immediatè, & mediatè rem 515. Non ſemper ſupponit prò toto ſignificato.* 517.

Vulnus circulare cur difficiliùs ſanetur oblongo. 162.

FINIS.

Noi Reformatori dello Studio di Padoa.

HAuendo veduto per fede del P. Inquiſitor di Venetia, che nella ſeconda parte del primo tomo filoſofico, quale contiene il 3. 4. e 5. libro della Logica Authore Dottore Petro de Comitibus Romano, non vi è coſa contra la Santa fede Cattolica; E ſimilmente per atteſtato del noſtro Secretario, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo licenza, che ſia ſtampato; douendoſi oſſeruar gl'ordini, & eſſer preſentate due copie per le publiche librarie di Venetia, & Padoua.

Dato 11. Giugno 1659.

Lunardo Emo Reformator.

Andrea Contarini Cau. Proc. Reformator.

Nicolò Sagredo Proc. Cau. Reformator.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Google

PANDIMIGLIO
2 1 DIC. 1970
LEGATORIA - ROMA

Digitized by Google

image
not
available